PALAEOGRAPHIA

CRITICA

AVCTORE

VLRICO FRIDERICO KOPP

HASSO CASSELLANO.

PARS TERTIA.

MANNHEMII

SVMTIBVS AVCTORIS.

MDCCCXXIX.

Ut quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum *sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare* rationem, *is prudentissimus rite haberi solet; quo circa huic, quasi materia quam tractet, et in qua versetur, subjecta est* veritas.

Cic. offic. 1, 5.

DE

DIFFICVLTATE INTERPRETANDI

EA QVAE

AVT VITIOSE VEL SVBOBSCVRE

AVT ALIENIS A SERMONE LITERIS


SVNT SCRIPTA.

VOLVMEN PRIMVM.

MANNHEMII

SVMTIBVS AVCTORIS.

MDCCCXXIX.



PRIMO HOC VOLVMINE

CONTINENTVR

Lemmata si quaeris cur sint adscripta, docebo:
Ut, si malueris, lemmata sola legas.

LIBER I.

Quo praemittenda continentur.

CAPVT I.

Occasio et consilium scribendi.

Neminem facile arbitror fore, qui ex suppositītiis monimentis 1.
veri quidquam aut erui aut probari posse sibi persuadeat. Quoniam autem falsi nota, quam merito inurimus ei, quod *totum* est *suppositum*, inuri etiam debet *adulteratis* genuini monimenti *partibus*; ex his non magis elici posse quae fide digna sint, consentaneum est. Ac nihil refert dolone sint mutatae literae antiquae an bona criticorum nostratium fide. Quodvis enim vetustatis monimentum, simulac immutatum qualiscunque disciplinae praesidio fuerit, sincerum jam ac vetustum esse desinit, nec dissimulata sua forma testimonium deinde grave firmumque praebere poterit.

Quae quum adeo certa esse et explorata sentirem, ut a nemine 2.
in dubium vocari possent; aegerrime semper tuli nimiam quorun-

dam audaciam, qua priscorum monimentorum literas, quae quo minus sententiam intelligerent impedimento ipsis erant, pro lubitu corrigerent, vel prorsus etiam ejicerent aliasque earum in locum substituerent, quo facilius sententia temere conjecta defendi posset. De ista igitur licentia quum non solum publice (*Heidelberger Jahrb.* 1824. *p.* 433. 1825. *p.* 690. *sequ. Bilder und Schrift. der Vorzeit. I.* 210. 218. 232. 248. 254. 261. 262. 267. *II.* 181), sed privatim etiam cum viris doctis saepenumero conquestus essem; controversia inde cum philologis aliquot, qui criticam artem audacius exercentes in alia omnia abire consueverunt, mihi exorta hujus libri conscribendi causam proximam praebuit. De illa scilicet corrigendi licentia quum in utramque partem argumentis sane idoneis atque gravibus disputatum sit, haec ipsa nunc exponenda eo lubentior statui, quo melius ita de fine, quem in hoc opere mihi proposuerim, constaret. Solus quidem adversus philologos quum pugnarem, sane agmen eorum perlustranti metuendum erat, ne multitudine adversariorum prorsus equidem opprimerer, adeo ut in ista turba armis mihi meis ne uti quidem liceret. At vero illi nequaquam ex molesto homunculorum grege, quorum futilia dicta lubenter praeterfluere sinimus, sed viri erant in primis spectabiles, eruditione pariter atque humanitate praediti, quorum cum non nullis adeo amicitiae mihi necessitudines intercedere laetor.

3. Jam vero, ut ad propositum redeam, causam equidem quaerens, cur illi tam facile sibi persuaderent in literis pingendis errasse

eos, qui vetera monimenta inscripsissent, hanc potissimum invenire mihi visus sum: caecus scilicet, quo multi saepe laborant, amor sui quum aegre pateretur, esse in prisci aevi reliquiis verba inscripta, quae intelligere nequidquam conarentur, istos eo adduxit, ut culpam in alios transferre mallent, quam ingenue fateri, a sua intelligentia sensuque illa prorsus esse disjuncta.

„Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.“

Quae quum aliquando coram doctis illis philologis disserendo proposuissem, sermonem longius extrahens, „videtisne,“ inquam, „viri optimi corrigendo ea, quae obscura in monimentis sint, vos vestram potius sententiam eis intrudere, quam veram, quae in iis lateat, explorare? Equidem haud temere attentandam esse literam scriptam censeo, minime omnium eam, quam *in archetypo* (*v.* §. 560.) adhuc videre liceat. Namque saepius profecto accidit, ut quae alter non nisi corrigendo se interpretari posse putaret, eadem ab altero, qui rei peritior esset, nulla omnino mutatione facta feliciter explicarentur. Procul igitur absit omnis inscriptiones emendandi libido, eas inprimis quae lingua aliqua compositae exstent, cujus subtiliorem nos cognitionem nondum simus adepti. Quotus enim quisque vestrum erit, qui Aegyptiacam, Phoeniciam ceterasque linguas, quae in usu esse jam pridem desierunt, se probe callere earundemque scribendarum rationem penitus cognitam habere gloriari possit? Attamen non nullos inter vos deprehendi, qui in antiquis lapidum titulis sermonem ad ea quae in scholis didicissent accommodatum esse 4.

vellent. Quo quidem factum est, ut omnes illarum interpretationes, quae a noto sibi ac familiari dicendi scribendique genere plus minusve recederent, falsas esse putarent, haud perpendentes disparem omnino olim fuisse quum dicendi, tum scribendi rationem pro uniuscujusque et seculo et doctrina. Atque vos praesertim, qui linguarum, quae orientales dicuntur, scientiam profitemini, eo maxime falli arbitror, quod in iis inscriptionibus, quae ad illas linguas pertinent, nihil existimatis vitiose dictum vel exstare posse, vel legi ab interprete debere; nihil omnino, quod indoli linguae, qualem vos quidem animo informatam tenetis, repugnet, quam incorruptam semper et integram putatis, quantumvis aliarum linguarum exempla prorsus contrarium doceant. Quin etiam vestrum aliquem ad verba inscriptionis cujusdam Punicae audiisse me memini exclamantem: „An vero Phoenicum vel Poenorum quemquam sic locutum esse credamus?“ Quasi unquam loquentes iste illos audiisset! Qui idem tamen vir, manifesta sermonis vitia in ipsis Hebraeorum libris, quamvis toties et summopere olim purgatis, variis modis excusare est ausus, ita ut archaismi, enallages, aliaque a grammaticis in subsidium vocata nomina in apertos etiam soloecismos transferret.“

5. Quae quum dixissem tum illi: „Tu vero, qui totus in palaeographiae studio versaris, cave pulcherrimam artis criticae operam despicias; qua viros etiam summos optime de literis meritos esse nemo ignorat. Quam misera, quaesumus, veterum scriptorum sors, quam foeda optimorum librorum, quos merito classicos appellamus,

exstaret facies, nisi tot tantaque menda, quae sive librariorum sive aliorum manus hominum iis intulerat, criticae ope artis essent sublatae. Sed quid impedit quo minus argumenta, quibus usus es, breviter in te ipsum retorqueamus? Tene scilicet philologos egregii arguere ausum erroris? qui palaeographus in consimili, adeoque majori versaris eo quod antiquas interpretaturus inscriptiones summa quidem religione omnes literarum apices servas, sermoni autem barbaras obtrudis locutiones, quibus grammatica omnisque scribendi ratio repugnat. Nec linguis solum minus cognitis ista adfingis, sed Graecae etiam et Latinae, quarum totam rationem et indolem jam pridem tenemus perspectam."

6. Quae quam argute ab illis in me dicta essent equidem sentiens minime tamen iis turbatus, quod in promtu erat, responsum reddidi hocce: „Quodsi omnia quae dicitis, viri praestantissimi, concedere oporteret, et laudata vobis illa linguarum castitas ex priscis etiam temporibus nobis comperta atque explorata esset; profecto ex omni hac disputatione certius nihil colligere liceret, quam beatorum esse medium ut teneant. At vero argumentis meis nequaquam similia videri illa, quae in palaeographos rejicere tentastis, sed prorsus diversa paucis jam exponam. Vos nempe ego de vi literis illata accusavi: a vobis autem ipse reprehensus sum in eo quod sermoni barbaras locutiones obtruderem. Interpretis igitur in deliberationem cadit, utra via sese expedire velit ex istis inscriptionum tenebris. Obscuritatis enim causa quaerenda ipsi erit, vobis quidem auctoribus

in literis perperam exaratis, me autem arbitro *in sermonis vitio* et *in ratione scribendi a recta persaepe abeunte.* Quarum obscuritatis causarum admodum inter se disparilium utra vero sit similior, judicium quidem stet penes eum: hoc tamen meminisse velim, literis, quandoquidem ipsos sub sensus cadunt, nihil esse manifestius. Quoties autem argumenta inter se pugnant, quorum alterum ab eo ducitur, quod sub sensus cadit; alterum ab eo quod sola opinione nititur: praeferendum huic esse illud, vos quoque viri clarissimi censebitis. Nemo enim jam ignorat, a criticis, libros etiam scriptos, quos non authenticos esse patet, audacius immutantibus, sexcenties esse erratum, quum ex ingenio vel temere concepta opinione verae lectioni falsam substituerent, aut scripta a veris suis auctoribus abjudicarent. Quod quidem, ut omittam ceteros, viris accidit quam celeberrimis Ernestio inprimis et Graevio, Ciceronem, ut insigni utar exemplo, perperam corrigere ausis, Wolfio etiam veras illius epistolas supposititias esse arbitrato. Quid? quod nomina etiam propria, quorum tamen etymon ob peregrinae linguae ignorantiam neutiquam noverant, immutare sunt conati; quo factum est ut nomen Θωυϑ, quod optime scripserat Cicero (*v. infra* §. 227. 603.), a nasutis censoribus deinde corruptum hodie perperam legeretur Θωϑ. Scilicet omnino ignorasse videntur, quod vel a barbaro scriptore Martiano Capella discere potuissent, Philologiae matrem esse Phronesin! Verum usque eo quorundam processit tum veteres, tum recentiores scriptores corrigendi libido, ut ex vobis ipsis eam impro-

bantes exsurgerent, qui libris suis „de Latinitate falso suspecta“ et „de Latinitate restituta“ restituendas esse censerent quum voces, tum locutiones, temere proscriptas ab eis scilicet, quibus omnia se legisse persvasum esset, neque unquam bene dici potuisse, quod ipsis adhuc esset ignotum, putarent. Unde in libris quoque classicis, qui cum notis variorum editi sunt, quilibet vestrum observaverit, permultos locos ab aliis pro corruptis habitos atque omnino corrigendis, ab aliis non solum defensos, sed omni etiam jure auctori restitutos esse. Illa denique de linguarum castitate semper religiose servata quae quosdam cepit opinio tantum abest ut vera sit et stabilis, ut infirmam et a vero quam maxime alienam esse permultis et manifestis doceri exemplis possit.“

Quibus a me dictis illi quidem subridentes non nisi haec regere- 7.
bant: „Artificium, quo usus es, probe perspicimus. Neque enim quisquam negare poterit, neque nostrum est dissimulare, oculos longe veriores testes certioresque esse, quam reliquos hominum sensus, ac formam etiam literarum a quocunque perspici posse, quantumvis rudis ille sit et illiteratus. At vero quod de linguarum ratione et indole judicium ferendum, hoc nobis sumimus, qui tot scriptorum praestantissimorum libris perlectis omnem quum loquendi, tum scribendi usum probe noverimus. Et licet concedamus necesse sit, linguarum castitatem non semper fuisse servatam; nemo tamen unquam nos eo adducet, ut a priscis contra ipsius grammaticae leges in scriptis suis peccatum fuisse credamus. Nec tu probe

perpendisse videris, omnem veterum monimentorum interpretationem prorsus incertam fieri, si cuilibet licentia concedatur illis sermonis vitia vel insvetam orthographiam pro lubitu affingendi."

8. Quae quum dixissent tum ego, ut ad finem disceptationem adducerem, novissima verba haec feci: „Insanus profecto essem, si vos, qui primas nunc inter philologos occupatis, aliis linguarum peritia antecellere negarem. Immo persvasum habeo, vix reperiri posse censores, vobis magis idoneos, qui judicent ea, quae *hodie* recitentur. At vero omnino alia est quaestio de iis, quae *olim* sunt scripta, quaeque, quo magis optimorum scriptorum libris vos eruditos et optimo dicendi generi adsvetos esse affirmatis, eo minus a vobis esse cognita, haud sine causa suspicor. Certe, ut de priscorum ratione dicendi et scribendi recte judicemus, distinguendum nobis est inter varia monimentorum genera. Sunt enim quae a prima manu profecta hodieque servantur, ut lapides, numi, gemmae, et chartae publicae, quae diplomatum nomine vocantur. Sunt alia, quorum autographa jam diu periere quaeque non nisi ex illis exscripta legimus, cuius generis sunt omnes fere libri. Quos quidem a grammaticis et criticis iterum iterumque correctos, haud mirum est meliorem nunc formam prae se ferre, quam illa. Atque eo vos decipi arbitror, quod, qui solis libris legendis adsveti sitis, illa autem monimenta vel ignoretis, vel propter barbarum passim dicendi genus, negligatis, falso vobis persvadeatis et grammaticae et orthographiae leges ut nunc, ita olim observatas esse. Quare videte ne tota

vestra corruat argumentatio. Quum enim, omnem inscriptionis interpretationem, si quid in ea sit barbare dictum vel a grammaticae legibus abhorrens, falsam esse contendatis; propositio vestra generalis (*inductionem* vocant), haec est: nullam exstare inscriptionem, in qua barbare aliquid dictum vel contra grammaticae leges peccatum fuerit. Adversus ejusmodi autem ratiocinandi genus si ostendi potest, esse universi aliquam partem (unicam saltem inscriptionem), in quam non cadat quod erat propositum; tota argumentatio refellitur. Ego vero, quod majus est, contendo, nihil tam barbare dictum, nihil tam soloecum et vitiosum unquam excogitari posse, quin legatur in permultis monimentis, quibus, quum ipsa authentica adhuc exstent, audacem manum admovere criticis non licuit. Quae quamvis pro certo affirmare possim, verbis tamen meis ut fidem temere habeatis nullus rogo quoniam omnia ut vobis ex industria probem ipsa res postulat. Quum vero ut hoc probandi officium praestari queat, quaerenda mihi sit ex omni monimentorum genere vis exemplorum major, quam ut brevi temporis spatio cuncta argumenta colligere possim; peculiari aliquando libello fidem meam me liberaturum esse polliceor. Quod dum molior, vos vobis persvadeatis velim, me neutiquam omnem artem criticam, ac minime quod ad libros scriptos, respuere: sed id tantum agere, ut contra virgulam illam quasi divinam intercedam, qua critici in monimentis authenticis literas alias aliarum in locum transire jubent, et contra abusum pugnem falcis illius, quae ad secandas et desecandas literas quibus-

dam semper fere ad manus est, jactantibus corrupto loco se medicinam afferre. „At vero „non est ea medicina," vester inquit Cicero, „quum sanae atque integrae corporis parti scalpellum adhibetur: carnificina est ista." Qua propter licet non sim nescius, fuisse omni fere tempore, nec hodie deesse scriptores et artifices, qui verba a se scripta ipsi non intelligant, ideoque istos etiam peccare potuisse; sagacioris tamen judicii esse censeo, discernere sermonis vitia, quae non nisi communi temporis vel regionis vel singulorum hominum consvetudini tribuere debeamus ab iis erroribus, quorum culpa teneri artifices et sculptores videantur. Quod quidem discrimen in Graecis et Latinis inscriptionibus lucidius animadvertere licet, quam in iis, quae compositae sunt lingua aliqua nobis minus familiari. Illorum enim monimentorum copia major est, indeque sermonis cognitio facilior, cujus ope observari possunt verba saepius eadem redeuntia ac triti in genere dicendi errores, quos neque scribentium neque artificum, sed ipsorum auctorum esse, recte ita colligitur. Quare in inscriptionibus Latinis priorum post Christum natum seculorum si quis ista: *„Cum quem vixi,"* — *„Cum quam feci,"* — *„Quae cum maritus fecit"* vel *„De donum Dei,"* vel *„hunc theatrum, hunc prodigium, hunc sepulchrum,"* cet. errori artificum tribuere, literasque criticorum more mutare vellet, nonne merito hujus inscitia ab omnibus rei peritis accusaretur? Ita enim tum voluit usus

„per quem est arbitrium et jus et norma loquendi."

In Latinis quidem aperta res est: faciamus autem in monimento aliquo Punico, vel Coptico similia sermonis vitia legi; quis quaeso unquam erit, qui lucide nobis demonstret, ex artificis magis, quam ex auctoris errore illa menda emanasse? Quod tandem attineat ad illud, quo ultimo loco adversus me usi estis, argumentum, arbitrariam fieri omnem interpretationem, simulac aberrasse auctorem a recta dicendi ratione statuere cuilibet interpreti licuerit, equidem a vobis, qui saluberrima etiam abusui obnoxia esse bene noveritis, hoc quaerere cupiam, num forsan omnem cultrorum vel ensium obtundendam esse aciem idcirco censeatis, quod infantium aut mente captorum vel furiosorum in manibus plurimum inde mali nasci possit? Praeterea nunquam in mentem mihi venit, ut promiscue omnibus concedere vellem potestatem *affingendi* (ut verbis utar vestris) veterum scriptis vitia sermonis: sed rei peritorum potius esse censeo, momenta quae modo proposui perpendere, et quot qualiaque in sermonem vitia irrepere vel potuerint, vel vere apud diversi generis homines et variis terrarum in regionibus illata fuerint, internoscere. — Quare omnibus probe consideratis et aequa lance perpensis, utique melior esse videtur causa palaeographorum, literas scriptas tuentium, quam criticorum, alias eis pro arbitrio substituentium."

Atque is colloquii nostri tum exitus fuit. Nec quemquam fore 9.
arbitror qui miretur, palaeographum literas tueri scriptas, siquidem hic ab aris et focis ferrum depellens non nisi officio suo fungitur. Quoniam autem ut intelligantur ea, in quibus philologi artem cri-

ticam perverso isto modo exercentes sint reprehendendi, exquisita linguarum cognitione non opus est; sed oculi sufficiunt soli; nentiquam me poenitet, eadem de re amicum, qui in Berolinensi Graecarum inscriptionum collectione adornanda primas partes egerat, monuisse; licet Graecae linguae peritia illius tanta sit, ut vel minima, qua pollet, parte acquisita ego contentus essem. Neque aegre tulit monita vir egregius, quippe bene gnarus me non id egisse, ut vituperandi libidinem exercerem, sed ut veritatis potius viam cuique apertam et liberam servarem. Attamen exsurrexit vir alius pariter doctus, qui in relationibus eruditorum Gottingensibus illum defensurus „laudandam esse“ contendit „istam licentiam, quippe ex qua praesertim agnosci posset acutum interpretis ingenium.“ Haec ille quidem; sed videat, ne adulatoris magis, quam veri amici partes agat. Nonne enim a fine, quem sibi proponere debet quivis interpres, omnino aberrare dicamus eum, qui quid ingeniosum, non quid verum sit, quaerat? Atqui verum esse, quod cum literis scriptis pugnet, quis est qui ut hoc probet, aliquid saltem argumenti afferre possit? quum ne species quidem veri in eo lateat. Multo igitur minus probi interpretis officio fungitur, qui, non quod scriptum exstat, sed quod scribi potuerit, vel pulcherrimis et *felicissimis*, quas venditant, conjecturis, explicare studeat. Etenim mihi quidem iste simillimus videtur equiti illi Hispano, qui vires in molis, quae alatae appellantur, exercuisse fertur: vel certe comparandus qui delet et commutat, quae vere sunt scripta, cum Archagatho, primo

apud Romanos medico, „á cujus secandi urendique saevitia“ teste Plinio, „illud vulnerarii in carnificis nomen transiit.“ Sed nolim ulterius rem prosequi; quiescant placide, quibus ita somniare, atque istam pro Junone nubem amplecti volupe est.

10. Serio deinceps de faciendis quae promiseram mihi cogitanti opportune cecidit, ut lamella quaedam ad me transmissa occasionem praeberet amplificandi materiam illam et uberius tractandi. Cujus quidem lamellae fata haec fuerant: Inter Friburgum Brisgaviae et Basileam vicus est Baden olim, nunc Badenweiler appellatus Romanisque jam notus aquarum salutarium causa, quas illi ubicunque terrarum essent, nunquam insalutatas praeteriere. Quo quidem loco ex balneorum a Romanis constructorum ruderibus, anno MDCCLXXXIV detectis, effossa illa est lamina argenti pertenuis quidem, literis tamen Graecis signisque incognitis inscripta. Quod quum compertum haberem, curiosior quaerere coepi, quae tandem hujus laminae sors fuisset? Ab amicis deinde certior factus, Carlsruhae eam in bibliotheca Magni Ducis asservari, a summo officiorum in aula magistro, cui suprema rerum in bibliotheca repositarum cura demandata est, petii, ut illud monimentum mihi domi examinandum traderetur. Benigne quidem satisfactum petenti est, sed addita lege, ut explicarem quae inscripta essent. Quod quidem jubere quamvis facilius esse sentirem, quam exsequi; ne tamen officio meo deesse viderer, laminam accuratius inspicere coepi, et ex literis verba ut elicerem operam dare. At vero istae, quamvis Grae-

cae, nullum tamen verbum Graecum efficiebant, sed Latina quaedam Hebraeis mixta. Nomina tandem Sabaoth et notissimum Ia, ter repetitum, primum me adduxerunt, ut conjicerem amuleti loco habitam esse hanc laminam.

11. Quoniam autem vix explicari poterit monimentum aliquod obscurum, nisi perspectis aliis ejusdem generis; adeunda mihi erat ingens illa amuletorum copia, qua omnia fere in Europa musea impleta sunt (§. 62. *et Montfauc. ant. explic. II.* 353. 357. *Caylus II.* 40. *Molinet. bibl. S. Genov. p.* 119. *Scaligeri epist.* 226. *p.* 447. *Berger. de mon. musei Dresd. p.* 19. *alii*). Pluribus denique perspectis non solum illa, quam contra philologos defenderam sententia evidenter mihi confirmata est; sed hoc etiam praeterea expertus sum, difficillimam esse interpretationem eorum, q u a e a l i e n i s a s e r m o n e l i t e r i s s c r i p t a exstant. Qua de re quum nemo adhuc curatius scripsisset, eademque de causa permultae prisci aevi reliquiae, quasi folia essent Sibyllae, intactae adhuc et haud intellectae in museis jacerent (§. 15): haud ingratam fore operam arbitratus sum, qua hanc non solum materiam tractarem, sed ei etiam adderem argumenta, quibus dilucide demonstraretur, in permultis inscriptionibus neque sermonem purum neque ipsas grammaticae et orthographiae leges esse servatas, minime igitur palaeographum in eo reprehendendum, quod ad literam verba in monimentis inscripta reddiderit, quantumvis sint barbara aut perverse inter se juncta.

12. Atque haec perpendant velim isti linguarum magistri, a Stra-

bone (*L. I. ad nomen Ἐρευβοι p. m. 38. f.*) jam notati, qui quemcunque monimenti alicujus locum intellectu difficiliorem illico emendare, aliorumque maxime scripta acriter perstringere conati in mentem nobis saepe revocant Sexti Empirici (*I. 5. p. 257.*) haec verba: „de grammaticae artificio magnifice se jactant grammatici; eos autem semper insectantur, qui sunt aliis ornati disciplinis, ut qui ne Graecorum quidem communem usum sciant ac consvetudinem: atque etiam propterea si quando premuntur aliqua quaestione saepe non inveniunt aliam evadendi rationem ad eos revellendos, qui cum ipsis disputant, quam quod barbara et soloeca sint ab eis dicta.“ Sed dimittamus bonos illos viros sine ulla contumelia, memoresque simus dicti Pythagorei: „Ignem gladio nolite ferire!“

CAPVT II.

De interpretandis amuletis quid sentiant viri docti.

In omnibus monimentis, quibus verba sunt inscripta, his non in- 13.
tellectis, imaginum tantum tentata explicatio semper fere dubia manebit (§. 522). Atque in amuletis id maxime observari potest, quorum inscriptiones explicatu difficillimae et aenigmatum loco adhuc habitae sunt, ita ut doctissimos etiam viros ab illorum interpretatione absterruerint. Quos inter Josephus Scaliger (*in epist. ad M.*

Velser. p. 378. 379. *et in opusc. ep. ad Casaub. p.* 530.) hanc aperit sententiam: „amuleta ista nemo intelligit, nisi qui facienda curavit, et frustra illis intrepretandis opera datur.“ Quae viri doctissimi opinio tam Spencero (*ad Orig. c. Cels. p.* 77.) quam Caylo (*II. p.* 59,) adeo placuit, ut iisdem fere verbis eam repeterent. Pariter Fabrettus de hoc monimentorum genere (*inscr. p.* 551.) disserens „in iis verborum monstris“ ait „sensum quaerere operam esse aperte ludere.“ Mariettus (*pierres grav. II. n.* 69.) ad amuletum quoddam adnotat „inscriptis ei literis omnino nihil significari:“ id quod per totum opus ubicunque de monimentis hujus generis verba facit, asserere audet, illasque non nisi fortuito huc illuc esse sparsas persvadere nobis conatur. At vero aperte in amuleto illo, quod proposuerat, legitur *ΦΥΛΑΞΟΝ:* quas quidem literas fortuito etiam junctas esse certe non dixisset, si eis legendis operam dare voluisset? — Macarius (*p.* 25. 29.) „literas gemmis inscriptas“ ait „vocem non edere.“ Chiffletius (43) „in gemmarum“ inquit „inscriptionibus magica plerumque inest obscuritas, atque affectata barbaries, nec alibi divinationum aut conjecturarum impunitas major.“ Galeotti (*ad Ficoroni gemm. liter. p.* 70), non nisi nomine *ΙΑΩ* in gemma quadam intellecto, „quid sibi velint“ ait „reliquae literae superstitiosae, docere velle, stultum omnino esse“ et (*p.* 5.) „multa in veterum gemmis reperiri, per quae Abraxeorum praesertim superstitionibus imbuti homines sensa mentis invicem indicaverint. — Quam ob rem si quis ea interpretari conaretur, idem plane esse ac velle argumentis

rationibusque adhibitis somnia delirantium exponere." Sed unde, quaeso, iste collegit, *superstitiosa* vel *delirantium* esse quae ne intellexerat quidem? Passerius (*ad Gorii gemm. astrifer. II.* 213.) amuletum quoddam describens: „inscriptio" inquit „ut ceterae omnes, quae in hisce amuletis occurrunt, nemini adhuc perspicua, utpote quae nec sensum nec sonum reddit." Similiter alio loco (243) „veterum testimonio" ait „se moneri, voces illas imperceptibiles atque ingenii tormenta esse." Nimirum Chiffletium respexit, qui (*p.* 43.) scriptorum veterum magnam quidem copiam laudat, quorum tamen verba cum gemmis nostris nihil habent commune. Boettigerus denique (*Deutsch. Merk.* 1795. *IV. p.* 355.) gnosticorum insaniam iis contineri quoque sibi persvasit.

Alii, nunquam confessuri, antiqua monimenta reperiri, quae a se haud intelligantur, ignorantiam suam pietatis nomine celarunt et praetexuerunt. E quibus Kircherus explicatu difficillimum amuletum (*ap. Chifflet. n.* 69.) sese intelligere simulans (*in arithmol. p.* 187.) ita loquitur: „Adjurationem quae sub hisce nominibus absconditur, uti et numericum ratiocinium, consultius aeternis tenebris, quam luci publicae consecrandum duxi." O! hominem vaniloquum et inania venditantem verba! Consultus etiam idem de verbis gladio Gustavi Adolphi inscriptis (*G. Wallin de glad. G. Ad. Diss. II. p.* 47. *not.*) postquam quaedam interpretari ausus est, pergit: „reliqua particularia, cum ad aedificationem non sint, silentio supprimenda existimavi." — Similiter Olaus Wormius (*in fast.* 14.

Dan. p. 134.) scribit: „Coronidem huic volumini imponunt duorum amuletorum characteres, quos ad omnem superstitionis ansam praecidendam omittere consultum duximus." Verelius etiam (*runograph. c. VI. p.* 20.) ubi explicandae ei magicae runae erant, non nisi haec affert: „quarum elementa cum suis nominibus ad perpetuas relegamus tenebras." Qui pius sane erat simul atque facilis modus expediendi se ex difficillimo interpretandi negotio!

15. Missis istorum quidem effugiis, si quis me deterrere potuisset a studio illas gemmarum inscriptiones explicandi; sane deterruisset doctissimus Eckhelius, qui (*Choix de pierr. grav. p.* 62. *not.*) „inscriptiones has perplexas et ambiguas" appellat „quas sanae mentis nemo unquam interpretari tentaturus sit (*inscriptions énigmatiques, qu'un homme de bon sens n'entreprendra point d'expliquer*)!" Quibus verbis ipsis ille hanc qualemcunque opellam meam jam praejudicasse videtur. „Sed jacent" ut ait Cicero (*Tusc. I.* 2) „ea semper quae apud quosque improbantur;" atque iisdem verbis mihi uti liceat, quibus praestantissimus Spanhemius (*de praest. num. ab init.*) similem in numis explicandis reprehensionem egregie diluit. „Insita," inquit, „illa humanis, et frequentius maximis etiam ingeniis, consvetudo dicam an labes, ut quae ignorant, contemtu strenue ulciscantur; et ea solum apud eos commendationem habeant, ad quae vulgo illos, aut vitae institutum, aut naturae propensio revocavit. Diversa rursus aliorum ratio est, qui, vel usu, vel opportunitate ad tractanda id genus monimenta destituti, non contemtu illorum, sed

mera ignoratione in sequiorem sententiam de illis adducuntur." Judicium pariter aequum fert Bergerus, qui (*de monim. musei Dresdensis p.* 19.) „esse" ait „plures gemmas, quae a viris saepe maximis ad incognita referantur, eoque nomine appellentur, donec exsistant, qui feliciori industria earum rerum cognitionem e temporum caligine erutam, tradant." Sint igitur licet quam maxima impedimenta, quo minus enodatius explicari possint amuleta: laudabilius tamen esse arbitror, difficultatem qua laboret interpretatio vincere velle, quam taedio veri investigandi defatigatum in illis tenebris acquiescere. Quas si penitus dispellere mihi non sit datum, hoc tamen spero fore, ut ostendam, non omnia amuletis inscripta verba interpretis operam frustrari.

Utique facem nobis jam praetulit doctissimus Bellermannus, 16.
Berolinensis, qui post adlatam a tot tantisque viris opinionem de inextricabili sententiarum in amuletis obviarum sensu primus (*tribus programmatibus, quae de gemmis imagine Abraxas insignitis, a.* 1817 — 1819 *vernacula lingua scripsit*) meliorem viam ingressus amuletis quibusdam lucem afferre instituit. Cui quamvis non possimus in omnibus, quae docuit, assentiri, grata tamen mente profitemur, hoc illi nos debere, ut animum nobis erexerit, et ad periculum in explicandis illis monimentis faciendum paratiores promptioresque nos reddiderit.

Ac primum quidem quum amuletorum interpretationem diffi- 17.
cillimam esse viderem, difficultatis causam anquirens facile per-

spexi, ipsam quidem literarum formam vix quemquam nisi prorsus imperitus sit morari posse: sed rationem potius quum dicendi tum scribendi, atque imperfectam etiam cognitionem rerum, quae istis contineantur monimentis, impedimento esse, quo minus verba inscripta intelligantur. Quae quum ita sint, negotium hoc a philologis magis, quàm a palaeographis, suscipiendum erat. Illis autem interpretibus post tot seculorum decursum frustra exspectatis, equidem eorum munus subire conatus sum: quo si forte minus recte functus fuerim, in alieno hoc negotio excusatum me habituros esse viros eruditos confido. Qui enim aliorum officio suscepto omnia circumspexi, nihilque eorum quibus pro virili parte quam diligentissime provinciam illam administrarem praetermisi, hoc quidem facto

„ego contentos augurer esse deos."

CAPVT III.

Num gnostici fuerint amuletorum auctores?

18. Amuletorum interpretationem utique praecedere debet praefatio, qua edoceantur lectores, quo referendum sit istud monimentorum genus. Etenim communis fere plerosque opinio cepit, gnosticorum mysteriis omnia illa adnumeranda esse. Quae utrum vera sit opi-

nio, an falsa, si disquirere volumus, tum illorum hominum doctrinam, tum ea quae amuletis contineri solent, probe tenere nos oportet. At vero eos, qui illam opinionem amplecterentur, neutrum cognitum habuisse plura faciunt ut credam; augentque suspicionem vel confirmant permultae gemmarum inscriptiones ab illis vel minus recte, vel omnino non intellectae.

Ac primum moneamus necesse est, ne vera quidem amuleta 19.
omnia illa fuisse, quae a viris doctis temere et inconsiderate eis adnumerata sunt. Ita maxima certe incuria vel negligentia fuit Chifletii, qui (*in lil. Franc. p.* 140.) argentum quoddam quadratae formae in Childerici sepulcro repertum, in quo praeter hunc characterem



nihil prorsus insculptum est, ejusdem regis amuletum fuisse contenderet. Quodsi quaesiveris unde hoc didicisset, leges, „Childericum levem fuisse et crudelem, et charactere illo imaginem repraesentari amphisbaenae!“ — Qui quidem character licet facilius pro litera S, ex genere earum, quas calligraphicas vel ornatas vocant (*Nov. op. dipl. II. Tab.* 19) accipi possit, faciamus tamen serpentem eo denotari! — Quid tum? An aliquo modo sententia, omne mo-

nimentum, in quo serpens pictus, ad amuletorum genus esse referendum, defendi poterit? — Haud majori jure Passerius (*II. p.* 166.) gemmam, in qua Siren sola insculpta est, huc refert addens „*amuletum hoc* (?) praesertim adolescentibus convenire, ne eis malum, vera mundi pestis mulierum illecebrae importarent!!"

20. Pari temeritate Mariettus (*II.* 7) gemmam quandam pro amuleto venditans multus quidem est in coeca reprehendenda superstitione: sed aliquod potius argumentum afferre debebat, quo nobis probaret, amuleti loco illam fuisse. Nemo enim quisquam hoc credet, qui praeter Jovem et Dianam Ephesiam inter Solem ac Lunam positos in gemma nihil omnino reperierit. — Fabrettum etiam, virum egregium, nescio quis malus abstulerit error, qui (*p.* 594.) lapidem alabastritem sic ab artificis manu elaboratum



pro amuleto nobis proponeret. Vox enim ζησῃς sonat „Vivas" (*Buonarruot. vasi p.* 205), et donum prodit amico datum, cujus generis permulta in museis exstant exempla. Quibus adnumeranda etiam est gemma quaedam (*ap. Rasp. n.* 6222.) in cujus antica insculpta quidem est Venus marina; in postica autem legitur: *Εὐτυχως δια βιου.* Similiter perperam inter amuleta repositae sunt gemmae

(*Spon. misc. p.* 297.) inscriptae tum Graece „*Κυριε* et *Κυρια χαιρε; Μνημονευετε; Μνημονευε; Της καλης τυχης; Φως μοι Θεατρῳ;*" tum Latine „Hospita felix vivas; Pignus amoris habes; Vivas in deo; Vita tibi; Vtere felix" al.

Addendus viris illis praeter multos alios, quos infra saepius 21.
notabimus, Raspeus, (*n.* 630.) gemmam memorans, in qua haec sunt incisa:

ΠΑΝΦΙΛΙΟΣ
ΤΥΡΑΝΝΟΥ
ΠΑΡΑΔΟΞΟC
ΕΚΑΤΗΕΠΗ
ΚΟΩΕΥΧΗΝ

Quae si intellexisset, profecto gemmam, quae votiva est, non inter magicas et amuleta retulisset. *Τυραννος* enim nomen viri omnibus notum (*Boissard. V.* 12. *Murator.* 513. 1. *Schow chart. papyr. p.* 8. *Appollodor. L.* 2. *p.* 97. *Act. apost.* 19, 9), sicut Tyrannia nomen feminae (*Maffei Galliae ant.* 50.). Quod sequitur *παραδοξος* scriptum aliquis forsan dixerit pro *παραδοξως*, quum servatores dii praeter exspectationem etiam opem ferre dicerentur (*Cuper. Harpocr. p.* 158): sed nihil mutandum. Verba enim extrema (*κατα*) *εὐχην* isti interpretationi omnino repugnant. Pamphili potius honorifica ea est appellatio, athletis dari solita. (*Falconer. inscr. athlet.* 43. 84. *Cuper. observ.* 25. *Reines.* 314.) — *Ἐπηκοος*, pro quo et *ἐπικοος* (*Corsin. not. Gr.* 32 *f.*) reperitur, epitheton deorum ab antiquissimo inde fuit

tempore. Unde eos advocandi formulae illae „Baal exaudi nos! *Σεραπι ἀκουε*" et Christianorum deinde (*Augustini epist.* 10) „Christe exaudi." Romani (*Gruter* 83, 9.) „exoratam" Isidem appellabant, quae eadem a Graecis *ἐπήκοος* (*Grut.* 7, 3. *Gor. inscr. Etr. I,* 81), perinde atque Artemis cognominabatur (*Grut.* 40, 10. *Boissard. IV.* 73. *Corsin.* 32. *f*). Tota igitur inscriptio sic explicanda esse videtur: „Pamphilus Tyranni (filius, vir) excellens Hecatae, (preces) exaudienti, (pro) voto (hanc gemmam dicavit)." Atque ex epitheto *παραδοξον*, et ex eo quod Hecatae gemma dedicata fuerit, mihi quidem persvadeo, contineri ea gratiarum actionem pro victoria vel palma ab hoc athleta relata. Eum enim qui Hecaten invocaverit ingentem sequi honorem Hesiodus (*Theog.* 418) jam docuerat, apud quem (*v.* 435) et haec leguntur addita: „Bona insuper, quando viri *in certamine* colluctantur, dea illis praesto est, atque juvat. Qui *vicerit* vero virtute et robore pulcrum *praemium* facile fert."


22. Sed gravior etiam error eorum est, qui varia monimenta, sive vera fuerint amuleta, sive per ignorantiam pro amuletis habita, gnosticis illico tribuunt, nullis licet notis insignita, quibus gnosticorum doctrina vel ritus agnoscerentur. Inter sexcentas enim, quae gnosticis adscriptae sunt, gemmas vix unam vel alteram reperiri mihi licuit, quam vere ab illis profectam esse firmis ac sufficientibus argumentis probari possit. Notandus hic Chiffletius in libro „Abraxas" inscripto, quem infra quam saepissime censebimus. Notandus et Capellus, in cujus libro, quamvis gemmas Basilidianas et amu-

leta eo contineri indice praefixo affirmet, nihilo minus gemmarum legeris inscriptiones, quae ne quidquam cum amuletis commune habent, ne dum ut a gnosticis profectae fuerint contendi possit, e. g. *Αϑηναιδι δωρον* (§. 207); Fortunae imagini adscriptum „Teresi" (*n.* 37); equorum nomina „Noricus" et *Ιλαρος* (§. 210); nomen *Σευηρου* (*n.* 96); Secundi (*n.* 134); Lucilianis vita (*n.* 145); *Ἀσκληπιαδης* (*n.* 151. 201. 224); Castori (*n.* 162); *Νεικατωρ* (*n.* 163); *Καλλιστου* (*n.* 175); Olympias Eutychiane (*n.* 176); Thalusa mecum est (*n.* 178); Platon (*n.* 179); Rodippus (213); Civitas (§. 204) Euhemerus (219), alia. Ipsam gemmam illam (155), in qua ab una parte imago Solis cum capite radiato, stantis flagellumque manu tenentis, conspicitur, et ab altera legitur *EICΓYC XPECTYC ΓABPIE ANANIA AME* (Jesus Christus Gabriel Anania amen), gnosticam esse nemo nuquam probare poterit. Etenim Ananiae nomen in aliis etiam Christianorum monimentis legitur (*Victor. diss. philol. praef. p. 5 et 7. not.* 3.) et Christum cum Sole comparari notissima res est.

23. Nec facile perspici potest, quo pacto inter amuleta gemmam retulerit Galeotti (*ad Ficor. gemm. lit. p.* 47. *n.* 18) in qua nullae insculptae sunt imagines, et praeter haec verba *ΘEC KAEΠTA* „Depone fur" nihil reperies. Ellipsis nimirum adest, et supplendum „hoc, quod obsignatum est." Pertinere itaque gemma videtur ad sigillorum genus, quo utensilia olim obsignarentur (§. 196). Miror etiam Gronovium, qui (*ad Gorl. I.* 41) in annulo quodam insculptum videns *ETEPOY*, nullo licet imagine addito, adnotet: „Ma-

gicum quid innuunt literae *ETEPOY*!" Nonne enim ex secundo casu, quo positum est nomen *Ἑτέρου*, colligere debebat, viri cujusdam, hoc nomine appellati, hunc esse annulum signatorium, minimeque illud nomen aliquam redolere superstitionem?

24. Nec magis scite in imaginibus dijudicandis versatos illos videmus viros. Ita Capellus inter gemmas, quas Basilidianis tribuit, retulit etiam quandam (*n.* 103) sine ulla inscriptione, cujus imago nihil aliud repraesentat quam Aegyptiorum morem corpus mortui condiendi, ex aliis monimentis (*Cayl. IV.* 14. *V.* 8. *Montfauc. suppl. II. tab.* 54. *Mem. de Trevoux Juin.* 1705. *T.* 9. *p.* 458. *Mem. de l'acad. des inscr.* 32. *ad. p.* 725) satis notum. Quaevis praeterea in gemmis suis figura, modo monstrosa fuerit, vel ipsi adhuc incognita, satis causae ei erat, cur gnosticis illico eam adscriberet. Exemplo sit (*n.* 154) haec:



Omnino legitur in postica ejus facie *ΜΕΛΠΟΜΕΝΗ.* Neque enim litera *E* retroversa (§. 212) neque Θ (§. 198. 199) legenti impedimento erit quominus sic legat. In antiquioribus sane scriptis non minus figuras ○ et ⊙ promiscue usurpatas viderit. Melpomene autem, quae hic sedens muliebri figura repraesentatur, quum a canendo appellata fuerit, os habet apertum canenti simile, atque Leonis capite insignita est, quo magis Ausonii (*Edyl.* 20, 2) versus exprimeretur:

„*Melpomene* tragico *proclamat moesta* boatu."

Eandem Ovidius (*amor.* 3, 1, 11) definit his versibus:

„*Venit et ingenti violenta Tragoedia passu*
Fronte comae torva, palla jacebat humi."

Quae in postica gemmae facie solis lineis negligenter sunt ad- 25.
umbrata pro musicis habeo instrumentis. Certe quod superiori loco hac forma  conspicitur, cum illo comparari potest, quod Causeus (*in mus. Rom. IV.* 3, *n.* 23) exhibet. Musicis etiam instrumentis in alia gemma agnitis nemo cum Liceto (*p.* 291) et Gronovio (*ad Gorl. n.* 517) Harpyam dixerit, quam Sirenem artifex esse voluit secundum illud Ovidii (*metam. V.* 552):

— — „*Vobis Acheloides unde*
Pluma pedesque avium cum virginis ora geratis?"

Ita et frustra disputarunt viri docti Creucerum reprehensuri de vera Sirenis figura, haud perpendentes variam illam fuisse pro vario poetarum et artificum ingenio, neque Sirenes discerni posse ab Harpyis, nisi externa aliqua nota omne dubium amoveatur, veluti lyra

addita in gemma quadam (*Passer I.* 134); vel verbis ipsis adscriptis in libro quodam (*Montf. diar. Ital. p.* 190. 191). Capelli autem gemmam ad satyricas referendam esse vel jocosas patet, quarum multas in Musco Florentino aliisque in libris videre licet. Simili pictores quoque satyrico genere usos esse tabula in Herculano reperta docet (*Millin galler. myth. II. Tab.* 173. *n.* 607), qua Aeneae fuga lepido hoc modo ficta est:



Observes velim volitantia pallia quae summam effugientium celeritatem produnt; Ascanii quoque pileum Phrygium, quo Trojani denotantur. Perperam enim Millinius hunc pro galea accepit; neque arcam praetermittas qua Anchises servatos fert penates. Ac sic quidem ipsos Romanorum heroes exlex ille artifex, simiarum specie pinxit atque — — „*jocum tentavit, eo quod*


Illecebris erat et grata novitate morandus

Spectator." — — —


26. Sed quo tandem modo Chiffletii caecitas, ne dicam ignorantia, excusari poterit, qui ex gemmis suis eas etiam haereticis adscripserit,

in quibus ne ullo verbo addito imagines sunt Solis (*n.* 3—5), ciconiae et lacertae (18), corvi (20—23), Harpocratis (25. 37. 59), Anubidis (50—53. 115), Hermanubidis (54), serpentis (63. 64), scarabaei (98), aquilae inter signa adeo Romana (101), canopi (103), Serapidis (106. 109. 110. 112—114), Mercurii (116. 117), quin etiam Romae victricis (107) aliaeque, quarum typi omnino similes in Graecorum Romanorumque numis ostendi possunt. Num forte et horum auctores haereticos fuisse dicamus? Certe major interpretis temeritas vel potius absurditas vix esse potest. Quapropter magnum miror Cuperum (*Harp. p.* 8) qui illius libro se in errorem adduci siverit.

Audiamus etiam Montfauconium antiquarum rerum sane quam peritissimum, in gnosticos hisce verbis, sed frustra, invehentem: „Irenaeus Epiphanius, Hieronymus, aliique patres haereticae gnosticorum impietatis speciem tantum dederunt: monumenta ab illis haereticis relicta, quae ad usque nostram aetatem devenerunt, multa nos docent, quae iis indiciis destituta in aeternam inducta oblivionem fuissent.“ Atque ut suum hoc de gnosticorum impietate argumentum ulterius persequeretur ad gemmam (*Tab.* 155) quam versa pagina videbis, haec commentatus est: „Quanta esset Basilidianorum (!) erga scarabaeos veneratio ex imagine arguitur, in qua mulieres binae ante scarabaeum stantes extensis manibus sunt quasi ipsi supplicantes.“ Haec ille, qui animal in medio positum pro scarabaeo accepit (*secutus eum Schmidt. de sacerd. Aeg. p.* 92 *et* 192), licet ranae sit similior: 27.



Sed quam tandem causam subesse voluit, cur judicare debeamus, depictas illas mulieres ex gnosticorum potius grege, quam alias fuisse quaslibet? Ac si hanc gemmam pro amuleto habendam esse omnino statuerat vir doctissimus, licet multum abesset, ut vel ea de re constaret; nonne ex Aegyptiorum doctrina, quam gnosticorum, tueri sententiam satius erat? Longe enim ante gnosticos similes apud Aegyptios exstabant imagines, quarum unam in papyro pictam ex bibliotheca Vaticana (*v. die Aegyptischen Papyrus aus dem Italienischen des Angelo Mai von Ludwig Bachmann. Leipzig* 1827. 4. *Tab. II.*) publici juris fecit Angelus Majus, vir perquam diligens, quem omnes eruditi eadem observantia, qua Isis olim Anubidem suum, prosequuntur. Illam igitur imaginem lectorum oculis hic subjicere non gravabor:




Atque in hac verum scarabaeum agnosco. Quod quidem animal Aegyptiis sacrum fuisse nemo jam ignorat, sed ranam non minus illos esse veneratos, cujus veriorem quam scarabaei formam in gemma illa conspicitur. Nimirum rana symbolum Aegyptiis erat quum generaliter humoris (*Plutarch. in Pyth. orac. p.* 399. 400), ex quo omnia oriri putabant (*Id. in placit. philos.* 1, 3. *p.* 875), quare loto etiam insidens in vase quodam (*Beger thes. III.* 186. *Montf. II. Tab.* 141) sic



picta est; tum Nili inprimis indeque omnis fecunditatis (*Zoega in num. Aeg.* 4. *sequ.*): quo crescens etiam Luna in gemma illa, quamvis imago angulata sit, referri poterit. Accedit quod Horapollo (1, 25) ab Aegyptiis fetum adhuc imperfectum rana quoque denotari tradit. Quibus si mulieres addideris in gemma manus ad coelum tendentes, amuletum hoc adjuvandae mulierum fecunditati fuisse conjicere licebit. Quot et quanta praeter ea mirabilia ranis magi adtribuerint Plinius (32, 5, 18) docet: quapropter haud erat, quod miraretur Caylus (*V. p.* 259) in tot gemmis (*Winckelm. catal. p.* 553. *Rasp. n.* 13354—57. 15726. *Passer. tab.* 145), in ipsius Maecenatis annulo obsignatorio (*Plin.* 37, 1, 4), in nummis praeterea (*Eckhel IV.* 47. 51. *Zoega l. l. Baudelot II.* 39. *Mionet tab.* 16. *Montf. suppl. III. tab* 48) aliisque monimentis (*Montf. II.* 338. 339. *Pignor. tab. Is. p.* 48) ranam videri insculptam. Haud quidem magni facio interpretationes a Leonardo Camillo aliisque recentioribus profectas, qui, sicubi antiquae alicujus gemmae imaginem conspexerant, virtutem ei insitam ex ingenio fingebant: sed ne illum prorsus praeterisse videar, haec ejus legantur verba (*p.* 54. *vers.*): „Ranae figura si in berillo sculpta erit, virtutem habet inimicos reconciliare et amicitiam inter homines ponere, si discordes erunt, si cum ea ipsos tetigeris" En nugas! —

28. Quoniam autem incertae immo falaces sunt omnes fere gemmarum interpretationes ex solis imaginibus institutae; de nostra quoque gemma certi quidquam statuere minime licebit. Aegyptium ar-

tificem ea neutiquam agnoscit, siquidem mulierum habitus et vestitus Graecum vel Romanum potius opus produnt. Deinde quid causae subesse censebimus ranae deorsum versae et coelo quasi decidenti? Num portentum aliquod imagine notare auctor voluerit, quod mirentur adstantes illae mulieres? Imbres ranarum certe Aelianus (*hist. animal.* 17, 41) memorat, quibus Autaritae, Indorum gens, patria extorres acti sint (*conf. Justin.* 15, 2): et quamvis ranas pluvia decidere neget (*ap. Photium* 1571) Theophrastus; Aelianus tamen (2, 56) haec refert: „Quum ipse a Neapoli, Italiae urbe, versus Dicaearchiam iter facerem ranae per pluviam in me sunt delapsae.“ Hactenus ille. Sed alias gemmas perlustranti, alia quoque mihi succurrit conjectura. Montfauconius enim (*Tab.* 155) ex suo ipse museo hanc vulgavit gemmam:




in qua imaginem medio loco conspicuam iterum pro scarabaeo haberi vult; quo concesso omnino facilior erit interpretatio. Quoniam autem haud distincta est figura, sed illi, quam ranam diximus deorsum labentem, perquam similis; erunt fortasse qui hanc agnoscere malint. Repugnare quidem videtur in altera gemmae facie claris literis additum *ΦPH*, Aegyptiacum nempe Solis nomen, cujus

symbolum minime erat rana. Attamen huic cum illa aliquam fuisse relationem ex eo colligi potest, quod quum Plutarchus (*de Pyth. or. p.* 400) miraretur Palmae sive Apollinis cum rana collationem; respondebat Sarapion poeta „innuisse simulacri opificem Solem nasci et ali ex humore et exhalationibus, sive is Homerum (*Odyss.* 3, 1) audivisset, sive Aegyptios vidisset orientem Solem exprimere picto puerulo, qui loto insideret.“ Loto enim aeque inest humoris symbolum atque ranae. Cujus denique deorsum versae causam quaerens incidi in locum apud Epiphanium (*phys. c.* 22. *Op.* 2. *p.* 219) qui „eam esse quarundam ranarum naturam“ refert, „ut, si Solis calor increverit, ferre illum non possint, ideoque in profundum sese dejiciant“ (*conf. Gabriae de ranis et Sole fab. p.* 241 *edit. Basil.* 1541 *Aesopi*). Quo fit ut conjici queat, imaginis in gemma auctorem hac rana Solis calorem denotare voluisse. — Quaecunque demum fuerit hujus vera significatio; hoc tamen ostendisse mihi videor, omnino futilem esse illam Montfauconii de gnosticis adlatam interpretationem. Alia viri hujus docti judicia prorsus inania, quae de gnosticis tulit, legas velim apud ipsum (*in Suppl. II ad Tab.* 53. *n.* 5. 6. *p.* 193. 194; *in diar Ital. p.* 353 *f.*) et conferas in primis librum illum plumbeum (*ant. expl. II. Tab.* 177. *p.* 379. *et pal. Gr. p.* 16. 180), quo Romae a callido quodam venditore deceptus erat; id quod miror doctos Berolinenses (*in corp. inscr. Gr. n.* 539. *p.* 487) non animadvertisse.

29. Ac similis erroris plura exempla Gorius quoque (*in inscr. Etrur.*

praef. p. 51) nobis praebuit. Ita in hac gemma, quam (*mus. Florent. II. tab.* 14. *n.* 4) edidit



Herculem, aquam amphora haurientem, repraesentari, nemo non videt. Cui imagini si nihil adscriptum esset; equidem de aquis calidis cogitassem, quibus Herculem praefuisse, teste Athenaeo (12. *p.* 510) veteres memoriae prodiderunt (*Eckhel VII.* 213). Unde et numum interpretor Commodi (*museum Flor. IV. tab.* 47), in quo praeter alia Herculi adtributa fontes etiam conspiciuntur, quos miror Eckhelium in descriptione hujus numi (*VII.* 131) omnino praeterisse. — Sed in gemma dilucide adscripta vox est *αἰωνα*, quas literas Winckelmannus (*in catal. p.* 286. *n.* 1767) easdem quidem sed paulo aliter hoc modo formatas AωOIA delineavit, testatus ab eodem artifice tam imaginem, quam literas esse incisas. Raspeo igitur (*p.* 355.

5 *

n. 5918) *ANOLA* legenti fides deneganda erit. *Alora* autem ab *alorao*, haud dubie vertendum est „Perfunde" sive „Irriga." Jam vero ex Diodori bibliothecis (4, 18) compertum habemus, inter praeclara beneficia, quibus Hercules homines sibi devinxisset, et hoc fuisse, quod circa Tempe aquas undique exceptas apte derivando Thessaliae campos amoenissimas reddiderit. Pariter alibi foveas, quibus aqua e campis defluens exciperetur, ab Hercule factas (*Pausan.* 8, 14, 2), Cephissumque amnem in campos ab eodem versum esse (*Id.* 9, 38, 5) traditur, atque ipsis etiam numis (*Seguin. p.* 164) ejusmodi ejus opera celebrantur. Quorum factorum fama homines facile eo adducere potuit, ut irrigandae terrae officium ei demandarent, vel potius ab eo expeterent. Atque haec quidem mea de illius inscriptionis sensu conjectura est. Audiamus nunc Gorium, qui in omnia alia abiens suam de illo vocabulo disputationem (*p.* 40) his finit verbis: „aliquid magis reconditum praefert (illud vocabulum) si cum *Ω* legatur *αlωrα*, seculum, vel potius *αlωrας* unica litera *ς* praetermissa (immo supplenda), explicaturque, ni fallor, *impium* Valentini *haeretici* commentum, de quo beatus Hieronymus audiendus, qui de portentosis fabulis Marcionis, ejusdemque Valentini et Basilidis disserens *hanc gemmam*, quae ex eorum doctrinae regulis forte inscripta est, *mirifice illustrat*." Qua inepta (de Hercule Valentiniano!) explanatione perlecta quis erit, quin mecum exclamet, quousque tandem affectata ista pietas, immo maxima imbecillitas, doctissimos etiam viros abducet, judiciumque eorum omnino prostituet!

Ne vero nimis in istis erroribus detinear, exemplis illis hoc so- 30.
lum addere lubet. Permultae circumferuntur gemmae in quibus Apollinis symbolum, corvus nimirum (*Aelian.* 1, 48. *Albric.* 4. *inter mythogr. Lat. II.* 304. *Fulgent.* 12. *p.* 44. *Cuper. apoth. Hom.* 248. 249) lauri ramo insidens, incisus exstat. Atque plures exhibuit Chifletius (*Tab.* 5. *n.* 20. 21. 22. 23.) quarum una haec est:



Quod quidem symbolum licet virum doctissimum non fugerit; odio tamen in haereticos eo adductus est, ut omnium illarum gemmarum auctores (*p.* 72) Basilidianos diceret, et suam illarum interpretationem hisce verbis terminaret: „Quas nimirum nugas et gentilium superstitiones etiam in symbolis usurpabant mali discipuli a malo praeceptore profecti Basilidiani, mali corvi, mala ova!" Quo patet corvi in gemmis imaginem ex hujus viri opinione non nisi Basilidianis tribuendam esse, quod sane ridendum. Nec in hac re sola lapsus ille est: sed columbam (*n.* 19) oleae ramum rostro tenentem etiam pro corvo accepit, quamvis ab hoc utique differat illa collo nempe magis erecto (*Passer III. p.* 235. *Aringh. II.* 389). Quapro-

pter et Bellermannum miror, qui (*III.* 6) in omnibus illis corvi imaginibus semper columbas videre sibi visus sit, et cum spiritu sancto eas comparaverit. Quodsi viri illi hunc contulissent Domitiani numum (*Cuper. apoth. Homeri p.* 247. *Beger III. p.* 107):



quo idem illud Apollinis symbolum ex S(enatus) C(onsulto) imperatori, in antica depicto, additum est; facile perspicere potuissent neque Basilidianam doctrinam neque spiritum sanctum ex Senatus Consulto dari.

31. Sed raro theologos reperiri, qui judicio integro utantur, haud semel (§. 144) animadverti. Sunt enim verba, quorum notio adeo familiaris ipsis est, ut ea explicare non dubitent prout communis eorum usus nunc quidem est, olim vero vel omnino non, vel certe non semper idem erat. Ita frequentius nihil observatur, quam junctis duabus literis ☧ Christum denotari. Docent id chartae publicae, quae saepe ab hoc monogrammate incipiunt; docent numi, docent tot lapides sepulcrales eo insigniti. Quo factum est, ut Bellermannus (*III.* 7) edicere haud dubitaret, monimenta illis literis insignita omnino Christianorum esse. At vero idem monogramma jam

videre licet tum in tetradrachmis Ptolemaeorum (*Rink de vet. num. pot.* 18, 6. *p.* 137. *Eckhel VIII.* 89), tum in grammaticorum nota *Chreston* appellata, tum in aliis alia denotantibus (*Longus de annul. p.* 42. *sequ. Montf. pal. Gr.* 347). Et quod magis etiam ad amuleta spectat, idem monogramma a veteribus mathematicis jam usurpatum, astrologis erat *Chronos* (*Salmas. ad Solin.* 1238). Similia multa hic addi possint, ut Apollo vel Mercurius pro Jesu, bono pastore, (*Beck de interpr. scr. p.* 55), Neptunus et Minerva pro Adam et Eva (§. 549) accepti, alia, quae consulto praetermittimus.

Sunt sane permultae gemmae, quae haud dubie astrologicas produnt artes (§. 277 *sequ.* 296). Omnes autem istas si quis cum Chifletio (*p.* 60. 61. *n.* 79 *sequ.*), Capello (*n.* 1 *sequ.* 39 *cet.*) Passerio, et aliis pariter imprudentibus, gnosticis tribuere vellet, admodum absurdam iste defenderet sententiam. Fuerunt enim et ante et praeter, et post gnosticos alii quoque earundem artium vel studiosissimi (§. 133 *sequ.*). Quare accedat necesse est ejusmodi gemmis nota quaedam sive indicium, ex quo judicari possit, haereticis potius quam quibuscunque aliis illas esse adscribendas. 32.

Haereticorum autem, quos gnosticos appellant, doctrina quae fuerit, omnes hucusque ejus investigatores a patribus ecclesiae didicerunt. Qui quidem num potuerint vera tradere, et si potuisse statuamus, an semper voluerint, ante omnia disquirendum erat. At vero ejusmodi quaestiones ad superstitionum omnis generis accuratam expositionem, ecclesiasticam, ut vocant, historiam, pertinent, 33.

cujus studio me nunquam delectari potuisse ingenue fateor: quippe qui deterrerer verbosioribus patrum ecclesiae scriptis, innumeris ac fastidiosis eorundem cum omnis generis haereticorum turba controversiis, et ingenti conciliorum actorumque synodicorum mole. Qua de causa quamvis ad theologos libentius lectores ablegassem; nonnulla tamen, quae ad hanc rem spectant, hoc loco inserenda et discutienda esse bene sentio, quippe quae, ut auctores amuletorum dignoscere possimus, utique nobis sint tenenda.

34. Patres ecclesiae in scriptis suis haud obscure produnt, amuleta ne a se quidem intellecta fuisse: quapropter, si eorum sententiis nimis acriter inhaereamus, metuendum est, ne cum illis ipsi quoque erremus. Neutiquam enim infallibiles erant (*Mosheim. hist. Chr. ante Const. Sec.* I. §. 66), neutiquam aequi semper judices; quippe qui non nisi accusationes contra gnosticos proferrent, quibus cave ne omnibus temere fidem adhibeas. Siquidem perversa et rerum et verborum interpretatione in errorem inducti istis hominibus saepius adtribuerunt, quae seculo adtribuenda erant. Hos denique secuti recentiores scriptores, Macarius, Chiffletius, Montfauconius, Passerius, alii, haud magis reconditarum sententiarum et imaginum gnari, facilius esse duxerunt, semper gnosticos, quasi pestem, damnare, quam, verbis, quae amuletis incisa sunt, explicandis operam dare: et, quo majoribus istos conviciis lacesserent, eo meliores sibimet Christiani visi sunt; ita ut illud quasi veri theologi exemplum imitati viderentur, quod Pierius (*hierogl.* 5, I.) his-

ce verbis proponit et commendat: „Qui sacras literas professurus est, id omnium plurimum meditari oportet, ut canis instar assidue latret, hominum vitia nunquam incessere desistat, animumque ferum gerat.“

Absit quidem, ut omnes gnosticorum superstitiosas opiniones et turpia facta, quae ab eis commissa esse perhibentur, excusare vel defendere velimus; hoc unum ostensuri non minus superstiosos illis temporibus fuisse et alios, quin ipsos etiam saepissime ecclesiae patres, quorum scripta exstant complura superstitionis plena et omnis plerumque sani judicii expertia (*Dale idolol. p.* 180. 181), ita ut credidisse videantur, quae „nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.“ Quos tamen scriptores aeque ac gnosticos temporum, quibus vixere, tenebris excusatos habemus. Saniora enim omnino scriberet e. g. ille Christianorum Cicero, si nunc in vitam rediret, quam quae in libro (*institut. III,* 3) de falsa sapientia leguntur, ubi „insanire et furiosos dementesque judicandos esse, ait, eos, qui causas naturalium rerum disquirere, aut scire vellent, Sol utrumne tantus, quantus videtur, an multis partibus major sit, quam omnis haec terra? item Luna globosa sit an concava? et stellae utrumne adhaereant coelo, an per aerem libero cursu ferantur, *quippe quae a mortalium nemine unquam sciri possent;*“ ubi paulo etiam post (*III,* 24) „philosophos ridet docentes antipodas esse nostris vestigiis contrarios;“ additque „*quomodo ergo non cadunt* omnia in inferiorem coeli partem?“ — ubi „negat ro- 35.

tundam esse terram, fierique non posse" ait „ut coelum aliquod terra sit inferius," cet. Profecto plus jam sapiunt pueri nostri, quam ante xv secula egregius ille scriptor: plus sapiant quam Zacharias, qui summus Romanae ecclesiae pontifex ideoque falli nesciens nihilominus „non esse antipodas" pro sua auctoritate edixit.

36. Quod Graecis Aegyptii dixere, semper eos manere pueros (*Plato in Tim. et ap. Justin. mart. ad Gr. Oper. p.* 13. *Euseb.* 10, 2, 4. *p.* 471. *Theodoret. Graec. affect. I. p.* 708), hoc idem omnibus fere hominibus dicamus necesse est a primis inde incunabilis anili superstitione imbutis. Namque „non bis," Seneca inquit (*ap. Lactant.* 2, 4), pueri sumus, ut vulgo dicitur, sed semper. Verum hoc interest, quod majora nos ludimus." Haud igitur inepte Plinius (*VII init.*) „superstitionem," ait, „cui animantium homini, non ceteris animalibus datam esse." Unde jure colligimus, quum nonnisi homo ratione praeditus sit, superstitionem etiam rationis esse morbum, quo cetera animalia, sicut et ipso rationis dono, vacent. Antiquissimum istum esse morbum scriptor testatur, qui trecentis praeter propter annis ante Christum natum claruit. Theophrastus enim (*in charact. c.* 16, *aliis* 17. περι δεισιδαιμονιας) homines hoc vitio sua aetate laborantes mirifice descripsit. Quem operis hujus locum dignum censemus qui totus (*ex versione et emendat. Auberii*) hic legatur: „Superstitiosus" inquit „is est, qui ablutus et aspersus ex sacra lauro sumens aliquid in os ita perambulare soleat totum diem. Et si forte viam felis (γαλης) pertransierit non

progredi prius, quam alius quisquam praetergressus solum triverit aut ipse tres lapides praeteriens de via tulerit. Et si quando viderit **visionem**" (in Graecis est *σοβην!*) „in aedibus suis, sacellum ibidem instituere. Et **unctos** lapides, id est simulacra lapidea, in quae obambulans incurrit, **oleo** ex lecytho perfundere. Deinde procumbere in genua et adorare tandemque discedere. Quodsi **mus** panis reticulum corroserit (*Cic. divin.* 2, 27) adire interpretem (*ἐξηγητὴν* v. *Polluc.* 8, 124 *f.*) et interrogare quid sit agendum. Et si respondeat, tradendum esse coriario, non intendens oculos indicare partem eam, quam inquinatam esse putat: adeoque aversus deponere. Aedes suas crebro lustrare, neque super sepulcrum incedere neque ad mortuum accedere neque etiam ad puerperam. Cumque somnium viderit, adire somniorum interpretes; augures etiam consulere cui deo cuive deae oporteat supplicare. Et expiationis causa (*καὶ τελεσθησόμενος*) ad Orphei sacerdotes uno quoque mense proficisci cum uxore. Quodsi uxori non liceat, cum nutrice et liberis. Et profectus caput abluere in triviis: accersere ad se sacerdotes et ab iis scillite perpurgari. Si quem viderit furentem aut *morbo comitiali* laborantem horrore perculsus in sinum spuere (§. 270) *quippe quem a daemone correptum esse existimet.*" Extrema haec verba Theophrastus neutiquam habet, sed addidit ea pius ille ex sua superstitione interpres: qui etiam pro *σοβην* legere vult *ὄψιν*, unde „visionem" vertit: alii quidem *ὀπὶν* legunt ex Terentii (*v.* §. 57) loco. Sed pluribus seculis

distat a Graeco scriptor Romanus quumque omnes libri σοφην habeant; audacter sic legere jubeo. Quamvis enim ἡ σοφη a lexicis absit; nil tamen impedit, quo minus „sagam" vertas. Ipsos daemones cognominatos esse σοφους et πανσοφους, oracula testantur Apollinis (*ap. Lactant* 1, 7); nec mirum, quandoquidem δαιμων, si ad etymon respexeris, synonymon fere est του σοφου. Accedit quod, ubi apud Lucianum (*pseudol.* 17. *T. VIII.* 73) eadem de inauspicato occursu superstitio recensetur, vox γοης sagae illi utique respondet. Quantae igitur antiquitatis omnia illa superstitionis genera fuerint non solum aetas, qua Theophrastus floruit, testatur; sed ex aliorum etiam scriptis elucet. Superstitio praeterea semel coepta pedem haud facile refert sed crescit eundo. Ita lapides oleo ungi, quod Theophrastus ridet, in Genesi (28, 18) jam legitur et Appuleji adhuc aetate hoc factum in usu fuit. Sui enim calumniatoris impietatem demonstraturus (*apolog. in op. II. p.* 519 *Oudend.*) "negant," inquit, „vidisse se unum saltem in finibus ejus aut *lapidem unctum*, aut ramum coronatum" (*conf. eund. in Floridis, a princ. Arnob. L.* 1 *p.* 22 *f. Lucian. deor. concil.* 12 *T. IX.* 188). Antiquus etiam mos apud Romanos fuit, teste Martiano Capella (*L.* 2 *p.* 30) ut recens nuptae domus optatae postes ungerent, unde non modo Juno nomine *Unxiae*; sed nuptae etiam *uxores* appellarentur (*conf. Servium et Plinium*). Hodieque de superstite in ecclesia Romana olei usu satis constat. Quae denique Orphei sacerdotibus Theophrastus tri-

buit, antiquissimam ea (*Orph. argon. v.* 467 *sequ.*) superstitionem redolent.

Atque ex Graecis iste superstitiosus erat. Juvabit talem quoque Romanum recensere. Facete Terentius (*Phorm.* 4, 4, 24) hisce Getae verbis eum descripsit: 37.

- - - - - - monstra evenerunt mihi
Introiit in aedes ater alienus canis:
Anguis per impluvium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus:
Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi
Negotii incipere" - - - -

Quam quidem Romanorum superstitionem iisdem temporibus Balbus stoicus (*ap. Cicer. nat. deor.* 2, 5) confirmat. Namque „homines," inquit, „terrentur non solum fulminibus, tempestatibus et terrae motibus, sed nivibus etiam, grandinibus lapideisque imbribus, et guttis imbrium quasi cruentis: tum praeter naturam hominum pecudumque portentis; tum facibus visis coelestibus; tum stellis iis, quas Graeci cometas, Romani cincinnatas, vocant; tum Sole geminato" cet. Ne quis vero credat, plebem solam tanta captam fuisse superstitione, vitas legat Graecorum Alexandri M. Niciae, Pyrrhi, Periclis; Romanorum Syllae, Marii, Caesaris, Augusti, Hadriani, Claudii, Alexandri Severi, Vespasiani; audiatque Plinium, qui (8, 45, 70. *p.* 472) „frequens esse in prodigiis (*conf. Plutarch. in Marcello p.* 314. *Val. Max.* 1, 6, 5) inquit

„bovem locutum quo nuntiato senatum sub dio haberi solitum." Sicut bovem, ita asinum quoque olim locutum esse non ignoramus (*Num.* 22, 28. *Hygin. poet. astron. c.* 23. *p.* 398. *Lactant.* 1, 21. *p.* 76), quorum tamen neutrum hodie quisquam mirabitur, adeo frequentes sunt obvii. Magis profecto mirum confessores in Africa excisis licet linguis nihilominus, Procopio teste, locutos esse. Sudasse etiam simulacra non solum inter Christianos erant qui crederent, sed inter Graecos quoque (*Plutarch. Alex.* 671 *f.*) et Romanos (*ejusd. Coriolan.* 232. *Camill. p.* 132. *Cic. div.* 1, 43. 44. *II.* 25. *Liv.* 28, 11). Plura qui desiderant Polydorum adeant Vergilium, Julium Obsequentem (*utrumque de prodig.*) Camerarium (*de ostent.*) Freretum (*mem. de l'acad. des inscr. IV.* 411), et Bulengeri libellos (*in Graevii thes. ant. Rom. T.* 5.): in quorum nullo tamen reperies mirum illud piscium factum, qui quamvis surdi, ut S. Antonii sermones audirent, adnatarint (*Rasp. II p.* 507).

38. Ex Graecis Lucianus inprimis superstitionem ridens impugnavit: severius Plutarchus in libello quem de hoc errore scripsit (*p.* 164) „superstitionem non solum infelicissimos homines reddere" ostendit; „sed impiam simul esse". probe monuit. Atque alio in loco (*in Nicia p.* 538 *f.*) „superstitionem„ inquit „veritatis lucem non admittere, unde tot sublatos esse philosophos usque ad Platonem, qui indulserit opinioni vulgi." Ex Romanis praeter Lucretii carmen memoratu praesertim digna haec sunt Ciceronis (*div.* 2, 72) verba: „Fusa per gentes superstitio oppressit

omnium fere animas atque hominum imbecillitatem occupavit. -- Nec vero superstitione tollenda religio tollitur. Nam et majorum instituta tueri sacris caeremoniisque retinendis sapientis est. -- Quam ob rem, ut religio propaganda -- sic superstitionis stirpes omnes ejiciendae: *instat enim et urget, et quo te cunque verteris persequitur*". Atque utinam sic distinxissent boni illi patres, nec gnosticorum reprehensuri superstitionem in superstitionem incidissent vel ipsi. Sed verum, si quid unquam, illud Prudentii (*L.* 2. *c. Symmach. v.* 871):

„Una superstitio est *quamvis non concolor error.*"

Variis enim et multiplicibus superstitionibus imbuti, muscis prorsus similes, vel optima inquinant." Unde ad Christianam religionem ipsam, quae pulcherrimis omnis constabat praeceptis, tot et tanta externorum rituum et caeremoniarum, quin perperam etiam intellecta, videntur esse addita, ut nonnisi sapientissimi nunc judicii sit, ista a genuinis discernere. Neque satis futura aetas mirari poterit, in eo quo vivimus, seculo homines absurdissima et prorsus puerilia commenta credidisse, adeo ut confirmarint antiquissimi vatis (*Od.* 18, 129) dictum

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

Gnosticorum incunabula temporibus adscribenda esse ante Christum (*Timoth.* 1, 6, 20) viri docti non ignorant. Gnosis enim proprie scientia rerum est, quae sub sensus non cadunt, sed mente tantum comprehenduntur (*Mosheim. hist. Chr. ante Const.* 39.

p. 20). Atque per eam maxime ab antiquissimis inde temporibus philosophorum theologia ab illa vulgi differebat, semperque differet. Christiana deinde religione in remotissimis etiam terris repente propagata quum pauci admodum neque exquisita illi doctrina ornati, eam docerent fieri non potuit, quin per traditionem magis et famam, quam ex vera et solida institutione homines ea imbuerentur. Quorum quum plerique ritibus et caeremoniis magis adsveti, quam ad cogitandum et meditandum propensi essent, evenit inde, ut recens dei cultus instituta interdum Judaeorum, quin etiam ethnicorum, maxime in festis et caeremoniis imitaretur (*Gesner. de ritib. gentil. in Rom. eccl. translat. Goett.* 1751. *4lii*).

40. Quae licet aperta essent nec patribus ecclesiae ipsis incognita; quidam tamen hanc externorum sacrorum similitudinem maligno daemoni adscribere maluerunt, quam priscorum temporum reliquias esse confiteri. Quo factum est, ut Tertullianus (*de praescr. c.* 40) absurde quidem contenderet „diabolum in deorum cultu, a Numa Pompilio praescripto, anticipasse instituta Christiana!" Nec magis sane Justinus Martyr (*Apol. II. p.* 98.) de ritu in sacra coena celebrari solito disserens „quod quidem" inquit „etiam in mysteriis atque initiis Mithrae faciendum per imitationem docuerunt pravi daemones. Panem enim et poculum aquae in sacrificiis sive re divina ejus, qui initiatur, poni, verbis quibusdam additis, aut certe scitis, aut cognoscere potestis." Quae quantumvis inepta pii patris esset conjectura; adeo tamen illa placuit aliis ut Pignorius

et Tomasinus (*de Cecrop. vot. p.* 42) affirmare haud dubitarent, signum crucis in monimentis antiquissimis inde reperiri „quia diabolus jam tunc omnem operam mira calliditate impenderit, ut elevaret gestum illum, quem sacerdotes Christiani essent adhibituri." -- Eccum vehementem illum tenebrarum principem histrionem et sacerdotum simiam!

Qui denique magis eruditi recentem amplectebantur cultum, 41.
philosophiae addicti erant Graecae, inprimis Platonicae. Quae quum in Aegyptum introducta esset, et maxime Alexandriae floreret; non potuit ea non superstitionibus Aegyptiorum et Orientis philosophorum commentis mirum in modum corrumpi (*v. C. D. Beck de lit. et auctor. Gr. atque Lat. Lips.* 1789. 8. *S.* 1. §. 20 *p.* 26). In Christianorum etiam doctrina quoniam praecepta quaedam inesse videbantur philosophiae Neo-Platonicae, quae illis quidem temporibus maxime florebat; haud mirum videbitur Christianos, ea imbutos, non nulla ex illa prout cuique ea familiaris esset addidisse, ut inde quae sibi haud satis explicata essent supplerent. Atque ad hos tantum spectare possunt verba Pauli apostoli (*Col.* 2, 8), quibus Christianos cavere jubet a philosophia. Quod quidem interdictum nentiquam approbans Clemens Alexandrinus (*strom* 6. *p.* 655) philosophiam strenue defendit atque haec insuper addit verba: „multi Graecam philosophiam, aeque ac pueri larvas, timent verentes ne eos (a Christiana religione) abducat" — nimirum vel dubiis motis, vel doctrinarum praeceptis

confusis. Nihilominus „veritatem quaerendam esse“ docet praeclarus ille scriptor (*strom.* 5. *p.* 550). Gnosticorum autem varias doctrinas a philosophia veterum originem traxisse facile perspicitur (*Holsten. in vita Porphyr. ap. Fabric. in bibl. Gr. IV.* 212), perspexerantque hoc jam Tertullianus olim (*de praescr. c.* 7) et Isidorus (*etym.* 8. 6. *Op. III,* 364, 365).

42. Etenim a gnosticis servata esse legimus philosophorum, Pythagorae, Platonis, aliorumque imagines una cum imagine Christi (*Iren.* 1, 25. *f. p.* 105. *Epiphanius haer.* 27. *p.* 108). Et, quod majus est, „Marcellinam sectam“ Augustinus (*catal. haer. ab init.*) ait „pariter coluisse imagines Jesu et Pauli et Homeri et Pythagorae, adorando incensumque ponendo“ (*Cuperi apotheos. Homeri p.* 12. 13). Hi quidem eadem ratione, qua Alexander Severus in larario suo habuisse dicitur (*Lamprid. c.* 29) effigies Apollonii, Christi, Abrahami et Orphei, ibique matutinis horis rem divinam fecisse.

43. Mira hinc nata confusio est (*P. E. Müller. de hierarchia et stud. vitae ascet. p.* 21), adeo ut, qui Severum praecesserat, Heliogabalus (*Lamprid. c.* 3 *f. p.* 270) ad templum, in quo ipse divino cultu honorabatur, praeterea transferre voluerit Judaeorum et Samaritanorum religiones et Christi venerationem, ut omnium cultuum secretum ab Heliogabali sacerdotio teneri videretur. Maxime tamen Aegyptum illud variarum religionum commixtarum spectaculum initio seculi secundi praebuisse documento

est memorabilis Hadriani imperatoris epistola (*Vopisc. c.* 8. *p.* 652), a viris doctis saepius notata, ex qua haec exscribere liceat: „Aegyptum, quam mihi laudabas, Serviane carissime, totam didici levem, pendulam, et ad omnia famae momenta volitantem. Illi, qui Serapin colunt, Christiani sunt; et devoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Judaeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha, quum Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum." Quibus omnibus denique illud etiam confusionis exemplum addimus quod apud Damascium (*in Photii bibl. cod.* 243. *p.* 1058) hoc fere modo legitur: „quum Theosebii uxorem obsideret daemonium idque mitioribus verbis adjuratum ab ea exire nollet, exorcismo istud Theosebius, quamvis nec magiae, nec theurgiae esset peritus, exire coegit. Adjuravit enim id per r a d i o s S o l i s et H e b r a e o r u m d e u m. Daemon vero expulsus est exclamans, se quidem d e o s vereri, sed et ipsum Theosebium se revereri." Ecce consociatum hic cum Sole Hebraeorum deum!

Haud igitur mireris inde a primis post Christum natum secu- 44.
lis ex omnibus variarum gentium doctrinis mixtam quandam exortam esse, quam, etsi absurdam, gnosticis tamen solis neutiquam tribui posse ex modo relatis dilucide patet. Pluribus illorum etiam erroribus eo magis ignoscendum erat, quo obscuriorem interdum, vel nullam Christianorum dogmatum maxime mysteriorum,

quae vocantur, interpretationem a dissidentibus, vel patribus ecclesiae ipsis, gnosticos refellentibus, factam esse videmus.

45. Sed veram gnosticorum doctrinam probe se nosse nemo nostrum gloriari poterit, quum omnia, quae eis imputantur, non nisi aliorum hominum auctoritate nitantur, qui magna in eos ferebantur odio; ipsos autem, si pauca, quae hodie ex eorum scriptis supersunt, fragmenta exceperis, nemo unquam audierit. Aequum igitur judicem suspendere decet judicium de eorum doctrina. Quam ut totam hoc loco discutiam neque animus mihi, neque otium suppetit, qui eo tantum consilio in aliquas controversias cum illis habitas inquisiturus sum, quo facilius perspici possit, num quid in amuletis ex istorum doctrina petitum reperiatur, solisque gnosticis adtribuendi sint errores, quos patres ecclesiae ac recentiores etiam scriptores iis adscribere consveverunt. Singulas igitur, quae huc spectant, quaestiones selectas nunc discutiamus.

CAPVT IV.

De imaginibus superstitiosis.

46. Quaerentibus quid maxime patribus ecclesiae offensioni in gnosticis fuerit, primo loco sese offert imaginum usus, quem Irenaeus (*I*, 24. *p.* 102. 25. *p.* 105) et Epiphanius (*haeres.* 24. *p.* 73.

haer. 27. *p.* 105. 108) eis opprobrio vertunt. Imagines autem quum generatim de omnibus figuris effictis, et singillatim de amuletis (§. 52. 53 *sequ.*) intelligi possint; de utroque genere disquiramus necesse est.

Ac primum superstitiosus ille imaginum usus ab antiquissi- 47.
mis inde temporibus apud omnes gentes, simulac a simplici eoque vero dei cultu aberrarent, sensim invaluit: neque ullus fere populus in remotissimis etiam terris nuper detectis a peregrinantibus salutatus est, qui imaginibus non uteretur. Natura enim homines ita sunt comparati, ut avidius semper anquirant quae in sensus cadunt. Eandem imbecillitatem hunanam tantam esse animadvertimus, ut licet ipsi patres ecclesiae uno fere ore imaginum usum reprehenderint, isque Christi temporibus, primisque post eum tribus seculis prorsus nullus, et synodo etiam Francofurthana anno DCCXCIV ex suffragio CCC episcoporum damnatus fuerit; ex Christianis tamen permultos ad eum rediisse videamus. Quos si defendere illum vel excusare audieris, sane intelliges, iisdem eos argumentis usos esse, quibus gentiles Cicero (*N. D. I*, 27) Julianus imperator (*in fragm. p.* 293 *sequ.*) Celsus (*ap. Orig. III. p.* 121), Porphyrius (*ap. Euseb. III*, 2, *p.* 98) aliique complures usi sunt in defendendis quum statuis, tum templis. Quae quidem argumenta speciosa passim, neque adeo fallacia sunt, quam ea, quibus recentiores utuntur scriptores. Ita omnino prave sentire de summo numine mihi videtur Casalius (*de profan. Rom. rit. c.* 1. *p.* 99) scri-

bens: „invocamus sanctissimos viros, imaginibus repraesentatos, ut hi apud deum pro nobis patroni esse velint.“ Nonne enim religioni nobis ducamus, deum maximum cumque optimum componere cum imbecillo homine, qui quum forte a recta via aberraverit ab intercedentibus aliis in meliorem possit reduci, vel, quod pejus est, quum recte processerit, se abduci sinat? Sed absurdiora etiam protulit Lucius Ferraris (*in biblioth. canon. IV.* 48). Nempe ut refelleret haereticos, qui contra imaginum cultum locos sacrae scripturae (*Exod.* 20. *Levit.* 26. *Jes.* 40) in medium protulissent, lepide adtulit legem Romanam („*Adigere*“ §. 2. *D. de jure patronatus*)! Et licet ipse contenderet „imagines recordationis causa propter respectum ad sua prototypa esse colendas; nihilo tamen minus non solum in repugnantibus legis (*Exod.* 20) verbis: „Non adorabis eas, neque coles“ suam fundare sententiam nisus est; sed imaginis etiam (beatae Mariae virginis) historiam (*p.* 49. 50), qua omnis istorum hominum superstitio patet, hisce verbis narravit: „Miraculosam imaginem S. Gregorius M. in publica supplicatione detulit in illa magna mortalitate, quae Romam adeo vehementi pestilentia laniavit: .. et ecce tota aeris turbulentia cedebat imagini. .. Tunc mirae voces in aere cantantium et dicentium *Regina caeli laetare* .. juxta imaginem sunt auditae. .. Post haec beatus Gregorius vidit .. angelum, qui revocabat in vaginam gladium cruentatum. .. Item tempore magnae mortalitatis, anno domini 1388 .. fuit per urbem haec sacra imago honorifice

et devotissime deportata, et dum applicuit ad pontem S. Petri, angelus marmoreus exsistens in cacumine castri exhibendo reverentiam huic imagini se pluries inclinavit." Atque haec legimus in libro vel nostra aetate (a. 1782) typis mandato! Quanta contra indignatione adversus omnem imaginum usum exarserit Epiphanius percipi potest ex hisce ipsius verbis (*ad Joh. episc. T. II. p.* 317): „Inveni velum pendens in foribus ecclesiae atque depictum, et habens imaginem quasi *Christi vel sancti cujusdam*: non enim satis memini cujus imago fuerit. Cum ergo hoc vidissem, in ecclesia Christi, contra auctoritatem scripturarum, hominis pendere imaginem; scidi illud." - - Quid? quod ante hunc patrem Lactantius (*II*, 18) disertis verbis jam scripserat: „Non est dubium quin religio nulla sit, ubicunque simulacrum est;" et paulo post: „non *religio* in simulacris, sed *mimus* religionis - - omnis enim imitatio non res potissimum seria, sed *quasi ludus ac jocus* est."

Nec objiciat mihi aliquis multum interesse inter imagines, 48.
quibus veri Christiani utantur, et monstra illa picta, quibus gnosticos ferunt usos esse. Ecquis enim est, qui ignoret Lucam repraesentari imagine bovis volantis, leonis alati Marcum, hominis alati Matthaeum, aquilae denique Johannem? Quin in ipsius etiam Pii II annulo (*Curios. V. Tab.* 13) insculpta erant monstrosa ista quatuor evangelistarum symbola ex Judaeorum nempe libris, haud intellectis, conficta. Atque hodie etiam in Berolinensi S. Mariae

ecclesia videre licet statuas evangelistarum sedentium, quibus imposita animalium sunt capita, quamvis reliquae corporis partes sint hominum (*Saechsisch. Verein für Alterthüm. Zweyt. Bericht. Leipz.* 1826. 8. *Taf.* 9-11). Atque ex istis, eorum in gratiam, quibus forte non contigerit pulchras illas imagines inspicere, superiorem evangelistae Lucae partem hic subjicere non gravabor:



Cui hoc etiam ex vetere pictura lineari, in eodem libro (*Saechs. Verein. Zweyter Bericht. Figur* 5), exposita, exemplum addimus Johannis scilicet evangelistae:



Et jure nunc quaerimus, an unquam ex Aegyptiorum vel gnosticorum officina absurdius quidquam prodire potuerit? Quid? quod ex Christianis Romanae ecclesiae addicti imaginem finxerunt „tribus buccis tribusque nasis insignitam" qua Sanctam Trinitatem repraesentarent. Sed major ista licentia fuit quam ut eam probare potuerit Urbanus VIII, quippe qui comburi imaginem jusserit. Atque omnino operae pretium erit de ejusmodi imaginibus audire S. Nicephorum (*in libro de imaginib. ap. Canisium T. II. P. 2. p. 15 lect. ant.*) ita disserentem: „Imago est similitudo et forma expressa ex iis, quae sunt. *Idolum* vero fictio eorum, *quae non existunt.* Cujusmodi sunt formae quaedam, quas gentiles *fatue* et *impie* tanquam deo carentes fingunt, ut Tritonum, Centaurorum et aliorum. Sic imago et idolum distinguuntur." Haec ille. Jam vero, utri generi ista evangelistarum symbola vir sanctus adnumeraturus fuisset, facile perspicitur. Peperisset sane,

8

ut cum Ennio loquar, „prius locusta lucam bovem," quam ex idolorum numero symbola ista ille exemisset.

49. Sed demus forma diversas fuisse pictas a gnosticis imagines ab iis, quae a veris Christianis profectae esse videantur; sane non tam usus earum a patribus ecclesiae vituperandus erat, quam peculiaris illa forma. Cujus quum plures causae fuerint, sufficit hoc loco exponere earum potiores. Primam quidem seculo ipsi adscribimus et vulgari ejus consvetudini. De Romanis enim res testatur Vitruvius, qui postquam (*VII*, 5. *p.* 189) dixerat „ab antiquis constitutas esse in conclavibus ex certis rebus certas picturarum rationes, ita ut pictura fuerit vera imago ejus, quod esset, vel esse posset," mox addit „sed haec quae a veteribus ex veris rebus exempla sumebantur, *nunc* iniquis moribus improbantur. Nam pinguntur tectoriis *monstra* potius quam ex rebus finitis imagines certae." Ad numos quoque provocare poterat in quibus non minora conspiciuntur naturae ludibria (*Spanheim. II. p.* 257. *sequ. Zoega num. Aeg.*) Scilicet a poetis translata erat ad pictores ceterosque artifices ista licentia, quam tamen improbat ille poetices summus magister. Ab hoc igitur vitio quum ne ipsa quidem Roma fuerit libera; profecto non est quod miremur monstrosam Aegyptiacarum imaginum formam. Huic enim regioni plurimi gnosticorum originem debebant, qui ab antiquissimis inde temporibus cogitata symbolice significare soliti sententias suas imaginibus varie compositis videntur involvisse. Unde Aegyptios Tacitus (*hist. V*, 5) opi-

natus est „pleraque animalia effigiesque compositas venerari;“ quamquam Porphyrius aliique (*Herodot.* 2, 65. *Diodor.* 1, 86. *Cicero N. D.* 1, 36. *Plutarch. de Isid. p.* 355. 358. *f. Gale ad Jambl. p.* 265) hac de re omnino aliter sentiunt. Ab illa etiam consvetudine tantum abfuit, ut abstinerent Christianam religionem amplexi, ut ipsius quoque sacri codicis lectione eadem confirmaretur. Monstrosa enim figmenta similia eis, quae a patribus exprobrantur, frequenter reperiebant in prophetarum fabulis, veluti Cherubinos gemina facie, humana altera, altera leonina (*Ezech.* 41, 20. 21); animal quatuor faciebus, humana, aquilina, leonina et bovina, quin etiam pedibus vitulinis (10, 14) praeditum. Ut omittam apocalypsin (4, 6-8) multaque ejusdem generis alia. Notissima etiam sunt varia Christi cognomenta, quibus symbolice eum veteres denotare studuerunt, e. c. gigantis, arietis, agni, vituli, leonis, retis, lapidis, cet. (*Boldetti cimiteri p.* 29. *Isidori. etym. VII.* 2. *Oper. III. p.* 304. *Justin. mart. p.* 326. 327. *Münter. symb. vet. eccl. p.* 3). Nonne a veris etiam Christianis symbola haec eadem profecta esse constat?

Jure igitur quaeras, cur non istos una cum gnosticis accusaverint Chiffletius, Passerius, ceteri? cur non prophetas etiam ob ficta ab his monstra reprehenderint pii illi ecclesiae patres? cur non taurum, quo Lucas designatur, Apin esse arguerint, et aquilam, qua Mathaeus, Jovi sacram fuisse, leonem, quo Marcus, Soli? Ratio aperta est. Magis scilicet pios et religiosos fuisse viros illos, 50.

quam sagaces et eruditos, ex omnibus eorum scriptis patet. Ita ne Zodiaci quidem signorum rationem Lactantius intelligens, (*III.* 24) miratur portentosis simulacris astra potuisse delineari! Quanto minus illos verum gnosticarum imaginum sensum assequi valuisse censendum est? Quas qui viderent, neque intelligerent, illico eas damnarunt, ita ut Judae apostoli (*epist. v. X*) dictum haud injuria in eos transferri posset: *Ὁυτοι δε ὁσα μεν οὐκ οἰδασι βλασφημουσιν.*

51. Maxime offensioni fuit Chiffletio (*p.* 111), Christum serpentis imagine a gnosticis pingi, quare (*p.* 117) cum Epiphanio (*haeres.* 37. *p.* 274) exclamat: „Christus nequaquam est serpens: procul absit, ut ita sentiamus!" Sed inanis haec doctissimi viri religio fuisse videtur. Vereor enim ne ille, sicut Jablonskius, Bellermannus, cet. serpenti adscripta verba: *CEMECEIΛAM* (§. 561 *sequ.*) de Messia intellexerit. Verum demus, gnosticos hac imagine usos esse, ut Christum repraesentarent: num propterea impiam eam fuisse judicemus? Nonne aliam potius subesse causam fas erit suspicari? sive quod suam ipse Christus (*Joh.* 3, 14) exaltationem cum serpente a Mose erecto comparaverit, sive quod dixerit „prudentes estote sicut serpentes" sive quod tam salus, quam bonus daemon serpente olim significati fuerint. Nec sane multum refert hac imagine an alia usi sint gnostici, modo in memoriam ea revocare voluerint Christum. Quos qui reprehendunt non nisi daemonem malignum ex serpentis imagine agnoscentes istos quidem extemplo condemnant,

licet alios Christianos, qui Christum vel columbae, vel piscis imagine (ex subdititio sibyllae carmine acrostycho desumta) pinxerunt, iidem laudent, haud memores, columbam Veneri, piscesque et Neptuno, et Atergatidi fuisse dicatas! -- Nempe *una omnino superstitio cunctis*, haud concolor error.

Sed ad amuleta spectarunt fortasse improbantes (§. 46) imagines. Certe Manichaeos Epiphanius (*haer.* 66. *p.* 629) ait „amuleta appensa e collo nec non cautiones (φυλακτηρια, φημι δε τα περιαπτα) magicas ac praestigias usurpasse." Immo quoties patres de imaginibus gnosticos incusant, horum amuleta Bellermannus (*III. p.* 12. 13) ab illis intelligit notari. Amuletorum igitur in historiam nunc sigillatim inquiramus quo planius quantuli haec quoque accusatio facienda sit perspiciatur, possitque judicari, utrum in gnosticos magis amuletorum reprehensio cadat, quam in alios omnes (§. 54), vel veros etiam Christianos (§. 68. *sequ.*) 52.

CAPVT V.

De amuletorum usu.

Variis malis et calamitatibus quum saepe premerentur homines, 53.
haud miramur eos remedia quaesiisse, quibus illa averterent (*Plutarch. de facie in orbe Lunae p.* 920). Magis mirum est, ad ani-

les idcirco superstitiones rationem humanam potuisse descendere, et in cautionibus spem suam collocare, quibus nihil cum damno metuendo erat commune. Ex innumerabilibus hujus rei exemplis unum hoc loco instar omnium afferre sufficit. In geoponicis (*L. I. c.* 14. *p.* 23), ubi de calamitosis grandinibus agitur, haec libri auctor affert: „Ajunt quidam quod si quis speculum incumbenti nubi ostendat, grandinem praeterituram. Et rursus si hyaenae, aut crocodili, aut phocae pellem agro circumducas eandemque prae foribus domus suspendas, grando non cadet. Si vero et claves multas diversarum aedium circa agrum funiculis illigaveris grando praeteribit. Et si in domibus tauros statuas ligneos, valde juvabis" cet. -- Videbis quam probe ejusmodi nugae ad amuleta appendenda accedant.

54. Ab antiquissimis inde temporibus illorum usum repetendum esse, inter viros doctos jam pridem constat. Tantaque et tam stabilis de mirabili eorum effectu opinio fuit, ut vel ipsa animalia quaerere ea iisque se munire sibi persvaderent homines (§. 155). Certe apud Aegyptios, Hebraeos, Assyrios, Babyloniosque, et Chaldaeos, item Persas atque Graecos et Romanos, Germanicae denique stirpis populos, viguisse amuleta, tum scriptores, tum monimenta ipsa, testantur. Quid? quod amuleta etiam Sinensium atque Indorum Josephus Scaligerus (*opusc. p.* 530: *epist.* 119. *p.* 287. *ep.* 226. *p.* 445) reperire sibi visus est. Ab Armeniis e reliquiis navis, qua Sisithrus, diluvii e periculo evaserit, amuleta confecta esse quae de

collo suspensa gestarentur, et Berosus (*ap. Joseph. in ant. I*, 3, 6. *p.* 16), et Abydenus (*ap. Euseb. IX*, 4. *p.* 415, *vel Syncellum p.* 38.) et Alexander polyhistor (*ap. eund. vel Fabric. bibl. Gr. XIV.* 193) referunt. Quod ne quis miretur legat S. Epiphanium (*haer.* 19, 3. *p.* 39), qui „sua adhuc aetate in Kardyeorum regione" scribit „ostendi τα λειψανα της του Νωε λαρνακος" (quod quidem Berosus apud Josephum non pro certo affirmaverat sed addito λεγεται) „ac si quis diligentius perquirat," pergit Eusebius, „non dubito, quin altaris quoque vestigia ad montis radices invenire possit, ubi tum Noe ex arca progrediens mansit et sacrificium instituit." -- Illuc igitur nunc migrent docti peregrinatores, veriora de Noa reperturi, quam in numo Apamensi olim videre sibi visus erat Falconerius. -- Sed totius fabellae originem ex nomine montis illius proprio originem traxit qui teste Nicolao Damasceno (*Joseph. p.* 16. *Euseb. p.* 414) **B a r i s** appellabatur, quia navis ille fortassis prae se ferebat speciem. Simili ratione multas ex nominum propriorum sono fabellas finxere Judaei. Si quis autem nihilominus cupit, fragmen aliquod illius navis contemplari; Romam, ubi in Laterano trabis partem teste Rabehero (*ap. Fabric. in cod. pseudep. v. t. T. II. p.* 69) curiosis ostendunt, ille quidem proficiscatur. Ego vero -- „quid Romae faciam?"

Aegyptios quod adtinet jam Isidem, quum gravida esset, amuletum gessisse, Plutarchus (*de Iside p.* 377. 378) refert his verbis: την Ισιν αἰσθομενην, ὁτι κυει, περιαψασθαι φυλακτηριον. Nec deerunt 55.

suis locis (§. 588 *sequ.*) amuleta ab Aegyptiis profecta: licet Kircherus, qui ubique fere amuleta reperisse sibi visus est (*III.* 470) minime nos eo adducat, ut hieroglyphicas notas dummodo in circulo oblongo inclusae fuerint (464) omnes pro amuletis habeamus, quippe quibus plerumque nomina propria significari jam vix dubitari liceat.

56. Babyloniorum quidem et Persarum cylindri, literis, quas vocant, cuneatis inscripti, satis noti sunt: quarum tamen sensa quum nondum simus assecuti dubium omnino est, amuletisne ista monimenta referenda sint. Chaldaeos autem Diodorus (*II.* 29.) ait „incantationibus quibusdam averruncationes malorum bonorumque effectiones producere conatos esse." Clarius etiam eorum amuleta astrologica describit Maimonides (*v. Clerici op. philos. Lips.* 1710. *T. II. p.* 332. *s. Stanlei phil. or. S.* 2. *C.* 25), qui ex libris Chaldaicis, sua aetate adhuc exstantibus, se omnia hausisse affirmat. Sabaeorum amuleta memorant Arabes (*Hotting. hist. orient* 301): ac de Saracenorum etiam amuletis consulere licet Kircherum (*II.* 1. 370 *sequ.*), Hydeum (*rel. Pers.* 141), Hottingerum (*de cippis Hebr.* 165), Niebuhrium (*descr. Arab. p.* 107) Shawum (*itiner. III.* 3) Hammerum, aliosque. Sane inculti quoque populi, quos viderunt qui Africae oras maritimas peragrarunt, amuletis utuntur (*Bibl. der alt. Lit. VI.* 23), quae Grisgris ab ipsis appellantur (*Act. erud. Lips. Suppl. I.* 423).

57. De Persarum cylindris adhuc superstitibus sed dubiae significationis modo dixi. Nec tamen praetermittendum, quod Hydeus

(*c.* 19. *p.* 258) refert, eos quinto die duodecimi mensis inde a Solis ortu usque ad occasum schedulas confecisse inscriptas ad expellenda animalia noxia, e quibus schedulis tres tribus parietibus cujusque domus adglutinasse, praetermisso pariete, qui in anteriori domus parte esset.

Judaeis, nunquam non superstitiosis (*Dale idolol.* 364 *sequ.*) 58.
connivens Moses morborum averruncandorum causa serpentem erexit aere conflatum, Aegyptiorum agathodaemoni et ei fortassis, quo Aesculapii baculus circumdatur, similem: ac multa praeterea sunt, ex quibus colligere liceat istos inde ab antiquissimis temporibus amuletis usos esse (*Marsham. can. chron. p.* 149). Cujus quidem rei in veteribus eorum libris (*Gen.* 31, 19 *et* 30. *Deut.* 6, 8 *et* 9. 27, 15) vestigia jam reperiuntur: sed claris et apertis verbis Justinus Martyr (*dial. p.* 311 *et* 265) ob hanc superstitionem eos vituperat; et magicarum artium reos Plinius (30, 1, 2. *p.* 524) arguit. De annulis autem, quibus morbos sanarint (*Josephi antiqu.* 2, 5. *p.* 420), Judaica non magis quam Christiana (§. 71 *et Boldett. p.* 505) superstitio accusanda erit. De ipsis denique amuletis opinionem Judaeorum Buxtorfius e Gemara explanavit, in qua ad quaestionem „quid sit מטפחת Josephus rabbi respondet: „alligamentum abscissionis, membrana scilicet collo appensa ad abscindendum periculum ab hoste vel invido imminens“ (*Dale de idolol.* 531.) Plura in lexico Chaldaico (*p.* 790. 791) idem Buxtorfius tradit. Conferas praeterea velim classicos scriptorum locos,

qui ad Graecos aeque ac Romanos transiisse Judaicam superstitionem docent. Ridet eam Juvenalis, deplorat Plutarchus. Ille quidem his versibus (6, 543):

„Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, et magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuntia caeli;
Implet et illa manum, sed parcius aere minuto.
Qualiacunque voles Judaei somnia vendunt."

Plutarchus autem (*de superst. p.* 166) ad versum

Si te nocturna visa terruerunt

„vetulam voca," scribit, „quae pistrino adsidet, et mari corpus merge tuum ac per totam diem humi deside. Hui! quam mala invenistis Graeci barbara; coeno contaminari, desidere in sterquilinio, sabbatum servare, projicere se in faciem, turpiter sedere, ritu alieno adorare superstitionis causa jubentes!" Quae sane Judaeorum erant ritus, quos a Syris forte acceperint (*v. Menand. ap. Porphyr. de abstin.* 4, 15. *p.* 346). Recentiori etiam aetate, anno nimirum MCCLIV, Ludovicus Galliae rex Judaeorum fraudibus eo adductus est, ut ediceret: „Cessent Judaei a *characteribus*" (*Cangius h. v*). Eo enim nomine amuleta tunc appellabantur (§. 67. 73. 449 *f.*). Sed hodieque Judaei puerperarum lectis amuletum in charta scriptum alligare solent; cujus formulam, reique originem Buxtorfius (*de synag. c.* 2. *p.* 70. 73. *Lexic. Chald.* 1140) exposuit; inscriptionem ipsam autem aeri incisam Schlaegerus (*de Dia-*

na λυσιζωνῳ p. 67) eandemque Lipsienses (*in act. erud. nov. suppl. T.* 2. *p.* 281) exhibuerunt.

Quae etiam ex medio aevo, quod vocant, apud nos adhuc 59.
supersunt amuleta ut plurimum Judaeorum superstitionem sapiunt. Verbum AGLA (*Mem. de l'acad. d. inscr.* 12. *p.* 53), a Buxtorfio (*de abbrev.* 22) et Kirchero (*prodr. Copt. c.* 6. *p.* 153. *Oedip. II, I.* 217) explicatum, quod in scuto, ut vulgo appellatur, Davidis ponere solent (*Fabricii cod. pseud-epigr. V. T. p.* 1007. 1009), quodque in annulo apud Caylum (*VI. Tab.* 130), in amuletis apud Kircherum (*Oedip. II. P.* 2. 479 *f.*) et Reicheltum (*Tab. V*), aliisque legimus, fontem illum manifeste indicat. Quo superstitioso vocabulo Christianos, quod pudeat, quin Romanum etiam pontificem (§. 71) usos esse videmus. Ex eodem fonte fluxisse censeo vocem ANNIZAPTA, inscriptam fasciae, quae in pectore Elisabethae conjugis Alberti II imperatoris imposita fuit (*Herrgott. mon. Austr. III.* 1. *proleg. p.* 82. *Tab. XI*), cujus in vocabuli eruenda significatione multi se exercuerunt interpretes (*Misc. Lips. V.* 284. *Reichelt p.* 88. *Del Rio disqu. mag. III*, 2. *qu.* 4. 5. 8. *p.* 463). Pariter barbara ABARITHA vox a Reuchlino (*de arte cabb. L. III. p.* 78. *ed.* 1517) explicata e cabbalistarum nugis orta est; quod scilicet hominum genus figuras in amuletis respuebat, literis autem ut sensum ex iis extorqueret mira insania abutebatur.

De amuletorum usu apud Graecos non est quod dubitemus, 60.
quum satis nota anilis eorum superstitio sit (*Lucianus in pseudo-*

log. Vetus poeta in Fabric. bibl. Gr. II. 633. 639. 642). Vili drachmae pretio ea veniisse (§. 351) veteres docent scriptores (*Athenaeus L.* 3. *p.* 123. *b. p.* 475. *Schweigh. animadv.* 885. *p.* 363. *Scaliger. ad Manil. Lugd. Batav.* 1700. *p.* 439. *Dale de idolol. p.* 529. 530). Eudamum confecisse, ferunt, φυσικους δακτυλιους προς δαιμονα (*l.* δηγματα) και δηεις και τα τοιαυτα (*Fabric. bibl. Gr. XIII.* 153. *conf. Schol. ad Arist. Plut.* 885). Ipse Pericles aegrotans, referente Theophrasto apud Plutarchum (*c.* 45. *p.* 173) amuletum sibi a mulieribus collo circumligatum amicis ostendit. Quo cum loco alius ejusdem Plutarchi (*de superst. p.* 168) conjungendus est, ubi Bionem dixisse ait „quasdam vetulas rem, in quamcunque inciderint, superstitiosis hominibus pro amuleto appendisse;" et tertius etiam locus (*sympos* 5, 7. *p.* 681), quo amuletorum contra fascinum usitatorum meminit (*symp.* 5, 7. *p.* 680).

61. Atque ejusmodi superstitionis genera Lucianus explodens (*in pseudomant. c.* 36. *T. V. p.* 97) refert „Alexandro quodam impostore jubente ubique fere portis inscriptum fuisse ad arcendam pestem hunc versum: Φοιβος ἀκερσεκομης λοιμου νεφελην ἀπερυκει. Paulo aliter Martianus Capella (*L.* 1. *p.* 8) eundem effert, additque coeci poetae Grajum hunc versum esse. Quem locum ut illustraret Grotius adnotavit, poetam illum esse Homerum: sed vellem dixisset potius, quo Homeri loco versus sit quaerendus. Equidem hunc in ejus carminibus me legere non memini, quamvis Homericorum versuum superstitiosum usum (§. 518) haud ignorem; neque me

fugat, Apollinem appellatum esse Alexicacon, quia pestilentiam omnia foedantem Peloponnesiaci belli temporibus sedasset (*Pausan.* I, 3, 3).

Amuleta quidem quamvis Plinius (28, 2. *sect.* 3. *et* 37, 3. *f.*), 62.
et si qui erant inter Romanos minus creduli, contemnerent; nihilo tamen minus frequens illorum usus apud eos viguit (*Arpe de talism. p.* 32 *sequ.*). Ac pervetusta fabula de ancili illo Numae Pompilii temporibus coelo delapso credulitatem populo insitam satis jam demonstrat, quippe quo clypeo urbem defendi aeque crederent, ac Trojani Palladio suo, Athenienses Minervae simulacro (*Pausan.* ●, 26, 7) et Edesseni Christi epistola (*Euseb. hist. eccl.* 1, 13) coelo et ipsa delapsa (*Fabric. cod. apocr. I.* 319. *Procop. bell. Pers.* 2, 12. *Mem. de l'acad. des inscr.* 12. *p.* 52). Sed propius amuleta tangunt Ennii versus a Cicerone (*divin. f.*) servati: ac frequentem illorum usum probant musea (§. 11), quibus etiam nunc conspiciuntur tot remedia quae a fronte vel collo puerorum suspendebantur (*Moscardi mus. p.* 50. *Mem. de l'acad. II.* 358. *Hist. III.* 211. *Graev. Thesaur. XII.* 894. *Montfauc. ant. V. Tab.* 37. 38. 40. *Suppl. III. Tab.* 17 *ad p.* 48. *Smetii ant. Neomag.* 67. *Ficoroni bolla d'oro de' fanciulli Rom. Pignor. mens. Is. p.* 33. *Fontanini ant. Hort. p.* 146. *Demster Etrur. reg. I.* 303) quae tamen cave omnia ad amuletorum genus cum viris doctis referas, siquidem Plutarchus (*in Romulo p.* 30.) huic opinioni adversatur. Vera autem puerorum amuleta, quum plerumque membro virili constarent,

Casalius (*de vet. Christian. ritib. c.* 48. *p.* 267) refert „a Christi fidelibus mutata esse, atque eorum in locum successisse agnos dei (§. 69. 70. 88 *f. conf. Boettiger. Deutsch. Merkur.* 1795. *IV.* 344. 354). - - Nec vulgus tantum Romanorum amuleta usurpabatur; sed honoratiores etiam et spectatissimi viri eis confidebant; in quibus M. Servium Nonianum fuisse (*ap. Plin.* 38, 2. *f. p.* 449) legimus, qui „in metu lippitudinis chartam duabus literis Graecis *P. A.* inscriptam collo subnexerat circumligatam;" quibus Graecis literis *PA* vocabulum ראה forsan significabant. Atque Plutarchus (*in Mario. p.* 430) tradit Octavium, virum alioquin optimum, omni superstitionum generi deditum fuisse, semper omina captasse et Chaldaeis aurem praebuisse, interemti denique in sinu tabellam Chaldaicis figuris insignitam inventam esse. Quid? quod Macrobio (*Saturn. I,* 6) teste „triumphantium etiam gestamen bulla erat, quam in triumpho prae se gerebant; inclusis intra eam remediis, quae crederent adversus invidiam valentissima." Quibus Macrobii verbis egregie illustratur Plinii ille locus (28, 4, 7), quo scribit: „fascinus imperatorum quoque, non solum infantium custos." Nec recentiori tempore ab amuletorum usu Romanos abstinuisse ex eo patet quod Spartianus (*c. V. p.* 227) tradit, „imperante Antonino Caracalla damnatos esse qui remedia quartanis tertianisque collo annexa gestarent." De poena capitali in simile factum constituta infra (§. 252) acturi sumus.

63. „Parietes etiam" Plinius (38, 2) inquit „incendiorum depreca-

tionibus consribuntur." Quae quam antiqua fuerit superstitio, ipsa formula docet a Festo (*v. Arse*) nobis servata: scribit enim „*Arse verse* averte ignem significat. Tuscorum lingua *arse* averte, *verse* ignem, constat appellari, unde Afranius ait: Inscribat aliquis in ostio: Arse verse." Sententia quidem haud dubia est: sunt autem viri docti (*Dacerius ad h. l. Lanzius in sagg. d. lingu. Etr. II.* 448. 750. *Münter Forklaer. af en gammel Etruscisk ara. p.* 9) qui confusas sive permutatas apud Festum esse amborum vocabulorum interpretationes censeant, ut *Arse* significarit Ignem, *Verse* autem Avertere. Quae licet ad Latinae linguae similitudinem propius accedere videantur; scrupulum tamen movit Baxterus, vir linguarum sane admodum peritus. Cujus scripta quoniam haud frequenter sunt obvia, indeque a viris illis forsan ignorata; opere pretium duxi inserere, quae ad Festi locum Anglus ille (*Glossar. ant. Rom. p.* 257) hisce verbis observavit: „Tuscos Celtice, ut fere omnes Italiae populos, locutos, multa sunt quae faciunt fidem, atque inprimis iste (ap. Festum) locus. Celtarum quoque linguas Graecae fuisse originis" (verius dixisset cum Graeca unius ejusdemque stirpis) „a doctissimis viris dudum observatum est. Britanni nostri dicerent veteri dialecto: *Arsu verese:* h. e. abige incendia. *Su*, vel uti hodie scribitur *Sw*, deductum est a Graecco *Σοε*, quod est in fugam abige. A vetusto *Σοω* vulgo dicitur *Σοβεω* eodem intellectu. A composito *Ἀρισοω* vel *Ἀρσοω* Britannis *Arsuyd* pavor vel fuga est. Nam et illis *Ar* intensiva

particula est, ut Graecis *'Αρι.* Quod ad alteram vocem attinet, ab *'Αιω* Graecis fit *Αἴθω*; Pelasgis *'Αισω* (unde et *Αἴσωπος* pro *Αἴθιοψ*). Huc refertur Hebraeum אש, Esh, quod pro igne est, Syrorum אשתא Eshta, Graecorum *'Εστια*, Latinum Aestus" (addere potuit Vesta) „Britannorum *Es*, *Tes*, et *Veres* vel *Gueres*, Igneus calor. Idem etiam illis *Ver* et *Gwer*, quod Germanis *Uer*" (über) „et Graecis et Latinis *πρo*, pro et prae, et in compositis significationem auget: nam et longe, et ulterius, significat. Est igitur *Veres* (vel ut hodie scribitur *Wres* et *Gwres*) *longe flagrans incendium.* Cujus pluralivum erit *Vêrese*, hodie *Wrese* vel *Gwresae*; ut sit *Arse verse* abige incendia." — Haec ille: qui si verum vidit, Festus defendendus erat. Sed nostrum non est hâc de re judicium ferre.

64. Hoc autem certum habemus et exploratum, opinionem fere universalem fuisse, ignem superstitiosis remediis posse averti vel cohiberi. Ita Judaei voce אגלא (§. 59) et literis מיר incendia putabant restingui. Ita Heliodorus (*L.* 8) annulum finxit, in cujus pala insertus *Παντάρβη* lapis, literis quibusdam sacris insignitus et caeremonia quadam firmatus, a quibus accessisset lapidi vis ignem depellendi. Ita Pseudo-Marbodaeus (*ap. Gronov. ad Gorl. p.* 26) de Ignite lapide canit:

„*Conflagrare vides incendia forte domorum;*
Si tamen hunc adhibes, incendia sponte quiescunt."

65. Germanicae stirpis populos non minus superstitiosos fuisse, tum ex Taciti de moribus Germanorum libro discimus, tum ab Eddae

Semundicae auctore, ea in parte, quae Haavamaal inscribitur, capite ultimo, edocemur, ubi fictus ille Odinus „se nosse" (*v.* 15) ait „incantationem, qua in domo ardente flamma, ne latius diffundatur, cohiberi possit," plane simili scilicet artificio, quo priscos Romanos usos esse modo (§. 63) diximus. Hafniae ipse inspexi bracteatos aureos (qui tunc temporis in aes incidebantur) informibus figuris runisque insignitos, quos amuletorum vicem gessisse vero haud est dissimile. Non enim solum ansa, qua appenderentur, eis addita est; sed in uno (*Tab. II. n.* 22) etiam praeter alias leguntur primae *septem* alphabeti runae: ᚲᚱ ᚨᚨ ᚢ ᚴ (FUDORK) quas, nisi ob numerum septenarium (§. 237 *sequ.*) superstitiose adhibitas, fuisse largiaris, explicare frustra laborabis. Fuisse etiam alia amuleta runis inscripta Wormius (*in fast. Dan.* 134) tradit (*conf. Camden's Brit. by E. Gibson.* 1695. *p.*814). Atque ex clypei cujusdam inscriptione Anglo-Saxonica, quam Hickesius (*in thes. linguar. septentrional. I. f.*) ita vertit: „O domine, domine, eum semper defende, qui me secum circumgestaverit, ei vota sua concede!" — vir ille doctus conjicit ab Anglorum quodam hunc clypeum loco amuleti gestatum fuisse. Cujus superstitionis per Angliam propagatae testimonium accedit Bedae, qui (*in hist. Angl. IV,* 22. *Op. III. p.* 104) Edilredi regis temporibus juvenem quendam, ait, bello captum nullo modo vinciri potuisse, quin vincula continuo solverentur. Quapropter quaesitum ab eo esse „an forte *literas solutorias* secum portaret, propter quas ligari non pos-

set?" .. Amuletorum denique apud Francos usus ex pluribus legibus, quibus prohibetur (§. 80), patet; et quaedam de iis Eckhartus (*Franc. orient. I.* 417) recenset.

66. Primos Christiana religione imbutos ab isto quidem superstitionis genere liberos fuisse veri simile est. Certe Origenes (*c. Cels. VI. p.* 302) et Eusebius (*dem. ev. L. III. p.* 127) de hoc errore eos defendunt. Criminatus eos Celsus (*ap. Orig.*) scripserat: „Quid recenseam, qui lustrationes docuerunt, et incantationes pellendis morbis arcendisve, aut effigies formasque daemonum varias, et praeter haec in vestibus, numeris, lapidibus, plantis, radicibus, amuleta diversorum generum?" Qui quidem scriptor si veros Christianos a ceteris dignoscere minus calluit, id quod Origenes animadvertit, non magis culpandus esse videtur, quam Lucianus (*in Hermot.*) qui ex tot philosophorum sectis (*v. Diodor. II,* 29) seligere eam nesciret, quae veram traderet philosophiam.

67. Sed in ipsa etiam Christiana ecclesia amuletorum varia sors fuit. Reprobat ea disertis verbis Augustinus (*de doctrina Christ. L. II. c.* 30.) scribens: „Ad superstitionum genus pertinent omnes etiam *ligaturae* atque remedia, quae medicorum quoque disciplina condemnat, sive in praecantationibus, sive in quibusdam notis, *quos characteres vocant,* sive in quibusque rebus suspendendis atque illigandis vel etiam aptandis quodammodo, non ad temperationem corporum sed ad quasdam significationes aut occultas aut etiam manifestas." Quae quidem ab Isidoro (*etym. VIII,* 9. 30. *Op.*

T. III. p. 373) repetita et in decretalibus (*II. causa* 26. *qu.* 2. *c.* 6. *et qu.* 5. *c.* 14) sancita sunt. In eadem etiam decretalium parte (*causa* 26, *qu.* 5. *c.* 1) verba concilii anno DCCXXI (*T. III. p.* 1865) habiti leguntur: „Si quis phylacteriis usus fuerit anathema sit." Neque diversa sunt, quae concilium Toletanum edixit: „si qui pyctaciola (pittacia) pro quavis infirmitate scripta super homines vel animalia ponunt --- sciant se fidem Christianam et baptismum praevaricasse." Quae fere eadem docuerat Augustinus (*serm.* 215 *de temp.*) hisce verbis: „Si adhuc videtis aliquos phylacteria diabolica et *characteres* aut herbas aut succos sibi aut suis *appendere*, durissime eorum peccata increpantes dicite: quia quicunque fecerit hoc malum perdit baptisimi sacramentum."

At vero superstitionis vis major erat, quam ut purus ille dei 68.
cultus per longum temporis spatium potuerit servari. Namque ut taceam clavum S. crucis, quem jam Helena freno equi adjunxisse fertur (*Baron. III a.* 326. *p.* 459. 460), similiaque eodem tempore superstitiose facta: gregis praesertim duces accusandi esse videntur de deteriori ista religionis conditione. Ipsos enim sacerdotes circa collum alligasse phylacteria Chrysostomus (*serm.* 43 *in Matth.*) scribit. Et sane ante eum in actis concilii Laodicensis (*can.* 36. *Mansi II.* 369) legimus: „Quod non oportet eos, qui sunt sacrati vel clerici, esse magos vel incantatores, vel mathematicos, vel astrologos, vel facere ea quae dicuntur amuleta, quae quidem sunt animarum vincula: eos autem, qui fecerunt, ejici ex ecclesia

jussimus" (*conf. Decr. P. II. Causa.* 26. *Qu.* 5. *Cap.* 4. *Canisii lect. ant. II.* 271. *n.* 35). Carolus etiam Magnus (*Capitular. VI.* 72. *ap. Baluz. I.* 934) edixit „ut clerici vel laici phylacteria vel falsas scriptiones aut *ligaturas*, quae imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adjuvare putant, nullo modo ab illis (sic) vel a quoquam Christiano fiant, quia magicae artis insignia sunt."

69. Quae qnum ita sint nonne mireris, nec ipsos etiam pontifices Romanos ab hoc superstitionis genere sibi temperasse? Erant enim theologi qui distinguerent inter genera amuletorum, quorum alia concedenda essent, quin etiam approbanda, alia improbanda atque vetanda. Quos inter Del Rio (*disquis. mag. L.* 1. *C.* 4. *qu.* 4. *p.* 54) „pium et sanctum est," inquit, „reverentiae causa sanctorum reliquias, cereas agni dei effigies, evangelium S. Johannis, psalmum Davidis, et similia S. scripturae testimonia secum gestare collo appensa: sed effectus, qui inde oritur, erit supernaturalis. -- Aliis autem ligaturis uti; quas vel *usus ecclesiae* catholicae vel proborum medicorum ars non commendat, omnino est prohibitum!" et paulo post „quotannis agnos illos cereos" ait „a pontifice maximo benedici." Sed vera si qua unquam, theologorum Parisiensium (*art.* 21) haec fuit sententia: „Quod imagines ex metallo vel cera, vel alia materia, ad certas constellationes fabricatae, vel cereo charactere aut figura efformatae, aut etiam baptisatae, exorcisatae, aut consecratae, aut potius exsecratae, secundum praedictas artes, et sub certis diebus, habeant virtutes mirabiles, quae in

libris hujusmodi recitantur: error est in fide et in philosophia naturali."

Ac prae ceteris notandus est Urbanus V, pontifex Romanus, 70.
qui tres agnos dei cereos Graecorum imperatori dono miserit, mirabilesque eorum effectus malis versibus (*Lambertin. de canonizatione L. IV. P. I. c. 5. §. 11*) sic descripsit:

„Balsamus et munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, et omne malignum
Peccatum frangit, ut Christi sanguis et angit.
Praegnans servatur, simul et partus liberatur.
Dona refert dignis, *virtutem destruit ignis,*
Portatus munde *de fluctibus eruit undae."*

Ubi attendas velim ad verba „dona refert dignis" et „portatus munde" quibus auctoris effugium contineatur, si forte istud amuletorum genus non omnia illa miracula ederet. Tales autem agnos quum jam Constantini M. temporibus usurpatos esse Riccardus Argentinus conjiceret; recte inde collegit (*in l. de praestigiis daemon. p.* 166) „paulo ante hunc imperatorem periisse ecclesiae pietatem et verum dei cultum" (*Alb. Widmanstad. in praef. ad test. Syriac*). Quodsi Christianos nulla alia res, certe cerea illa simulacra de quibus poetae (*Ovid. Heroid. ep.* 6. *v.* 91. *Amor. III,* 7, 29. *Horat. I. Sat.* 4. *v.* 30. 32. *Epod. Carm.* 17. *v.* 76 *ibique*

Mitscherlich) loquuntur, ab isto superstitionum genere avertere debebant.

71. Non autem haec sola amuleta a pontifice maximo approbata sunt. Legimus enim apud Sigonium (*de regno Ital. L. 7. p. 174*) „anno DCCCCLXIX Theodericum, episcopum Metensem, a pontifice annulum ex catena (!) S. Petri, vim ejus in sanando daemoniaco ingentem expertum, petiisse atque impetrasse." Notatu praesertim digna S. Gregorii haec sunt verba ad Childericum regem: „Claves S. Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est Excellentiae Vestrae direximus, ut collo vestro pensae a malo vos omnibus tueantur" (*Boldett. p. 507*). Item pontifex Romanus erat, qui Ferdinando II gladium ad debellandos et jugulandos Bohemos offerret, cui haec inscripta erant: TETRAGRAMMATON. ALPHA ET OMEGA. AGLA (§. 59) SABAOTH (*Miscell. Lips. XI.* 41): quas Judaicas plane nugas esse, nemo non videt. Ac primus ille ecclesiae Romanae pontifex si adeo superstitionem alere potuit, ut particulam ex vinculis Petri traderet; profecto non est, quod miremur, monachum fuisse qui se possidere jactaret „pennas ex alis angeli Gabrielis inter salutandum D. Mariam prolapsas, porro Michaelis gladium et scutum, Cherubini vestigia, radios aliquot stellae Magis exortae, particulam soni ex campanis Salomonis," cet. (*Fabric. cod. pseudep. vet. test. 93*).

72. Atque hominum nostrae etiam aetati magis aequalium superstitionem ne prorsus taceamus, haud gravabor verba Latine con-

vertere, quae Danica ex libro, primis annis post inventam typographiae artem typis mandato Nyrupius vulgarit (*in l. Skildring af Tilstanden Danmork og Norge i aedre og nyere. Kopenhaf.* 1804. *II.* 454). Verba nimirum haec sunt: „Preces, quae sequuntur concepit Leo papa deditque eos fratri, Francorum regi, cui nomen erat Carolo Magno. Qui eas legit, videt, audit, vel secum portat illo ipso die nec trucidabitur, nec igni, nec aqua consumetur, nec vulnerabitur; nec diabolus, nec mali homines nocere neque corpori ejus, neque animae poterunt. Quoties eas legerit tot per millia dierum indulgentias impetraturus est.“ Ecce lepidam historiam, quasi Caroli M. etiam temporibus prodigus iste indulgentiarum abusus exstiterit. Ejusdem generis amuleta initio seculi XVII milites quosdam a patribus Lojolitis accepisse (*ap. Reicheltum de amulet. p.* 76) traditur „quibus se munirent contra hostium vires: visa in eis fuisse, praeter cruces, initium evangelii Johannis, nomina Mariae, Jesu, Trinitatis, et ignotos quosdam characteres; subsignatis lingua Franciea verbis: *Quicunque hanc schedulam portaverit, eo die non peribit, neque terra, neque aqua, neque gladio.* Haud quidem mendacem fuisse Satanan additur; milites enim istos postridie strangulatos in *aere* periisse.“ -- At non minorem superstitionem mutato tantum colore incautus alere poterat Gretserus, qui (*de cruce p.* 393) scriberet: „crucem e collo reverenter pieque gestandam esse -- crucem enim esse, quae tutam certamque contra veneficorum morborumque pericula incolumitatem praestaret.“

73. Generalis igitur quum esset et omnibus fere communis amuletorum usus; profecto non erat quod gnostici soli istius erroris rei agerentur. Immo, quod inprimis animadverti velim, ecclesia ipsa quaedam amuletorum genera approbasse (§. 69) nobis videtur, legentibus in actis synodi Compostellanae (*a.* 1114. *can.* 7. *Mansi XXI.* 120): „*Characteres* (§. 51) coram totius ecclesiae conventu sive publico concilio fieri jubemus; aliter factos valere (?) inhibemus." Nonne „una jam superstitio cunctis?"

CAPVT VI.

De incantationibus et exorcismis.

74. Transeamus nunc ad aliud crimen, gnosticis ab ecclesiae patribus (*Iren. I. c.* 23. §. 4. *p.* 100. *c.* 24 §. 5. *p.* 102. *Epiphan. haeres.* 27. *p.* 100. *Theodoret. haer. fab.* 1, 4. *Op. IV. p.* 292) objectum, incantationes inquam et exorcismos. Jam vero Aristoteles (*hist. anim.* 8, 24) multo rectius meris figmentis anilibus ista adnumerat. Sapientissimus etiam Seneca (*nat. quaest.* 7) „rudis," inquit, „adhuc antiquitas credebat et attrahi imbres cantibus et repelli; quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causa nullius philosophi schola intranda sit." Haec ille. Nonne igitur miremur Lipsium, Christianum, superstitiosiorem fuisse, qui ad hunc Senecae locum (*p.* 754) annotarit: „non carminis, sed mali genii, signo

aliquo ad noxiam evocati, vim hanc esse!" At vero adnumeremus licet incantationes et exorcismos artibus nefariis; easdem tamen per longissimum temporis spatium semper in usu fuisse a Davide (*ps.* 58, 6) et Homero (*Odyss.* 3, 457) accepimus; et apud Diodorum (3, 57) legimus Cybelen jam incantationibus pueros sanasse: unde et Ops, quod opem ferat, dicta est, et salutaris in numis vocatur. Ab antiquissimis etiam temporibus Sanchuniathon (*Euseb. p.* 36) incantationes repetit. Apud Romanos in vetustissimis duodecim tabularum legibus de iisdem legeris: „Qui fruges excantasit" et „Quei malom carmen incantasit" (*C. Zell. leg. XII. tab. cum var. lect. p.* 44. 54 *et Gothofr.*) Saepissime etiam incantationum meminerunt poetae quum Graeci, tum Romani, inprimis Theocritus ejusque aemulus Maro. Quibus carminibus mira effici posse vulgus persvasum habuisse ubique fere illi testantur (*Ovid. met.* 7, 199. *remed. am.* 253. *Poetae minores I. p.* 536. *Tibull.* 1, 8, 17. *seq.*) Unde Manilii (1, 92)

. . . . . . rumpere v o c i b u s *angues,*
Sollicitare umbras, imumque Acheronta movere,
In noctem dies, in lucem vertere noctes. - -

Atque ejusmodi incantationibus e coelo lunam deduci tam saepe finxerant poetae (*Plutarch. orac. defect* 416 *f. Curnutus nat. deor. ap. Gale. p.* 232. *Aristoph. nub.* 749. *Tibull.* 1, 2, 43. *et* 1, 8, 21. *Lucan.* 6, 499, 500. *Virgil. ecl.* 8, 69. *Horat. Epod.* 5, 46. *et* 17, 4. *Ovid. met.* 7, 207. 12, 264. *Seneca Hippol.* 420. 788. *Petron. c.* 134.

p. 641. *Claudian. in Rufin.* 1, 146.): ut non solum Lucianus (*philops.* 13 *f. T. VII. p.* 263.) explosam hanc fabellam in mendaciorum scenam prodire juberet; sed Propertius etiam (2, 37) facete caneret:

Et jam Luna negat toties descendere coelo.

75. Finis illarum incantationum quum beneficus, tum perniciosus erat. Ex ipsis enim medicis quosdam superstitionem istam aluisse plura exempla non solum in hoc ipso libro docebunt, sed ex veteri quoque de medicina carmine (*Fabric. bibl. Gr. XIII. p.* 446) hi versus

- - - - „*Namque est res certa saluti*
Carmen ab occultis tribuens miracula verbis."

At vero alia omnia effici credebant carminibus illis quae ad inimicos exsecrandos composita essent, quasque Plutarchus (*in Crasso p.* 553) „imprecationes esse" tradit „secretas et vetustas, quarum vim fuisse tantam, ut nemo unquam exitium effugerit, cui eae obnuntiatae essent." Erant verba ex genere eorum de quibus Virgilius (*Georg.* 2, 129)

„*Miscueruntque herbas et non innoxia verba.*"

et Seneca (*in Med.* 736)

„*Addit venenis verba non istis minus*
Metuenda." - - - -

76. Prima incantationum origo non impia fuisse videtur, id quod vox ipsa docet, quae omnino latius olim quam nunc patebat. Ca-

nebantur enim vota et preces diis (*Virgil. Aen. III*, 438); diique ipsi futura praecinebant responsis. Atque ejusmodi cantus in antiquissimorum populorum ritibus observamus. De Aegyptiis rem praeclare testantur scriptores (§. 260). De Persis jam Herodotus (*I*, 132. *p.* 166) in sacris, inquit, „magus adstans accinit theogoniam quandam, qualem esse incantationem (ἐπαοιδήν) dicunt“ (*conf. Pausan.* 2, 12, 1 *et* 34, 4). Atque Orphici hymni non nisi preces erant, quibus adesse numen imploraretur. Similes in usu fuisse Romanis Horatii docent versus (*epist.* 2, 132):

„Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni musa dedisset?
Poscit opem chorus, et praesentia numina sentit:
Coelesteis implorat aquas docta prece blandus:
Avertit morbos: metuenda pericula pellit:
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.
Carmine di superi placantur carmine manes.“

Preces Homerus (*Il.* 9, 502) „Jovis magni filias“ appellat, eidemque „supplicum patri“ (*Curnut. in Gal. opusc.* 154) arae erant constitutae. Nihil etiam refert cantataene fuerint solemnes et receptae illae formulae, an solummodo pronuntiatae. A precibus enim solemnibus incantationes originem duxisse mihi quidem persvasum est. Eundem etiam effectum precibus tribuerunt, quem incantationibus. „Venerunt ad Severum“ ut Damascius tradit (*in Photii bibl. p.* 1042) „Brachmani; dixerunt illi de Brachmanis montanis,

quaecunque de iis scriptores divulgant: eos precibus imbres petere, famem, pestem aliaque mala precibus avertere." - - „Habuere et Athenienses" Galeus (*ad Jamblich.* 282) refert, „*εὐδηνέων ἀνεμων εὐχας*, i. e. Varrone (*ap. Nonium c.* 4. §. 2. *Gothofr. p.* 616) interprete „ob ventos sudi flaminis preces." Item docet „fuisse preces *καθαρκτικας* contra famem, pestem et malas tabes, easque in templis publice descriptas" (*conf. Guther. de vet. jure pontif. IV*, 13. *Graev. thes. V.* 201. *Creuzer symbol. I.* 161. 165. 710. *cui add. Pausan. I*, 24, 3 *et II*, 30, 6. *Horat. II. epist.* 1, 135).

77. Precibus etiam apud Romanos rustici in tutelam divorum familiam et agros commendabant, quarum formula a Catone (*scr. R. R.* 141. *p.* 105) nobis servata haec est: „Mars pater te *precor* quaesoque, uti sies volens propitius mihi, domo, familiaeque nostrae, quoius rei ergo agrum, terram, fundumque meum suouitaurali circumagi jussi, ut tu **morbos** visos invisosque, **viduertatem vastitudinemque, calamitates, intemperiasque** prohibessis, defendas, **averruncesque**," cet. Quae quidem preces quum certis ac solemnibus verbis fuerint conceptae (§. 345. 500. 504) sponte ducebant ad amuletorum formulas quas illis simillimas esse mox videbimus. Ita Apollonium Tyaneum, Philostratus (3, 13. *Oper. p.* 147) ait, didicisse apud Jarcham invocationes illas, quas diis gratissimas esse novisset. Chaldaei praesertim invocationes magni faciebant: Juliani enim libris quatuor, quos de daemonibus scripsit, continebantur phylacteria sive amuleta

pro singulis corporis humani membris, „quales sunt," inquit Suidas, „operationes sive incantationes Chaldaicae."

Judaeos daemones adjurasse testatur Justinus Martyr, qui 78.
(*Oper. p.*311) Tryphonem sic increpat: „Si vos per nomen quodvis, qui vobis fuere, regum aut justorum aut prophetarum aut patriarcharum adjuretis; non subjicietur vobis daemonium." Quam eandem rem propius tetigit Maimonides (*de idolol.* §. 12 *sequ. in Vossii oper. T. V. f. p.*60), Judaeosque revocavit ad legis (*Deut.* 18, 10) verba: „Ne inveniatur inter vos incantans incantationem." Ac pergit deinde: „Qui vulneribus incantarit e lege versum legendo; quive super puero, ne conturbetur; aut qui librum legis, vel phylacteria puerulo imposuerit, ut somnum capiat: hi, ut generali conjectorum atque incantantium appellatione continentur; ita etiam comprehenduntur amplo eorum vocabulo, qui legem negant." Indulserat tamen superstitioni idem philosophus, paulo ante scribens: „Si quem scorpio aut serpens momorderit, possit parti corporis laesae adhibere incantationem; idque vel sabbatho ipso: nempe ut animus sic conquiescat et cor firmetur. *Utcunque enim nihil incantamentum juvet,* permittitur tamen, quia periculosum est animo persistere sic perturbato."

Insignis praeterea apud Josephum (*ant.* 8, 2, 5. *p.* 420) de Ju- 79.
daeorum incantationibus locus est. „Salomonem, enim" ait „quum excantationes composuisset, quibus lenirentur morbi, etiam formas adjurationum reliquisse, quibus vincta daemonia ita ejicerentur,

ut nunquam redirent; atque hoc sanationis genus suo etiam tempore apud Judaeos plurimum valere." Quin Justini quoque aetate idem valuisse modo (§. 78) vidimus. Atque Lucianus etiam (*Tragoedopodagra* 171. *T.* 10. *p.* 12) Judaeos his versibus attingit:

Ἄλλος ἐπ' ἀοιδαις ἐπιθετων ἐμπαιζεται.

Ιουδαιος ἑτερον μωρον ἐξαδει λαβων.

Primo sane seculo fuisse Judaeos vagantes, qui adjurarent daemones, ex apostolorum actis (19, 13) patet.

80. Qua in re astrologicae etiam artis rationem habuerunt stulti homines, ut quibus persvasum esset, quadam constellatione optimum nasci „incantatorem, qui verborum potestate dolores mitigare posit." Atque ista docebat Julius Firmicus Maternus (*Astronom. L. VIII. c.* 26. *p. m.* 234), qui idem „de errore profanarum religionum" librum scripsit. Namque Christiana etiam religione recepta minime omnes incantationes legibus vetitae fuerunt, sed contra hominum salutem tantum adhibitae magicae artes. „Nullis vero" sunt verba Constantini M. (*in cod. Theod. l.* 3 *de malef.*) criminationibus implicanda sunt remedia humanis quaesita corporibus aut in agrestibus locis, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ruentis grandinis lapidatione quaterentur, innocenter adhibita suffragia, quibus non cujusque salus aut existimatio laederetur." Quae quidem iisdem verbis repetita legimus in codice Justinianeo (*lege* 4 *de malef.*) et eandem rationem, qua Maimonides (§. 78) sententiam suam firmavit, habere videntur; quam

et ipsam Appulejus (*de magia p.* 491) prodit his verbis: „Nihil quod salutis ferendae gratia fit, criminosum est.“ Primus Leo imperator in *omnes* incantationes poenam supremi supplicii (*constit.* 65) statuit. Sed in Francorum regno non nisi serius haec superstitio exstirpari potuit, id quod tot imperatorum et regum constitutiones testantur (*Capitul. Carolomanni I.* 5. *Caroli M. a.* 789. *c.* 18. *a.* 805. *c.* 25. *Addit.* 165. *Capitular. L I. c.* 21. 62. *L. V. c.* 2. 69. *L. VI. c.* 215. 374. *L. VII. c.* 128. *Add. III. c.* 93. *Lex Salica emend. ap. Eccard. p.* 182 *f.*)

Quod autem exorcismos quoque gnosticis in crimine posuit Irenaeus (§. 74) miror. Num forte rariores tum in ecclesia Christiana exorcismi fuere? Profecto eos longe ante gnosticos in usu fuisse ex eo patet quod de Orpheo Justinus Martyr (*cohort. ad Gr. p.* 16) et Cyrillus (*c. Julian. p.* 35) tradunt. Inter Graecos et Romanos qui sanae mentis erant vim eorum negabant. Lucianus eos ridebat (*philopseud.* 9 *et* 10. *T. VII. p.* 258. 259). Plinius (28, 2. *p.* 444) „valere,“ scribit, „in remediis aliquid verba viritim sapientissimi cujusque respuit fidem: in universum vero omnibus horis credit vita, nec sentit.“ Celsus (*l.* 1. *p. m.* 19) „morbos“ docet „non eloquentia, sed remediis curari“ (*conf.* §. 462 *f.*). Mihi quidem videtur, non gnosticos solos, sed Christianos etiam quemadmodum plura alia (§. 41 42.) ita et exorcismos philosophiae Neo-Platonicae acceptos referre. Istis enim philosophis eadem cum medicis olim contentio fuit, quam nostris adeo temporibus in causa quadam famosa 81.

fuisse novimus. Audias velim Psellum (*de oper. daem. ap. Stanlei.* 1, 2, 17), qui de iis, quos daemon corripuerit, agens, „medicos," inquit „conari nobis persvadere ejusmodi adfectiones non a daemonibus profluere, sed potius ab humoribus, articulis, et spiritibus male adfectis, adeoque posse curari pharmacis et diaetis, non autem *incantationibus* et *expiationibus* -- medicos, inquam, conari hoc nobis persvadere, mirum non est, quoniam praeter ea, quae sensu percipiuntur, nihil norunt, sed in sola corpora inclinati sunt. Morbi quidem plurimi a male adfectis humoribus oriri merito censentur: enthusiasmos vero, insanias, et catochas, quibus qui correptus est nihil quidquam agere potest, neque sermone, neque phantasia, neque sensu, sed ab alio quodam agitatur, eaque loquitur, quae ignorat, futurumque quidpiam interdum praedicit, qua ratione motus materiae vitiatos dicamus?" (*conf.* §. 83.)

82. Haec ille: et eodem fere modo Christiani omnia, quorum causam et rationem perspicere non possent, malo daemoni adtribuerunt. Quem daemonem qui exorcisandi negotium susceperant, quum non magis noscerent, quam ipsa quibus homines affliguntur varia mala; mirum in modum solliciti erant de multa daemonum natura et de malis, quae forte in eis eminerent, ut ne horum aliquod in formulis suis obliviscerentur. Exemplo sit exorcismus quem S. Basilius praescripsit. Cujus verba quum permulta sint, ex iis non nisi haec exscribere placet „Adjuro te -- Recede daemonium quodvis malum et impurum, sacrum (εὐαγὲς), subterraneum,

in profundo mersum, tartareum, mendacii plenum et erroris, deceptorium, informe, multiforme, conspicuum impudentia, et dissimulatione inconspicuum, ubicunque versaris et ubi es, aut quocunque abis, sive vocale, sive animantis forma aut specie draconis, aut bestiam referens, aut apparentis instar fumi: sive mas, sive femina, sive reptile vel volatile, aut natatile: loquens et mutum, stans aut subito irruens, convellens impetu, aut somnum inferens vel insomnium grave, aut in morbo vel infirmitate, vel in risum vertens aut lacrimas voluptates vel foetores. Sive concupiscentiis deditum, sive veneficiis aut amoribus insaniens, astrorumve divinationem, magiam, aut oecomantiam professum, vel rerum amissarum inventionem: vinolentum, ciens tumultus, impudens, contentiosum, instabile, mutari cum Luna aut cum tempore certo alterari solitum, matutinum vel vespertinum, vel ab infirmitate aliqua vel aliquo splendore vel accessu subito, aut e mari vel fluvio aut praecipitio puteove aut fovea vel palude aut lacu, materiave aut loco subterraneo impuro vel silva querna vel aliis ex arboribus, aut ex montibus, vel tonitru, grandine, fulgure, vel domus fundamentis tectove balnei aut piscinae, vel ex sepulchro aut idoli templo vel undecunque scimus aut nescimus, nota vel ignota, nunquamque visa figura: recede et abi," cet. (*Fabric. bibl. Gr. VIII. 98 sequ.*)

Quodsi primores inter Christianos tam enormem et anilem superstitionem aluerunt, ut in omnibus rebus, in quovis loco, in 83.

quovis morbo daemonem omnis etiam formae et indolis latere sibi persvaderent: quam, quaeso, superstitiosum fuisse illis temporibus imperitum vulgus censeamus? Ex portentosis, quae inde exortae sunt, historiis quasi summam vel potiora capita in unum coegisse videtur Lactantius, qui (*II*, 15) „a daemonibus" inquit „cultores dei metuuntur, cujus nomine adjurati de corporibus excedunt, quorum verbis tanquam flagris *verberati*, non modo daemonas esse se confitentur" (quaenam enim probatio melior esse potest quam ipsius daemonis confessio)? „sed etiam nomina sua" (haud ignota sane) „edunt. - - - Ita maximis saepe ululatibus editis" (quos a daemonibus profectos esse nemo dubitabit) „verberari se et ardere et jam jamque exire proclamant." O! sanctam simplicitatem. Dolendum est, patrem pium nomina daemonum et qua lingua prolata verba fuerint, nobis non retulisse. Diligentiores alii formam accuratius describunt, nempe „ex ore daemoniaci egressos esse daemones corvorum et serpentum figura" (*Fabricii cod. apocr. N. T. I.* 176)'.. ex quibus volatiles illos citius quam reptiles hos aufugisse mihi quidem veri simile videtur. Sed operae pretium erit Pselli (§. 81) et Lactantii verba conferre cum eis, quae Lucianus (*T. V. p.* 266), ut ridiculum in ejusmodi fabellis ostenderet, Philopseudem de Syro quodam daemoniacos curante sic narrare finxit: „Cum adstat jacentibus et interrogat, unde intraverint daemones in corpus? ipse quidem aegrotus tacet: respondet vero Graece vel Barbare daemon tum unde sit ipse, tum quomodo at-

que unde venerit in hominem: tum iste adjuratione, et, si non paret, minis daemonem expellit. Atque ego vidi etiam exeuntem nigro colore et fumoso." - - Qua eadem de re philosophorum quoque apud Plutarchum (*in Dione p.* 958) sanum omnino hoc legimus judicium: „cordato certe nemini daemonium vel spectrum unquam comparuisse; verum pueros, mulierculas, et deliros ex corporis imbecillitate homines, quum aliquo teneantur mentis errore vel intemperie corporis, opiniones absurdas admittere, dum malum daemonem superstitiose credant se invasisse."

Sed magis etiam superstitiosos delirare homines festiva docet 84. historia, quam de daemone dicto non audiente et muliere quadam protulit Tertullianus (*de spectac. c.* 26 *p.* 85): „ea theatrum adiit et inde cum daemonio rediit: itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem adgredi; *constanter et justissime quidem* daemon inquit *feci, in meo enim inveni!*" Atque haec olim sic erant. Nostris certe temporibus daemones magis urbanos quin etiam humaniores factos esse nemo negabit, qui tot matronas theatra et spectacula impune adire viderit.

Ejusmodi fabellis absurdis et anilibus perlectis profecto non 85. est quod miremur, Christianos a Romanis superstitiosum genus hominum (*Sueton. Ner.* 16) appellatos, et inprimis ab Ulpiano petitos esse illa lege (1 §. 3 *de extr. cogn.*) qua „non sunt ista medicinae genera," edixit, „si quis imprecatus est, si ut vulgari verbo impostorum utar, exorcizavit." Longe aliter atque haec Ro-

mana lex, jus Canonicum (*c.* 4. *c.* 33. *qu.* 1) disertis verbis „exorcismum praescribit, et *largiores eleemosynas* dare jubet, si per sortiarias ac maleficas occulto, sed nunquam injusto, dei judicio permittente, et diabolo praeparante, concubitus matrimonium non sequatur.“ Sed hujus legis caput esse videtur, ut largiores darentur eleemosynae secundum illud Dodonaei. *Δωρα θεους πειθει.* „At vos“ Persius (2, 69) exclamat

„Dicite pontifices in sancto quid facit aurum?

Justa igitur Ciceronis (*de leg.* 2, 9) lex „Impius ne audeto placare donis iram deorum.“ Ita Zaleucus legislator (*ap. Diodor* 12, 20) in legum suarum prooemio „dii non impensis“ inquit „sed honestis moribus gaudent.“ Optime etiam hac de re Jesajas (58) scripsit, et apud omnes certe quos legi Judaeorum prophetas verba iis saniora reperi nulla. Philosophi etiam Graecique Romanique hoc modo sentiunt, ita ut Philostratus (*in vita Apollonii* 1, 7, *p.* 12) et Porphyrius (*de abstin.* 2, 60. *p.* 209) superstitiosam hominum de diis opinionem notent, qua corrumpi largitionibus eos posse credant; et Cicero (*de leg.* 2, 16) pro sententia sua Platonem advocet, qui (*Alcibiad.* 2) „neque enim,“ inquit, „ejusdem est dei natura, ut ducatur muneribus quemadmodum improbus fenerator: etenim grave esset si deus ad donaria et sacrificia nostra respiceret potius quam ad animum.“ Iisdem fere verbis Demophilus (*Gal. opusc. myth. p.* 621) „nullum donum“ scribit „majus virtute a deo accipi potest. Munera et victimae nihil honoris deo con-

ferunt, neque suspensa templis donaria deum ornant: at vero m e n s p i a solide nos cum deo conjungit."

Sed ad exorcismum ut redeat oratio nostra, eo superstitiosi homines etiam in anguillis, vermibus, insectis, aliisque animalibus noxiis usi sunt (*Lambecc. comm. bibl. Caes. ed.* 2. *P.* 7. *p.* 526. *sequ. Del Rio* 3, 2, 4, 8. *p.* 460. *sequ.*) vel, quod magis est absurdum, illa, ut vocant, excommunicarunt! Ita lepidam profecto sententiam legimus latam (*Charpentier gloss. nov.* 2. *p.* 311) ab officiali Trecensi his quidem verbis: „Nos auctoritate, qua fungimur in hac parte, praedictos bruchos et erucas et animalia praedicta, quocunque nomine censeantur, monemus in his scriptis sub poenis maledictionis et a n a t h e m a t i s a t i o n i s, ut infra sex dies a monitione in vim sententiae hujus a vineis et territoriis dicti loci de Villanoxa discedant, nullum ulterius ibidem, nec alibi in dioecesi Trecensi nocumentum praestitura. Quodsi infra praedictos dies jam dicta animalia huic nostrae admonitioni non paruerint cum effectu; ipsis sex diebus elapsis, virtute et auctoritate praefatis, illa in his scriptis a n a t h e m a t i s a m u s et eisdem maledicimus!" .. Nec muscis pepercerunt heroes illi. Si enim fidem habeamus S. Guillelmo abbati, S. Bernardus (*v. ej. vitam L.* 1 *c.* 12), deficiente remedio adversus muscarum multitudinem „E x c o m m u n i c o eas" dixit „et mane omnes pariter mortuas invenerunt." Nonne simillimus hic videtur illi בעל זבוב vel certe *ἀπομυίῳ Δι*? Nonne quaerendum erat hujus fabellae auctori a cujus commu-

nione interdictae fuerint excommunicatae illae muscae? O! stultum miserumque hominum genus.

87. Non autem animalia tantum, res etiam inanimatas exorcisabant. Instar omnium exemplo sit haec formula, qua sal exorcisari (*in Agend. eccl. Mogunt.* 1599. *p.* 72) jubetur: „Exorciso te creatura salis in nomine dei patris omnipotentis et in caritate domini nostri Jesu Christi et in virtute spiritus sancti. Exorciso te per deum vivum, per deum verum, per deum sanctum, qui te ad tutelam (?) humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem (sic) per servos suos consecrari praecepit, ut in nomine sanctae trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum (sic) inimicum."

88. Certe rectius usus est voce credulitatis Cornelius Agrippa, qui, „ut religio" inquit, „fidem, sic credulitatem requirit superstitio, quae religionem imitatur in excommunicandis vermibus et locustis, ne noceant frugibus, in baptizandis campanis et imaginibus (*Occultae philos. L. III. c.* 4 *Op. Lugd. ed. p.* 253), in excommunicandis sepulturis vel exequiis ad exterminandos morbos, vel serpentes, mures, vel verniculos, quod in pluribus locis sic factum legimus et adhuc fieri consvevit (*c.* 33 *f. p.* 317)." Agrippae igitur temporibus ista adhuc superstitio viguit, nec pro certo scimus, an nostra etiam aetate omnes Christiani ab ea sibi temperent. Sapientior omnino ille Geoponicorum compilator fuit. Etenim exscripsit quidem (*XIII*, 5. *p.* 360) haec ex Appuleji libro:

„chartam accipe et in ipsam haec scribe: Adjuro mures omnes hic prehensos ne me injuria afficiatis ipsi, neque alium sinatis; do enim vobis agrum hunc (et nominas qualem): si vero vos deinceps hic deprehendero per deorum matrem distraham vos in septem partes. Haec ubi conscripseris, chartam in loco ubi mures sunt ante Solis ortum agglutinato (ita ut literae foras prospectent) ad lapidem sponte naturae productum;" sed suam deinde compilator sententiam hanc addidit: „Non probo omnia ejusmodi, absit! Immo omnibus idem consulo, ne ulli talium risu dignorum animum advertant." Quod reliquum est quanta impietas, quantaque fraus subfuerit campanarum baptismo vel consecrationi et exorcismo non Wierus solus docuit (*in oper. p.* 20 §. 3.); sed Choulius etiam (*de relig. Rom. p.* 234) ista reprehendit hisce verbis: „Atque illud, quod gentes in ridiculosis eorum superstitionibus, nos ad nostram religionem Christianam transtulimus, facientes consecrare et benedicere parvulis nostris agnis dei ac nostris campanis, quae illo mediante virtutem acquirant ad tempestates et injurias coeli arcendas; aeque ac sal et aqua per benedictiones et exorcismos illorum vigorem atque virtutem accipiant ad spiritus malos fugandos."

Quo nunc quaeso jure gnosticos solos exorcismi accusabimus? 89.
Quo jure illos inquam, quum ipse pontifex Romanus Sixtus V ingentem obelisci Aegyptiaci molem per episcopum exorcisandam curaverit (*Casal. de profanis et sacr. ritib. c.* 3 *f. p.* 19. *Paw re-*

cherch. sur les Egypt. I, 24)? Nonne certo certius hinc etiam adparet „unam *superstitionem esse cunctis?*" .. Sed bene habet, quod nostra aetate plerosque homines sanioris mentis esse videmus. Mayero igitur (*in hist. diaboli p.* 581) quaerenti „cur hodie rariora sint obsessorum exempla?" respondemus verbis Ciceronis (*divin. II,* 57) „quia homines minus creduli esse coeperunt." Ipsi enim daemones jam rarescunt: Et si quod est genus hominum, cui sanior in nostro hoc seculo ratio bene ac feliciter evenerit, sunt profecto aniculae, quibus Thomasium nactis patronum hodie, ut Friederici M. verbis utar, *in pace senescere licet.* Etenim „dandum" Seneca (*de ira* 2, 22. *Op. p.* 30) inquit, „semper est tempus; dies *veritatem* aperit." Egregie quidem et vere: *temporis* enim haec est *filia* (*Plutarch. qu. Rom. p.* 266).

CAPVT VII.

De angelis et coelis pluribus.

90. Alia a patribus in gnosticos jactata criminatio est, immensam angelorum multitudinem ab eis esse introductam. Siquidem „Valentinianum," Tertullianus (*adv. Marcion. I,* 5. *p.* 9) ait, „usque ad triginta aeonum fetus, tanquam Aeoniae scrofae examen (multitudinem) divinitatis effudisse." Basilidi idem (*praescr. c.* 46. *p.* 61) vitio vertit „infinitas angelorum editiones et probolas, et ab istis

angelis CCCLXV coelos institutos." Ipsa etiam Basilidis verba Epiphanius (*haeres.* 24 *p.* 69) haec prodit: „Angeli angelos rursum alios propagarunt. Qui et ipsi secundum coelum fabricati sunt, et alios insuper angelos produxerunt. Hi tertium adjecerunt coelum: atque ita singillatim uno post aliud coelo identidem constituto ad CCCLXV perficiunt." Quae denique iisdem fere verbis repetit Theodoretus (*haer. fabul. IV. Op. T.* 4. *p.* 291. 292). Videamus igitur num ea de pluribus et angelis et coelis opinio gnosticis solis propria fuerit, et peculiaris.

Homines nullum sine satellitibus ac ministris regem videntes 91. facile sibi persvaserunt, deum, omnibus regibus longe superiorem, non posse ejusmodi comitatu destitutum esse. Quin ipsi etiam patres non solum hoc exemplo utuntur, sed angelis etiam eadem munera tribuunt in coelo quae illis regum ministris in terra tribui solent (*Epiphan. haeres.* 40. *p.* 294). Eandem apud se opinionem confirmarunt homines arbitrando supremum numen magis decere facere per alios quae facienda essent, quam omnia et singula ipsum curare. Quo factum est, ut Romani non intelligerent Christianos, qui deum ubique praesentem praedicarent. Hanc enim doctrinam ridentes „Discurrentem," inquiebant (*Minuc Felix* c. 10), „atque ubique praesentem, molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum: siquidem adstat factis omnibus, locis omnibus intererrat: cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis occupatus." Similiter

Plinius (*II*, 7. *p.* 72) „Irridendum vero“ scripserat „agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, summum. An ne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusve?„ - -

92. Quibus de causis quum inferioribus numinibus haec magis convenire homines putarent; eo adducti sunt, ut genus fingerent angelorum. Atque hanc hujus opinionis originem nomen ipsum prodit, quod in antiquissimis quibusque linguis ministri discurrentis notionem exprimit (*Hyde relig. Persar. c.* 20. *p.* 270). Ita unum idemque Hebraeum vocabulum מַלְאָךְ tum ministrum hominem (*Gen.* 32, 3. *Num.* 24, 11), tum divinum* nuntium (*Gen.* 16, 17. 24, 7. *Exod.* 23, 20) significat. Pariter apud Graecos vox ἄγγελος quo nuntius denotabatur, seriori tempore alteram notionem angeli divini superinduit. Quo factum est ut Martianus Capella (*L.* 2 *p.* 39) scriberet: „Genius quoniam cogitationum arcana superae annuntiat potestati, angelus poterit nuncupari.“ Ita Raphael etiam angelus (*Tob.* 12, 12) hominum verba deo referre perhibetur. In his atque similibus quemadmodum deus humana mutuatus inducitur, vice versa terrarum dominos ministrorum suorum beneficio diis quodammodo aequiparatos vidimus. Namque Medorum regibus quum in more esset, ut exploratores auscultatoresque per universam, cui imperabant, regionem constituerent (*Herodot. I*, 100), idem mox ad Persas transiit (*Id.* 114. *Xenoph. Cyrop.* 8, 2, 10 *sequ. Pollux* 2, 84 *p.* 195. *Aristoph. Acharn.* 95. *Heliodor. L.* 8. *f. Stanley ad Aeschyl. Pers.* 973. *Brisson. oper.*

p. 494). Quod enim Plutarchus (*de curios. f. p.* 522) scribit, „Darium primum fuisse, qui ὠτακουστὰς usurpaverit" parum id cum eis cohaeret, quae Herodotus de Medis ac Persarum Cyro jam tradiderat. „Erant" igitur „apud Persas," ut Appulejus (*de mundo. p.* 347. *Oudend.*) inquit „in comitatu regio homines, quos aures regias et imperatoris oculos vocabant, per quae officiorum genera rex ab hominibus d e u s esse credebatur, quum omnia, quaecunque gererentur, ille otacustarum relatione discebat." Eadem de Mida, Phrygum rege, narrantur (*Georg. Sabin ad Ovid met. XI,* 180). Eademque in Neo-Platonicam transierunt philosophiam (§. 94. *et Philo Judaeus de somniis. Op. p.* 586).

Ad Romanos quod attinet notatu dignus est apud Plautum 93.
locus, (*Rud. in prolog.*), quo Arcturum introducit loquentem:

„Qui gentes omnes, mariaque et terras movet
Ejus sum civis civitate coelitum.
Ita sum, ut videtis, splendens stella candida,
Signum quod semper tempore oritur suo
Hic atque in coelo. Nomen Arcturo est mihi.
Noctu sum in coelo clarus atque inter deos:
Inter mortales ambulo interdius.
Et alia signa de coelo ad terram accidunt.
Qui est imperator divum atque hominum Juppiter
Is nos per gentes alium alia disparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem et fidem

Noscamus. - - - -
Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.
Cottidie ille scit, quis hic quaerat malum."

Deum igitur non posse carere ministris cuncta sibi subministrantibus et imperio suo obedientibus, omnes fere homines sibi persvaserunt atque illos ipsos deinde angelos appellarunt (*Hyde p.* 292).

94. Eandem philosophorum quoque fuisse sententiam (*Plutarch. de Is. p.* 361. *Minuc. Fel. c.* 26. *f.*) a Platone (*sympos. p.* 1194) discimus, qui, ut Appuleji (*de deo Socrat. Op. II. p.* 132) verbis utar, „quasdam divinas medias potestates esse tradit, per quas et desideria nostra et merita ad deos commeent -- inter terricolas coelicolasque vectores hinc precum, inde donorum; qui ultro citro portent hinc petitiones, inde suppetias. Quos curare singula, proinde ut sit eorum cuique tributa provincia. -- Quae cuncta coelestium voluntate et numine et auctoritate, sed daemonum obsequio et opera et ministerio, fieri." Similia ex Neo-Platonicorum numero Philo (*l. c.*) habet, et Porphyrius (*de sacrificiis p. m.* 310), *διαγγέλλοντας* illas potestates appellans. Atque eandem doctrinam tam Sabii (*Hyde* 128) quam Samaritani (*Gesenii carmina Sam. p.* 65. *f.* 79) amplexi esse videntur.

95. Quoniam autem assignandum esse videbatur dei apparitoribus domicilium, idque terra elatius deoque propius; sponte natus est error, quo ducti singula astra ab illis habitari, quin etiam gubernari putarent. „Secundum philosophos," Servius (*ad Aen. II.* 133)

inquit, „dicuntur sidera elementa esse et habere proprias potestates.“ Ita apud Ciceronem (*nat. deor.* 2, 12 *et* 15) legitur „animantem esse mundum -- Solem quoque animantem et reliqua astra“ -- quibus „sensum inesse et intelligentiam.“ (*conf. Philo. de mundo. Op. p.* 16). Quas igitur Plato vult esse potestates, has idem, et natura, et *loco, medias* inter deos atque homines ponit (*Appulej. de mag. Op. II. p.* 498.); easdemque Jamblichus (*S. I. c.* 19. *p.* 32) „conscendere (ἐπιβαίνειν) sphaeras coelestes“ auctor est. Sed oblocuti sunt Epicurei, errorisque causam hoc modo Lucretius (*V.* 1182) aperire sibi visus est:

> *„Praeterea coeli rationes ordine certo*
> *Et varia annorum cernebant tempora verti;*
> *Nec poterant, quibus id fieret, cognoscere causis.*
> *Ergo perfugium sibi habebant omnia divis*
> *Tradere, et illorum nutu facere omnia flecti,*
> *In coeloque deûm sedes et templa locarunt,*
> *Per coelum volvi quia sol et luna videntur“* - -

Sint licet ista mera philosophorum somnia: longe tamen in- 96.
eptiora esse videntur; quae hac de re sanctus Isidorus (*de nat. rer. c.* 27. *Op. VII.* 41. 42) disputat. Postquam enim dixerat, ab Augustino (*ad Oros. c.* 11) disquisitum esse, „utrum Sol et Luna et aliae stellae corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos“ sic pergit: „Salomon -- ostendit, ipsum Solem spiritum esse, et quod animal sit, et spiret, et vigeat. -- Quapro-

pter si corpora stellarum animas habent, quaerendum, quid futurae sint in resurrectione?" Haud scilicet memor erat vir pius canonis in quinta synodo oecumenica a Justiniano convocata his verbis pronuntiati: „Si quis dicit, coelum et Solem et Lunam et stellas -- animatas quasdam esse et materiales virtutes, *anathema sit*" (*Nicephor.* 17, 28. *Vossii idolol. II,* 30. *Op. T. V. p.* 169). Neque Isidorus ipse ad quaestionem suam respondere est ausus, quam certe jurisperitus quisque Domitianam appellasset.

97. Istas autem stellas non omnes ejusdem ordinis esse ab antiquissimo tempore, quo primores semper Sol et Luna habebantur (§. 309. 311), constans fere hominum opinio erat. Unde Manilius (*in f. operis*) gradus eorum hoc pacto descripsit:

„*Sunt stellae* procerum *similes, sunt proxima primis*
Sidera, suntque gradus, atque omnia juncta priori.
Maximus est populus, *summo qui culmine fertur,*
Cui si pro numero vires natura dedisset,
Ipse suas aether flammas sufferre nequiret,
Totus et accenso mundus flagraret Olympo."

Sed ne patres quidem credidere angelis omnibus aequalem esse potestatem (*Hieron. ep. ad Ephes.* 1, 1, *f.*) Namque „ii," Isidorus (*etym.* 7, 5, 6 *et* 7. *Op.* 3. *p.* 313) inquit, „qui parva vel minima annuntiant, sunt angeli: qui vero summa, archangeli dicti." Archangelos angelis praeesse Zacharias propheta testatur verbis: „Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et angelus alius

egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Curre et loquere ad puerum istum" cet. Quae licet ex humana quantacunque imbecillitate traducta essent; nihilo tamen minus in ejusmodi Judaeorum somniis acquieverunt patres. Quis enim non e gnosticis aliquem audire sibi videbitur legens ab illis scriptum „novem esse ordines angelorum, angelos, archangelos, thronos, dominationes, virtutes, principatus, potestates, Cherubin et Seraphin" (*Isidor.* §. 4 *p.* 313. *Euseb. p.* 327)? Aegyptiorum denique et eorum dogmata praedicantium philosophorum de variis angelorum generibus commenta Jamblichus (*p.* 41) et ad eum Galeus (*p.* 206 *sequ.*) tradiderunt.

Ista autem de corporibus coelestibus doctrina quum jam Ae- 98.
gyptii, Chaldaei, Graeci (*Vossii idolol. II,* 30. *Clericus in ind. ad Stanleium voc. Aeg. et Stellae*) et omnes fere populi imbuti essent, quid mirum ab eis denique qui Christianam amplecterentur religionem, regimen illorum corporum angelis assignatum esse? Quid mirum, quum in ipso sacro codice (*v. Bellermann. III.* 28) hanc doctrinam reperire sibi viderentur? Quinam enim exercitus illi, quorum dux atque dominus dicitur deus? Profecto non nisi astra! Quae quidem infirmorum et invalidorum militum instar fuisse necesse est, nisi veras in iis potestates a priscis hominibus creditas esse statueris. Non desunt igitur ex veteribus ipsis qui vocem illam צבאות interpretentur *δυναμεις* (§. 480). Nec nostri theologi sententias, in quibus illud vocabulum legitur, explicare possunt, nisi profitendo confundi in sacro codice astra cum angelis, ea in-

habitantibus (*v. Gesen. h. v.*). Nonne autem hoc ipsum est, quod alios fecisse modo vidimus, quodque et gnosticis crimini datur?

99. Qui quidem eo minus culpari poterant, quo saepius animadvertebant „Lunam coelorum reginam appellari (*Jerem.* 7, 18. 44, 17), angelos ascendere et descendere (*Gen.* 28, 12), hominibus adparere (16, 14), eosque custodire (*Genes.* 24, 7. *Exod.* 23, 20. *Ps.* 34, 8. 91, 11. 104, 4), quin etiam, diis illis deabusque Homeri similes, populis inter se pugnantibus alios contra alios adstare et auxiliari (*Daniel.* 10) -- „quod credere stultissimi esse" observat Cicero (*N. D.* 2, 28) -- „stellas quoque adversus Sisaram pugnare (*Judic.* 5, 20)" -- pari scilicet modo, quo

„*Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,*
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit."

Sed in *novo* etiam *foedere* iidem gnostici quum invenirent frequenter factam angelorum mentionem (*ep. ad Hebr.* 1, 4. *sequ. et* 14. *Act. apost.* 7, 53), ipsum Paulum (*Cor.* 2. 12, 7) confitentem, colaphis, ab angelo acceptis, superbiam suam esse compressam, et (*Col.* 1, 16) memorantem „condita in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive thronos, sive dominationes, sive principatus, sive potestates;" quum denique confunderent *αἰῶνα*, aevum, cum aeonibus, angelis (*Tertull. de praescr. c.* 7 *et* 33. *Isid. etym. VIII,* 6, 22. *Op. III.* 364); et eruerent e loco (*Eph.* 3, 21) male intellecto, et ex alius loci (*Joh.* 3, 6) verbis „quod natum est ex spiritu spiritus est" angelorum ex angelis generationes: iidem, inquam,

gnostici confirmati magis sunt in illa de aeonibus, sive angelis coelos habitantibus opinione, ob quam patres ecclesiae tam vehementer eos accusant.

Angelos autem alios ab aliis genitos esse, uti gnostici statuebant, vel ipsorum patrum fuit doctrina (*Justin. Martyr p.* 44. 55 aliique). Quin Lactantius (*II,* 14. *p.* 148) etiam poetarum Judaicorum figmentis, quae ipsam Aegyptiacam produnt originem (*Plutarch. in Numa p.* 62), se adduci passus est, ut cum mulieribus angelos concubuisse statueret, indeque *terrestres* daemones *procreatos,* quorum parentes in coelo essent! Victum scilicet in viro ceteroquin docto et egregio judicii acumen videmus imbecillitate humana; alioquin haud tribuisset coelestibus naturam corpoream, sine qua cum filiabus hominum concumbere vix poterant. Saniorem certe illius loci (*Genes.* 6, 2) interpretationem Symmachus olim dederat. 100.

Quantumvis denique singularis gnosticorum de angelorum natura et operibus opinio fuerit; magis tamen mira sunt, quae a patribus ecclesiae aliisque theologis hac de re proferuntur. Ita Lactantius, postquam „deum creavisse innumerabiles angelos (*IV,* 6), quos omnes dei spiritus, filium autem dei sermonem esse," dixerat (*IV.* 8.) „differentiam tamen" ait „intercedere inter dei filium et angelos, siquidem spiritus naribus sermo autem ore procedat." Quibus quid ineptius fingi ab illo potuerit, haud facile est dictu. 101.

102. Ac de operibus muneribusque angelorum quot et quam superstitiosa homines excogitarunt! Detectae fuerunt Panormi septem angelorum imagines, quibus singulis haec adscripta erant: „Michael, victoriosus; Gabriel, nuntius; Raphael, medicus; Uriel, fortis socius; Iehudiel, remunerator; Barachiel, adjutor; Sealtiel, orator" (*Cancellierius de secretariis. II. p.* 1019). Quodsi ista a bonis Christianis scripta esse novimus, profecto desinamus mirari necesse est, gnosticos quoque angelis suum cuique munus assignasse? Nec tamen eo usque progressos eos invenimus, ut, artem poeticam quoque angelorum alicui adtribuerent: id quod pio illi viro accidisse videtur, qui vitam Bedae Venerabilis scripsit. Ita enim ille: „Discipulus ejus quum, ipso (*Beda*) defuncto, titulum sepulcro facere disposuisset unico carmine Leonino sic incipiens: *Hac sunt in fossa*, - - et vellet finire *Bedae sancti* vel *presbyteri ossa;* nec metrum stare posset, et nullum aliud vocabulum eidem occurreret; attaediatus tandem ivit dormitum. Et ecce! mane in tumulo manibus angelicis reperit scriptum: *Hac sunt in fossa Bedae venerabilis ossa.*" Itaque in malis etiam versibus Leoninis faciendis occupatos fuisse angelos videmus! Alius cum Pachomio disputationem instituit, quam apud Palladium legere licet (*Woidii notit. codic. Alex. cura Spohnii p.* 73. 74). Alius, otiosus verisimiliter et vacuus, aenigma in tabula marmorea inscriptum ita proposuit, ut nomina omnia in quartum casum inflecteret, omissis quidem verbis ad illa pertinentibus, quae legentium deinde sa-

gacitate divinarentur (*Salengrei thesaur. II.* 1258). Atque omnia ista multaque alia absurda nequaquam a gnosticis, sed ab iis, qui se bonos professi sunt Christianos, ficta esse legimus.

De immenso denique angelorum numero commentum profe- 103.
cto non gnosticis imputandum erat. Quantam enim angelorum multitudinem enumeraverint Judaei Hydeus (272) et Scaligerus (*ad Euseb.* 244), quantam Saraceni Kircherus (*Oedip. II. I.* 140), quantam Persae idem ille Hydeus (139. 177 *sequ.* 182) et Anquetilius (*Mem. de l'acad. Tom.* 34. *p.* 406) docuerunt. Zabiorum etiam et Samaritanorum (*Gesen. carm. p.* 70) scripta satis frequentem multorum angelorum mentionem faciunt. Atque ex Christianis Michael Psellus (*de omnifaria doctrina cap.* 19) quaestionem tractat „pluresne sint homines an angeli?" Eorum denique cultum jam Christi temporibus tantum fuisse constat; ut Paulus apostolus haud superfluum duxerit (*Colos.* 2, 18) Christianos ab eo dehortari. Nec profecto mira videri potest inducta angelorum multitudo, quum legatur (*Deuter.* 33, 2) „deum apparuisse cum myriadibus sanctorum," quos angelos fuisse, pluribus in novo foedere locis (*Act.* 7, 53. *Hebr.* 12, 22) edocemur; scribatque Eusebius (*demonstr. ev. V. c.* 19. *f. p.* 246. *et c. Marcell. II,* 9. *p.* 115 *ex Dan.* 6, 10) „Millia millium angelorum ministrabant deo, et decies millies centena millia assistebant ei;" numeretque apocalypseos auctor (9, 16) angelorum, quod mireris, *equis* etiam *vectorum,* vicies millies dena millia! Sed minime contenti tanto exercitu Thalmudistae numerum angelorum

haud minorem esse quam 301655172 tradiderunt (*Kircheri Oedip. II.* 255). Quae quamvis rideret Kircherus Lojolita; istos tamen superavit Gasparus Schottius, ex eadem societate Jesu sodalis, qui (*magiae P.* 3 .*p.* 598) evidentissime," ait, „se demonstraturum, omnium angelorum numerum esse 2705325297814995628536548496165479368800000000000000000000000. Si quis vero de enormi hoc numero dubitaverit; ingenue fateor me istius summam ad calculos neutiquam revocasse.

104. O! felices priscis quidem temporibus angelos. At vero Zacharias pontifex concilio anno DCCXLV Romae convocato omnes exulare ore hominum jussit exceptis tribus, Michaele, Gabriele et Raphaele, quorum nomina enuntiare fas esset (*Mansi. XII.* 380). Nihilo tamen minus Caroli M. temporibus Franci praeter hos etiam Orihelem, Raguelem et Tobihelem in litaniis (*Mabill. anal. II.* 682) invocarunt, quoad Romana illa prohibitio in Capitularibus repeteretur (*Baluz. I.* 220. 515. 707. 837). Romani autem pontifices nequaquam impedire valuerunt, quominus Uriel angelus sacerdoti cuidam Antonio del Duca, ut ipse narrat, „clarissima in luce refulgens" (Virgilium ab eo lectum esse vides) adparuerit eique thermas Diocletianas in honorem septem illorum angelorum quorum supra mentio facta est (§. 102) conversum iri praedixerit (*Cancellier. II.* 1025). Nec mentitus est angelus. Pontifex enim Pius IV, prohibitionis antecessoris immemor, ea, quae Uriel praedixerat facienda curavit (*Cancellier.* 1025. *sequ.*) nihil moratus canonem

illum Antiochensem (35. *Canis. lect. ant. II.* 271.) quo sancitum est: „Anathema sit quicunque relicta ecclesia angelos colere vel congregationes facere praesumserit.“ -- Sane dolemus, edita nondum esse ex thesauro Borgiano fragmenta libri lingua Coptica a medico quodam scripti, cujus doctissimus Rossius (*etym. Aeg. p.* 154) meminit. Auctor enim, qui ex ipsis fortasse gnosticis fuerit, ad morbos sanandos adhibet hasce angelorum invocationes: „Pro morbi remedio adjuro te angele“ -- et deinde: „Prodeat medicamen ab Vriel, Gabriel, Raphael.“ -- Quae certe ad amuletorum rationem, et remedia, a Marcello Empirico aliisque tradita, quam proxime accedere videntur.

Facilius etiam ignoscendum gnosticis erat, quod plures cre- 105.
derent esse coelos. Ipsum enim vocabulum Hebraeum שמים plurali numero usurpatur; quin (*Deuter.* 10, 14) scribitur etiam השמים ושמי השמים -- Ita non a Romanis tantum philosophis quaestio proposita fuit, „utrum unum coelum esset an innumerabilia“ (*Cic. ad divers.* 9, 26 *f.*); sed ex patribus quoque, si Ambrosium (*ap. Isidor. de nat. rer. c.* 13. *Op. VII.* 25) audias, is „legimus, inquit, in David: Laudate eum *coeli coelorum.* Utrum enim unum sit coelum, an plures, contentio est, dum aliqui multos esse asserunt; alii praeter unum alios esse negant. Philosophi autem mundi septem coelos, id est planetarum globos consono motu introduxerunt.“ -- Pariter septem Clemens Alexandrinus (*Strom. IV. p.* 538) statuit. „Siquidem,“ pergit Ambrosius, „in ecclesia

sticis libris et coeli coelorum leguntur, et apostolus Paulus usque ad tertium coelum fuisse se intelligit raptum." Locum, quo apostoli verba leguntur (*II Cor.* 12, 2) nemo facile ignoraverit: ignorat forsan non nemo, a Carolo Crasso (*Hist de l'acad. T.* 34. *p.* 213) atque a recentiorum etiam aliquo apostolum imitatione expressum esse. Ita enim Postellus (*ap. Fabric. cod. pseud. V. T.* 561.) scribit: „Si dixero me in coelo vidisse in ipsis linguae sanctae characteribus ab Esdra primum publice expositis ea omnia -- vix ullus mihi crediderit." (Hactenus vere dixerat) „Tamen mihi testis est deus et Christus, quia non mentior, sed scio certissime me fuisse, non in corpore, sed in anima, raptum usque ad superiorem coelestium orbium partem, et ibi vidisse ea, quae si velit homo, licet quidem nunc, sed non posset homini alteri enarrare." Haec ille hypernephelus! Ex gnosticis tamen, quantumvis istos insaniisse dixeris, nullum me legere memini ad tam remota vel ultima iter intendisse. „Haud enim concolor error quamvis una superstitio cunctis!"

CAPVT VIII.

De nominibus barbaris.

106. Praeterea reprehensi a patribus gnostici fuerunt in nominibus barbaris, ab ipsis, aut angelorum appellandorum, aut suorum dogma-

tum causa fictis (*Irenaeus L.* 1, 24, 5 *et* 7. *p.* 102. *Epiphan. haeres.* 16, 2. *p.* 34. *haeres.* 25 *p.* 77. 78. *haer.* 26. *p.* 82. 83. 90. 91. 92. *haer.* 31. *p.* 164. 165. 171. 176. *haer.* 36. *p.* 263. *haer.* 38. *p.* 277. *Theodoret. haer. fab. de Basil. cet. Euseb. hist. eccl. IV.* 11. *p.* 124. 125. *Augustin. catal. haer. ab init.*) At vero gnosticorum plurimi barbari ipsi erant. Quidni homini Aegyptio Aegyptiaca voce, Syro Syriaca, cet. uti licuerit? Quorum nominum quum Hieronymus (*ep.* 29 *ad Theodoram*) haec attulisset: „Armagil, Barbelon, Abraxas, Balsamo, et ridiculum Leusiboram;" ad ea animadvertit „magis portenta quam nomina esse, quae ad imperitorum et muliercularum animos concitandos, quasi de Hebraicis fontibus hausta sint, barbaro simplices quosque terrentes sono, ut quod non intelligerent, plus mirarentur." -- Sed non omnia haec nomina interprete carent; miramurque doctum Bellermannum (*I.* 28) ejusque censorem (*Hall. Lit. Zeit.* 1818. *II. n.* 192) ad nomen Balsamo non meminisse Eusebii, qui (*praep. ev. I,* 7, *p.* 34) Phoenices, inquit, „deum Solem unum coeli moderatorem esse credebant, eumque propterea *Βεελσαμὴν*, id est *Phoenicum* lingua coeli dominum nominabant." Romani quidem hoc nomen suo more terminantes, gemmae, in qua galea cum clypeo et gladio conspiciuntur, inciderunt: BALSAMO (*Winckelm catalog.* 181. *n.* 1051). Idem nomen deae etiam tribuerunt in cujusdam lapidis titulo (*ap. Gruter.* 1067, 2) „MINERVAE BELISAMAE" sacro. Atque Hieronymum ipsum non fugisse hanc illius nominis significationem ex eo colligimus,

quod (*in Amos. c.* 3.) de Sole dicit „quem ethnici Meithram, et Iberae ineptiae" (haereticos intelligere videtur in Hispania degentes (*v. ips. ad Esaj.* 66, 19) „in *Balsamo* Barbeloque" (בר־בְלא. *Petav. ad Epiph. p.* 40) „mirantur" (*conf. Fabric. cod. pseudepigr. V. T. II.* 188). Certe Phoenicium illud nomen quum ipsis gnosticis longe antiquius sit, de reliquorum etiam nominum origine judicium suum patres suspendere debebant.

107. Quod autem Hieronymus ait ab imperitorum vulgo peregrinis et ignotis vocibus majorem vim, quam iis, quas intelligerent, attributam esse, hoc nemo in dubium vocabit (§. 345 *sequ.* 500). *Το φασνον*, Synesius (*encom. calvit.*) inquit, *καταγελασεται ὁ δημος δειται γαρ τερατειας*. Quare ipsum Pythagoram Lucianus (*Gall. c.* 18. *Tom. VI. p.* 317) fingit confessum, se nova et arcana statuisse, quo magis admiratione percellerentur homines in obscuris a se datis praeceptis: et sane mirum, quod Plutarchus quoque (*in Numa p.* 65) illum philosophum pro impostore habere videtur. Quumque Lucianus (*Philopseud.* 12. *T. VII. p.* 261) fabulam referret de Babylonio quodam, qui „pronuntiatis ex veteri libro sanctis septem nominibus (*videatur* §. 115) omnes ex praedio serpentes ejecerit;" et de muliere Syra (*dial. meretr.* 4. *T. VIII. p.* 214) „carmen volubili lingua dicente cum barbaris horribilibusque nominibus;" nec non (*Necyom.* 9. *T. III. p.* 12) de mago „barbara quaedam et ignota nomina multasque syllabas pronuntiante;" non nisi insitam illorum temporum hominibus superstitionem describere voluit. Magos enim

verbis barbaris usos esse vel ex poetis constat (*Lucan.* 6, 577. *Valer. Flacc.* 8, 69). Unde Heliodorus quoque (*L. VI.*) matrem, filium mortuum excitaturam, refert, *peregrinis* nominibus precatam esse. Atque hancce de nominum efficacia superstitionem Judaeorum etiam et Chaldaeorum fuisse constat. Cui apud illos quidem ansam dederunt multi in sacris eorum libris loci (2 *paral.* 7, 14. *Jerem.* 15, 16. *Joel* 2, 32. *Ps.* 20, 1. 44, 6. 107, 20), quibus perperam intellectis fabulas ipsi finxerunt, alii, a Mose Aegyptium solo verbo interfectum esse (*Clem. Alex. strom. I. p.* 344 *Buxt. lex. Chald.* 2436), alii, inscripto dei nomine in ipsius baculo (*Gale ad Jambl.* 306); alii Cainum ad deum locutum esse „quid? si surgat in terra frater, atque commemoret *nomen* tuum *magnum* (§. 475) meque interficiat" (*Fabric. cod. pseud-ep. V. T. II.* 47). Tantam aliis etiam nominibus vim inesse stulti sibi persvaserunt, ut a Juliano Chaldaeo lapis vi verborum divisum fuisse crederent (*Sozomenus in hist. eccl. I,* 18 *f. p.* 433); et in Apolonii Tyanei nomine magicas inesse virtutes fingerent (*Euseb. c. Hierocl. p.* 541), cet.

108. Cui quidem rei quum major lux aliunde afferri nequeat, quam ex Anebonis (Jamblichi) tentata refutatione eorum, quae a Porphyrio disputata erant; haud gravabor, praecipua, quae huc spectant, argumenta exscribere. Etenim Porphyrius, postquam in epistola sua (*Euseb. praep. V.* 7, 11. *p.* 198) multa miracula a Chaeremone, sacerdote Aegyptio, jactata fuisse dixerat, sic pergit: „Jam preces quid tandem rationis habent? -- jam quorsum tot signifi-

catione carentia **nomina**? quorsum ex iisdem **barbara** pleraque potius, quam quae propria unicuique sunt, usurpant? Nam si numen, dum vocem exaudit, ejus ad significationem respicit, profecto cujus tandem cunque modi sermo fuerit, si modo eadem sententia manserit, satis per sese rem illa totam aperiet. Nec enim is, opinor, quem evocant, Aegyptius erat genere; nec, si erat, lingua tamen Aegyptiaca vel omnino humana voce utebatur. Verendum igitur, ne praestigiatorum artes istae sint."

109. Quae qui refellere conatur Anebo (*Jamblichus S. VII. C.* 4 *p.* 153 *sequ.*) „quaeris," scribit, „quid sibi velint **nomina** nihil significantia. Non sunt autem, prout tu existimas significatione destituta. Verum sint nobis ignota (licet quaedam sint nota, quorum solutiones a diis accepimus) sane omnia apud deos significant. -- Quicunque autem est divinus et intellectualis divinaeque similitudinis symbolicus character, hunc debemus in nominibus istis supponere; et quoties a nobis intelligi non potest, tunc maxime ideo est venerandus; praestantior utique est, quam ut in nostram notitiam dividatur. -- Sed quaeris quare inter divina significativa **nomina barbara** nostratibus anteponimus? Est quoque ratio hujus rei mystica: quoniam enim **sacrarum** (§. 110) gentium veluti **Aegyptiorum** et **Assyriorum** totum dii sermonem **sacrum** judicarunt, hanc ob causam colloquia nostra cum diis existimamus oportere facere in sermone diis quasi cognito. -- Et paulo post (*c. V. p.* 154): „Sed objicis: qui audit vocem, in nomi-

nibus ad significata respicit, atque adeo sufficit si eadem sit notio substrata qualecunque tandem vocabulum sit. Non est prout tu existimas. Nam si nomina essent ex humano instituto posita, nihil interesset his an illis, uterer is; si vero rerum naturae accomodata sint, sane quae huic maxime congruunt ea diis sunt maxime amica. Ex his igitur patet, sacrarum gentium sermonem merito ceteris esse praepositum. Adde quod eandem prorsus mentem non servant *nomina* in aliam linguam versa: sunt enim singulis gentibus quaedam idiomata, quae ab aliis gentibus suis vocabulis significari non possunt; et si forte possint verti, non tamen eandem suam vim ac potestatem conservant. Adde quod barbara vocabula plurimam habeant emphasin, et brevitatem non minorem." . .

Quam praeter Aegyptiacam, aeque sacram gentem laudat 110.
Assyriam, hanc Chaldaicam esse sive Babyloniam arbitror. Ita Strabo (*L.* 2. *p. m.* 86) Syros et Babylonios eosdem fuisse demonstrat. Ita Appulejus (*de mag. p.* 482. *Oudend.*) „magica nomina Aegyptiaco vel Babylonio ritu recensita" memorat; et Eusebius (*praep.* 9, 4, 10. *p.* 413) Assyrios ait Chaldaeos esse. Nomina enim Chaldaeorum et Babyloniorum, quamvis ab Herodoto (7, 63.) adhuc discernantur, posthac tamen promiscue usurpata sunt. Namque eundem Berosum, qui ab Africano et Tatiano Babylonius appellatur, alii Chaldaeum vocant; et Athenaeus Berosum laudat in *Βαβυλωνιακοῖς*, quae eadem Josepho et aliis scriptoribus sunt *Χαλδαϊκά*, Syncello *Χαλδαϊκαὶ ἀρχαιολογίαι* (*Fabric. Bibl. Gr. XIV.* 202.)

De lata nominis Assyriae significatione alio loco (*Bild u. Schr. II.* 148) multa jam verba feci; quibus omnino, quae Cellarius (*notit. orb. ant. II.* 333. 762) et Vossius (*idolol.* 2, 6.) docte digesserunt, addenda et haec etiam observanda sunt: Herodotus loco laudato aperte demonstrat Syros et Assyrios unum eundemque populum fuisse scribens „quos Graeci Syros vocant, iidem a barbaris Assyrii appellantur" Et haec quidem hodie in vulgus nota sunt. Complectebantur autem sub Assyriorum nomine quidam et Phoenices et Judaeos. Quem Deum Adad Sanchuniathon (*ap. Euseb. I,* 7. *p.* 38) Phoeniciis tribuerat, eundem Macrobius (*Sat. I,* 23. *f.*) Assyriis adscripsit. Phoenicum lingua Thor significare bovem Plutarchus (*Sylla p.* 465) refert, quae quidem vox תור dialecti sane Chaldaicae est. Phoeniciam theologiam Julianus imperator (*Op. p.* 150. 154) Edessenorum Syrorum appellat. Atque haec observent velim viri docti, qui nomine כתב אשורי Judaeis familiari non nisi literas Hebraeas, quibus nunc utimur, olim intellectas fuisse parum caute a quibusdam rabbinis sibi persvaderi sinunt (*v. Ewald gramm. Hebr.* 1827. *p.* 11. §. 19. *not.* 1). Quidni antiquiorem scripturam et Babyloniam, et Phoeniciam, hoc nomine comprehensam esse dicamus?

111. Judaeos porro, quos equidem persvasum habeo cum Phoenicibus ab origine unum eundemque populum fuisse, haud mirum est, Assyrios etiam et Syros appellari (*Marsham p.* 150. *Fabric. cod. pseudep. p.* 794. 795). Michael Psellus, qui (*ap. Gregor. Nanzianz. II.* 1132), „Assyrii" inquit „tesseris quibusdam infandisque

nominibus mysticisque literis in sacerdotalibus bracteis se ipsos sanctificantur" haud dubie Judaeos intelligit. Nec diversos ab his agnosco apud Herodotum (*II*, 104 *p.* 378) „Syros Palestinam incolentes, professos circumcidendorum pudendorum morem se ab Aegyptiis accepisse" (*Celsus ap. Orig. L.* 5. *p.* 257 *conf. Joseph. c. Apion. I.* 22. *p.* 453.) Idem nomen ab Ovidio usurpatur versu (*art. am.* 1, 416):

„Culta Palaestino septima festa Syro"

quem alius (*v.* 76)

„Cultaque Judaeo septima sacra Syro."

dilucide explanat. Veteres enim scriptores haud fugit adscititium nomen Judaeorum esse (*Dio Cass.* 37, 16. *p.* 122) licet forsitan non omnes veram ejus originem nossent. Clearchi exempli gratia (*apud Eusebium praep. IX. c.* 3. §. 5. *p.* 409) verba haec sunt: „Ille philosophus gente Judaeus erat ex Coelesyria. Hi apud Syros Judaeorum nomen a loco acceperunt." Cetera quae addit melius apud Josephum (*c. Apion. I,* 22. *p.* 454) leguntur. Quin sermo etiam Judaeorum modo Assyrius appellatus est (*Themist. in orat. ad Valentem, et in alia De clementia ap. Fabric. in bibl. Gr. VIII. p.* 8 *et* 12), modo Phoenicius (*Choerilus ap. Joseph. c. Apion. I,* 22. *p.* 454. *sive ap. Euseb. IX. c.* 4. §. 9. *p.* 412). Quapropter Lucianus illas linguas discernere non potuit, qui (*pseudom. c.* 3. *T. VII. p.* 77) scripserit, „impostorem voces obscuras protulisse, quales fuerint f o r t e Hebraeorum v e l Phoenicum." Sed linguae Phoeni-

cum et Hebraeorum, Syrorum et Chaldaeorum, dialecto tantum diversae facile inter se confundi a scriptoribus poterant. Hoc miror, a Philone (*de vita Mos. Op. p.* 657) Judaeo ipso dici, „legem scriptam esse lingua Chaldaica!" Neque etymon vocis Mannae, quale Josephus (*antiqu.* 3, *c.* 1. §. 6. *Op. p.* 121) profert, cum Hebraea dialecto convenit, sed cum eadem illa Chaldaica. Adeo confusae jam olim fuere dialecti.

112. Aegyptiacum autem sermonem quod attinet, Herodotus, postquam (*II,* 50. *p.* 324) contenderat „omnia propemodum deorum nomina ex Aegypto in Graeciam pervenisse" hoc factum (*c.* 52. *p.* 327) refert: „Pelasgos, quum didicissent deorum nomina ex Aegypto adlata esse, oraculum consuluisse, an nomina adoptarent deorum a barbaris adlata? quibus responsum esse datum, *uterentur illis.*" Atque hunc sacrorum nominum fontem in Aegypto fere perennem fuisse, recentiores etiam scriptores docent. „Memoriae proditum esse" Plutarchus (*de Iside p.* 375) ait, „in libris, qui Mercurii dicti, scriptum fuisse de s a c r i s n o m i n i b u s;" et Arnobius (*adv. gent. I. p.* 25) „Angelorum potentium *nomina* ex A e g y p t i o r u m adytis hausta esse." Quare Lucianus, qui corruptos seculi mores inprimis autem hominum superstitiones probe norat, haec impostoris cujusdam verba (*in Philopseud. c.* 31. *T.* 7. *p.* 282) tradit: „At ego sumo mecum libros (sunt autem mihi A e g y p t i a c i plures) ingredior domum -- adest daemon -- ego vero depromta allocutione maxime horribili, A e g y p t i o r u m ser-

mone usus, incantando illum redegi in angulum" cet. Galenus etiam (*de simpl. medic. VI. prooem. ap. Tiedemannum de magia p.* 14. 25) „pleraque" ait „herbarum nomina, quae a medicis adhiberentur, et in quibus applicandis incantationibus aliisque superstitionibus magicis uterentur, esse Aegyptiaca." Ac sane nobis in mentem ea revocant Homerum, qui (*Odyss. IV.* 219-230) in fertili Aegypto nasci ejusmodi pharmaca auctor fuerat (*conf. Herodot. II.* 116). Hinc etiam Aegyptiacam linguam magicam Lucanus (3, 224) appellat, cujus appellationis causam non repererunt docti illius interpretes (*p.* 201. *n.* 224). Ita enim ille:

„Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum volucresque feraeque
Sculptaque servabant magicas *animalia* linguas."

Quid? quod Rufinus (*hist. eccl. II, sive XI Euseb. cont. c.* 26) literas sacerdotales Aegyptiorum magicos esse characteres nobis persvadere conatur.

Quod nomina barbara mutari prohibet Anebo (§. 109) id superstitionem sapit vere Chaldaicam. In oraculis (*Lambecc. prodrom. p.* 106. *f. Cleric. Op. philos. T. II. p. m.* 329. *v.* 316) enim, quae sub Zoroastris nomine circumferuntur, legimus: „Nomina barbara nunquam mutaveris. Sunt enim nomina apud singulos a deo data, vim in sacris arcanam habentia." Inter ea planetarum peregrina nomina fuisse ex Apollinis oraculo (§. 243) colligimus, quo „planetas invocandos esse edicit vocibus illis arcanis, quas ma- 113.

gorum maximus septisonae rex reperisset." Quo etiam spectare videtur Damis (*ap. Philostrat. in vita Apolon. III,* 13. *p.* 147), qui „arcanas" ait „libationes, per quas astrologicam facultatem et divinandi peritiam inquirebant, sacrorum praeterea rationem et invocationum, quas diis gratissimas esse noverant, Jarcham cum solo Apollonio communicasse.

114. Atque idem de nominibus persvasum erat veteribus, nempe aliud alio gratius diis esse; quippe quorum alia sacra, alia profana, alia arcana, alia vulgo nota fuerint. Certe in Orphicis (λιϑ. 18, 84) legimus: „Tunc vero invocare arcana singula deorum nomina. Delectantur enim quando quis in sacrificiis mysticum cecinerit cognomen coelestium." Hinc est quod Orphei hymnis nihil fere contineri videmus quam ejusmodi deorum nomina vel cognomina. Quid? quod Lydus (*de mens.* 44. *p.* 216) refert „prope trecentis nominibus unam Venerem in hymnis vocari;" atque Varrone (*ap. Tertull. in apolog. c.* 14 *f.*) teste ultra trecenti Joves fuere. Graecos secuti Romani, si dubitabant de nomine, quod deo alicui gratissimum esset, pluribus eum compellabant, optionem quasi et electionem ei concedentes. Unde in pontificum precibus (*Serv. ad Aen.* 4, 206 „Jupiter omnipotens, seu quo alio nomine appellari volueris" (*conf. Macrob. Saturn.* 3, 9). Unde et illa apud poetas, Horatium (*carm. sec.* 15):

„*Sive tu Lucina probas vocari, seu genitalis;*"

et (*satyr.* 2, 6, 20):

„Matutine Pater, seu Jane libentius audis;“

apud Virgilium (*Aen.* 4, 576):

- - - - - - - - *„Sequimur te sancte deorum*

Quisquis es;“ - -

et apud Plautum (*Rud.* 1, 4, 37):

- - - - - - - - *„Quisquis est deus, veneror.“*

Verbosiores hac in re fuere Appulejus (*met. L.* 6 *et* 11. *Op. I. p.* 388. 753) et Martianus Capella (*L.* 2. *p.* 37. *f*). Brevior Aeschylus (*Agam.* 155. *Blomf.*) Jovis nomini quasi addubitando addit *ὁστις ποτ' ἐστιν.* Similiter apud Lucianum (*Jupit. trag. c.* 41. *T. VI.* 274) Euripides:

„Ζευς, ὁστις ἐστιν ὁ Ζευς,“

sive apud Clementem Alexandrinum (*strom. V. p.* 581) idem: *„Σοι τῳ παντων μεδεοντι χοην πελανον τε φερων Ζευς, ειτ' ἀϊδης ὀνομαζομενος στεργεις.“* Quem quidem locum non intellexisse videtur interpres Latinus *ἀϊδεα* vertens Ditem, pro quo, ut mihi videtur, hoc loco vertere debebat „qui cerni nequit:“ at vero Clemens ipse perridicule Euripidem ait, illis verbis significasse *πατερα και ὑιον!*

Ad illa autem oracula Chaldaica Psellus (*Clerici op. phil. T. II.* 115.
p. m. 241. 5. *Stanlei L.* 1. *s.* 2. *c.* 29 *f.*) „sunt nomina“ inquit „apud unamquamque gentem divinitus tradita, quae in sacris (*ἐν τελεταις*) arcanam vim habent; ne autem haec unquam in Graecam dialectum mutaveris. Ejusmodi sunt Seraphim, Cherubim, Michael, Gabriel, quae si efferuntur secundum Hebraicam dialectum

habent in sacris vim arcanam: mutata vero in Graeca nomina nullius sunt efficaciae.“ Multus in hac re exponenda inprimis est Nicephorus Gregoras (*in Synes. de insomniis p.* 362) quippe qui ad illud praeceptum: „Nomina barbara neutiquam mutanda esse“ haec addit: „Sunt enim nomina singulis divinitus imposita, quae vim et efficaciam incredibilem in sacris habent: veluti *Σαβαωϑ*, *Αδωναι*, *Χερουβιμ*, *Σεραφιμ*, *Αβρααμ*, *Ισαακ*, *Ιακωβ* et cetera ejusmodi, quorum vim et effectum obscurares .. si ea Graeca dialecto exprimeres. Ait porro Aesculapius, Mercurii Termaximi discipulus, in ea oratione, quam ad Aegypti regem habuit, his verbis: Quantum in te situm est, rex, praeceptiones tibi a nobis traditas observa, ne vel ad Graecos perveniant tam arcana mysteria, vel ampullata eorum oratio et compta gravitatem et pondus rerum comprimat ac debilitet et minus efficacem nominum pronuntiationem reddat. Nam ejusmodi sermones (*λογοι*) patria et vernacula lingua explicati perspicuam dictorum intelligentiam continent: siquidem ipsa vocis qualitas et nominum Aegyptiorum vis effectum eorum quae dicuntur in se comprehendunt; permutati autem et conversi in aliam linguam obscuri et inefficaces fiunt.“ In priscis etiam Christianis Celsus (*ap. Orig. VIII. p.* 402) reprehendit, „quod virtutem tribuerent, nominibus barbaris quidem, non item Graecis et Romanis.“ Quibus et ille respexisse videtur ad nomina Jehova, Sebaoth, Adonai, cet.

116. Graeci quo facilius illam de vi ac potestate nominum opinio-

nem reciperent, similitudo forsan effecit, quam inter vocem *ὄνομα* et verbum *ὄνημι* deprehenderent. In sonis enim, numeris, aliisque ejusmodi rebus minutis ac levibus vel ipsorum philosophorum animi illis quidem temporibus haerebant; unde a Plutarcho (*de superst. p.* 166) Graecos reprehensos legimus in „absurdis nominibus et barbaris vocibus, quibus inquinarent et pervertérent divinam atque a majoribus acceptam religionis auctoritatem.“ Quod autem Platonem similiter statuisse quidam arbitrati sunt, barbara illa nomina *divinitus* esse *imposita* (*θεόσδοτα*), hoc ex male intellecto apud eundem (*in Cratyl. p.* 425 *ed. Steph*) loco ortum esse censemus. *Fuisse* enim ille significat, qui prima nomina a deis posita esse crederent, quive in eo acquiescerent, ut a barbaris quibusdam illa ad Graecos pervenisse dicerent, parum accurati scilicet ac seduli eorum naturae investigatores. Socratem igitur, quem rectius de hac re disputantem inducit, hisce verbis suam concludere facit sententiam: „nisi forte sicut tragoedi, quum *non* habent, quo se convertant, ad machinas profugiunt, ac deos in scenam deducunt, ita et nos rem expedire velimus dicendo prima nomina posuisse deos, ideoque recte ea habere, omniumque optima, (aut) haec nobis videatur ratio, aut altera illa, *quod a barbaris* quibusdam *nos illa acceperimus: sunt enim nobis antiquiores barbari,*“ cet. Longe igitur abest, ut „divinitus nomina esse imposita rebus“ Platonem dixisse concedamus.

117. De vi ac potestate nominum barbarorum vulgi credulitatem

Ovidius (*metam.* 14, 365, 366) tangere videtur versibus:

„Concipit illa preces, et verba venefica dicit;
Ignotosque deos ignoto carmine adorat.“

Item Martianus Capella (*L.* 2 *p.* 45) Philologiam virginem fingit precantem *„vocabulis* sono *ignotis.“* Nec certe Graecos Romanosque ignorasse barbara Judaeorum nomina quum ex pluribus locis colligitur (§. 106. 480) tum ex Marcelli Empirici (*de medicam. Basil.* 1536. *c.* 21. *p.* 154) verbis, quae adimendo corci dolori tanquam remedium offert: „cane corcu nec megito (?) cantorem, utos utos utos (§. 267 *sequ.*) praeparabo tibi vinum leve, libidinem; discede anonnita (a nonita?) in nomine dei Jacob, in nomine dei Sabaoth.“ Ille Jacobi deus ex psalmi (20, 2) verbis: „protegat te nomen dei Jacob“ sumtus esse videtur (*conf.* §. 118. 119).

118. Gnostici denique, antecedentium tantum gregem secuti, non magis culpandi esse videntur, quam patres ecclesiae ipsi, qui in eadem circa efficaciam ac virtutem nominum superstitione fuerunt. Justinus enim Martyr, secundi seculi scriptor, Judaeos (*in dial. cum Tryph. p.* 311) alloquitur hisce verbis: „Si vos per nomen quodvis -- adjuretis; non subjicietur vobis daemonium aliquod: ceterum si quis vestrum adjuret per deum Abraae, et deum Jacobi, fortasse subjiciatur.“ Quin Irenaeus (*II.* 6. *p.* 122) etiam „suis temporibus a Judaeis nomine dei fugari daemones“ tradit.

119. Prae ceteris autem Origenes omnem illam superstitionem prodit (*c. Celsum L. I. p.* 19) haec scribens: „Si potuerim in hac dis-

sertatione proferre naturam nominum efficacium, quorum aliquot utuntur Aegyptiorum sapientes, aut Persarum magi doctiores, aut Indicorum philosophorum vel Brachmanes, vel Samanaei, atque ita singularum gentium: valuerimusque declarare, quod etiam magia, quae vocatur, non, ut Epicurus et Aristoteles existimant, res incongrua sit: sed constans quidem, habens autem rationes paucis admodum cognitas: tum demum dicemus, nomen illud Sabaoth et Adonai, aliaque apud Hebraeos cum magna veneratione tradita - - occultam quandam continere theologiam: - - quapropter nomina haec efficacia sunt, si pronuntientur quodam ipsis congruenti modo et ordine. Alia quoque Aegyptiaca lingua prolata daemonum nomina suam quandam vim habent, rursusque aliam alia linguae Persicae." Quibus deinde (*p.* 20) haec subjecit: „Qui autem potuerit de nominum secreta ratione philosophari, multa facile inveniet etiam de appellationibus angelorum Dei, quorum alius Michael, alius Gabriel, alius Raphael nominatur, nomine quisque convenienti suo ministerio ex voluntate Dei, qui universae rerum naturae praesidet. Ad hujusmodi de nominibus philosophiam pertinet noster quoque Jesus, cujus nominis efficacia jam innumeri daemones conspecti sunt manifeste fugati ex arreptorum corporibus et animis. His addendum, quod affirmant incantandi periti, eandem incantationem pronunciatam lingua sua propria efficere, quod pollicetur: sin transferas eam in alias quascunque voces, evidenter vim suam perdere: adeo

vis ea non in significationibus rerum, sed in ipsis vocum qualitatibus et proprietatibus inest, ad haec vel illa efficax." Idem paulo inferius (*L. IV. p.* 183): „Nomina Abrahami, Isaaci et Jacobi, cum dei nomine conjuncta habent vim tantam, ut non solum ab eorum posteris admisceantur sacris precationibus, et in excantando daemonas invocetur deus Abrahami, Isaaci, et Jacobi; sed usurpentur ab omnibus incantatoribus et magiam tractantibus. Invenitur enim saepe in magicis literis invocatus hac appellatione deus et conjuncta sunt cum illo horum virorum nomina ut ipsi familiaria et horrenda daemonibus." -- Quae nomina (*p.* 185) porro ait esse obscura quidem et non multis cognita, Christianis autem nota, etiamsi usurpentur ab hominibus a Christi cultu alienis, quippe quae (*p.* 17) „in ipsorum Aegyptiorum libris, qui de miraculosarum operationum et exorcismorum arte et disciplina tractent, reperiantur inspersa."

120. Nec recentiores inter Christianos omnes isti superstitioni renuntiasse acta Sanctorum testantur, quibus, ut legerentur, *Legendorum* nomen a clericis est inditum. Certe ex illis Basilius poetas veteres (*Virgil. Aen. IV.* 489. *Lucan. VI.* 470. *Ovid. Heroid. VI.* 87. *Amor. III,* 6, 44. *Apollonium cet.*) et inprimis illa

„Cedere jussit aquam: jussa recessit aqua"

legisse videtur quia (*de Spir. S. c.* 29) de Gregorio Neo-Caesariensi narrat: „ille et fluminum cursus in diversum vertit, praecipiens eis in *magno nomine* Christi, et paludem exsiccavit?" Quae quan-

tumvis pia videri historia poterit; multo tamen magis placet Chrysostomi sententia, qui (*in serm. de mulier. ornatu*) scribit: „putantes se excusari dicunt -- excantantem nihil aliud loqui quam dei nomen. Propterea enim magis -- aversor, quod dei nomine ad contumeliam dei utitur.“

Sed dixerit fortasse aliquis, multum interesse inter nomina a gnosticis usurpata, et illa, quibus patres utuntur. Certe Hieronymus (§. 106.) non nisi barbaram nominum formam urgere videtur. At vero oblitus erat vir doctissimus eorum quae ab Herma, quem patrem apostolicum appellant, quemque ipse in catalogo scriptorum ecclesiasticorum laudat, scripta sunt (*past. I vis.* 4. §. 2. *Fabric. cod. apocr. N. T. III.* 815): „Propter hoc misit dominus angelum suum, qui est super bestias, cui nomen est Hegrin, et obturavit os ejus, ne te dilaniaret!“ Nonne hoc angeli monstrum majus est, quam omnia illa gnosticorum Armagil, Balsamo, cet. Nonne jure quaeramus, unde illum bestiarum principem pius pater noverit, et ubi portentosum nomen Hegrin legerit? Una igitur in hac quoque re superstitio erat et gnosticorum et ipsorum ecclesiae patrum! 121.

Dixerat Origenes „nomina esse angelis suo cujusque ministerio convenientia (§. 119). Neque aliter sonant plurima eorum quae in amuletis sunt obvia: quaeque tantum abest ut impii aliquid contineant, ut virtutes vel dona divina plerumque exprimant omnia fere syllaba אל, vel יה, terminata (§. 194), quibus syllabis auctores 122.

horum nominum (sive gnostici sive alii fuerint) respexisse videntur ad pentateuchi locum (*Exod. XXIII.* 20, 21), quo dei haec verba afferuntur: „Mittam angelum -- et est *nomen meum in illo.*"

123. Ac magis profecto quam gnostici hac in re reprehendendi erant Judaei, ex quibus non solum Essaei jure jurando interposito spondebant angelorum nomina se diligenter observaturos esse (*Porphyr. de abstin.* 4, 13. *p.* 340); sed cabbalistae etiam suas ad hanc rem addiderunt nugas. Ita ex nomine magno LXXII prodire jusserunt angelos (*Reuchlin. art. cabb. p.* 55 *et* 58 *vers.*) quorum plures ignobiles, *nobis* certe ignoti sunt, quemadmodum multi inter eos, quorum nomina in anathematis formula (*ap. Buxt. in lex. Chald. p.* 829) hisce verbis leguntur: „Sit maledictus ex ore Addiriron et Achtariel, ex ore Sandalphon et Hadraniel, ex ore Ansisiel et Patchiel, ex ore Seraphiel et Sagansael, ex ore Michael et Gabriel, ex ore Raphael et Mescharetiel. Sit anathematizatus ex ore Zafzavif, et ex ore Hafhavif, qui est deus ille magnus, et ex ore septuaginta nominum regis ter maximi, ex ore denique Tzortack, cancellarii magni. Absorbeatur sicut Korah et caetus ejus -- stranguletur ut Achitophel in consilio suo: sicut lepra Gechasi sit lepra ipsius" cet. Atque hanc formulam in antiquo Judaeorum libro scripto Buxtorfius repererat.

CAPVT. IX.

De Jehova deo non supremo.

Sed majoris momenti esse videntur ea, ex quibus peregrinorum 124.
nominum non nulla a gnosticis aliter quam ab ecclesia explicantur. Siquidem illos docuisse ajunt patres, Jehovam non esse deum supremum, sed Judaeorum tantum numen, omnino diversum ab illo patre ignoto (§. 417. 418) ἀγεννήτῳ et summo, qui Jesum filium suum misisset. Neque ab hoc summo mundum creatum esse, sed ab angelis, quorum novissimum illum Jehovam esse (*Just. mart. apol. maj. p.* 70. 92. *Epiphanius haeres.* 23. *p.* 63. 24. *p.* 69. *Irenaeus I,* 24. *p.* 101. *Theodoret. haer. fab. p.* 292. 293. *Tertull. praescr. c.* 46. *p.* 61. *Augustini catal. haer. de Cerdonianis. Mosheim hist. Chr. ante Const. sec.* 2. §. 44. 45. 46. 47.); quibus Tertullianus etiam addit, deum summum a Basilidianis appellatum *Abraxan* (*c.* 34. *p.* 43); a Marcione autem praeter deum creatorem alium deum *solius bonitatis* inductum esse, qua doctrina novum testamentum a veteri prorsus separari (*c.* 30. *p.* 37)." Sed Tertullianus, qui sua ab Irenaeo et Epiphanio habet, hunc perperam intellexisse, certe non bene Latine hujus verba reddidisse videtur. Epiphanius enim (*haer.* 24, 7. *p.* 73) postquam procreatorum a φρονήσει δυνάμεως και σοφιας meminerat, addidit, hisce superiorem δυναμιν και ἀρχην appellari Abraxan. Atque hunc mundi creato-

rem esse sequentibus (24, 8) affirmat. A deo igitur supremo seu patre illo ignoto Abraxan omnino diversum fuisse cogitur; et omnia mihi quidem in eo congruere videntur, quod Abraxan potius patrem omnibus notum, Solem (§. 460. 566), esse putarint, quippe qui et *ἀρχῄ* et omnia gignere dici potuerit. Atque hoc loco alius nec minor virorum doctorum error detegendus est, qui perperam *τῳ Ιαω* locum assignant in supremo coelo (*in Museo Corton. p.* 53), Latina scilicet versione verborum Epiphanii (*haer.* 26, 10. *p.* 91) in errorem inducti. Quum enim scribunt in coelo *supremo* residere *τον Ιαω;* Epiphanius aliter *τῳ πρωτῳ ουρανῳ* dixerat, quod vertere Petavius debebat „in *primo* coelo," quod nobis nempe est proximum, ideoque a supremo vel remotissimum. Id quod non solum quae sequuntur Epiphanii verba dilucide demonstrant; sed Irenaeus etiam confirmat, qui (1, 24, 4. *p.* 101) „ex gnosticorum sententia angelorum principem, Judaeorum deum, illud coelum inhabitare" refert, „quod a nobis videatur" sive quod in nostro sit conspectu.

125. Jam vero ex accusatione illa ipsa facile intelligitur, unde gnosticorum opinio oriri potuerit. Non enim philosophi tantum, sed populi etiam fere omnes praeter notos sibi deos, superiorem aliquem et ignotum esse credebant (*Mem. de l'acad. des inscr. IV.* 560. *XXVII. Hist. p.* 83. *XXIX.* 292). Ac mihi quidem prae aliis sapuisse videntur illi, qui deum quidem esse, sed qualis sit, mortalem neminem unquam intellecturum ingenue confiterentur.

Hominis enim mentem hebetiorem esse, quam ut deum comprehendere valeat, sapiens quilibet persvasum habebit: quamvis sublimior illa veterum sententia esset, quam ut eam caperet Tertullianus, qui certe (*ad nation.* 2, 9) Varronis mentem parum assecutus sit. Sed olim jam Orphicus (*in Justini mart. op. interpr. Lango. p.* 15. *et ap. Cypr. c. Julian. p.* 26) deum illum canit, qui

„nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes
Hunc ego non video, nubes quia densa resistit:
Namque homini cuivis acies obtusa videndi
Atque deum, mundi rectorem, cernere non est.“

Quam eandem doctrinam Aegyptiorum quoque fuisse ex eis colligere licet, quae apud Plutarchum (*de Isid.* 354) Manethos et Hecataeus de etymo nominis Amun disputant.

Aegyptios autem secutus Pythagoras principium omnium rerum non sensile, sed solo intellectu perspici posse docebat (*Plutarch. in Numa p.* 65). Ac pariter Neo-Platonici sibi persvaserant, hominibus solum innotescere hujus mundi creatorem, ex factis nempe ipsius, eo autem longe antiquiorem esse (τον πρωτον νουν) deum supremum, quem ipsis semper obscurum et ignotum manere necesse sit (*Euseb. XI,* 10. §. 18. *p.* 539); sive ut Ciceronis (*N. D. I,* 14 *f.*) verbis utar „deum illum, quem mente noscamus, nusquam apparentem“ (*conf.* §. 114. 457): quem etiam ab opere omni vacantem principem esse et regem universi; alterum autem 126.

opificem coelum permeando cuncta moderari (*Euseb. p.* 537). Unde ad Porphyrii quaestionem de prima causa „utrum sit eadem cum mundi opifice, an superior opifice?" Jamblichus (*p.* 157. 158) respondet: „Est deus unus, prior etiam primo deo et rege (Sole?) Est ille vere bonus et *immobilis*." Ita Galeus quidem Graecum *ἀκίνητος* vertit, quamvis mihi Jamblichus dicere voluisse videatur „ab omni opere vacans." Ipse autem Porphyrius (*ap. Cyrill. c. Julian. L. I. p.* 34) „esse supremum deum," ait, „b o n u m; post ipsum et alterum c r e a t o r e m seu opificem." Chaldaeorum denique oracula (*v.* 27. 28 *ap. Cleric. p. m.* 307) similiter enuntiant „rudes homines mentem nuncupare *primam*, quae tamen sit *secunda* (quia primam non nossent)." Quem eundem deum Martianus Capella etiam (*L.* 2. *p.* 43. 45) „patrem ignotum" appellat „et infinibilem, empyrico mundo gaudentem." Atque Germanos, Tacitus (*Germ.* 9. *f.*) refert, colere „secretum illud, quod sola reverentia videri possit."

127. Eandem quidem sententiam, sed paulo aliter protulerunt ex Graecis non nulli, dei nempe majestatem majorem esse, quam ut mortalium quisquam eam perferre vel tolerare possit. Hinc Semelae fabula: hinc Herculi Jupiter non nisi personatus arietis capite apparere voluit (*Herodot.* 2. 42): hinc ex Homeri sententia Pausanias (10, 22, 10) contendit, non posse hominum cuiquam bene vertere, cui deos perspicue cernere contigerit. Quam eandem rem Judaei suis coloribus ornarunt (*Exod.* 33, 23) tradentes Je-

hovam Mosi dixisse „videbis posteriora mea, faciem meam videre non poteris.“

Ex illa denique de deo ignoto sententia sponte fluit, ipsi, qui 128.
ultra captum humanum sit, nullum esse nomen. Etenim quod plerumque soli Judaeorum opinioni tribui solet, dei nomen esse ineffabile, hoc ab incultis non solum Aethiopibus affirmari (*Strabo L.* 17. *p. m.* 949), sed ab omnibus etiam omnium populorum philosophis doceri legimus. Quos inter Plato (*ap. Minuc. Felic. c.* 20 *et Euseb. in demonstr. evang: III. p.* 129) „parentem quidem atque opificem hujus universi,“ ait, „et invenire difficile esse, et quum inveneris pronuntiari non posse (*ἀδυνατον λεγειν*). Atque in Apollinis responso (*ap. Lactant.* 1, 7) dei nomen ne capi quidem oratione posse“ (*οὐνομα μηδε λογῳ χωρουμενον*) legitur. Nec minus apud Porphyrium (*v. Cypr. c. Jul. I. p.* 31) reperies „nullum ei convenire nomen.“ Quae similia a Trismegisto dicta, quum verbosa ac multa sint, apud Cyprianum (*l. c.*) legas velim (*conf. Gal. ad Jambl. p.* 306. *f*). Sibyllina quoque, quae circumferuntur, carmina (*ap. Gallaeum p.* 19. 20) haec habent:

Παντοκρατωρ, ἀορατος, ὁρων μονος αὐτος ἁπαντα
Αυτος δ'οὐ βλεπεται θνητης ὑπο σαρκος ἁπασης.“

In illo etiam apud Lucianum loco (§. 114) Euripides, postquam dixerat „*ὁστις ἐστιν ὁ Ζευς*“ addidit: „*οὐ γαρ οἰδα, πλην λογῳ κλυων.*“ Atque sexti fere seculi scriptor, Lutatius Placidus (*ap. Heyn. in op. acad. III. p.* 307) „sed hoc“ inquit „dei maximi vocabulum a

nullo hominum sciri potest.“ Quam eandem sententiam Synesius *hymn.* 4. *p.* 339) hisce versibus exponit:

Πατερ αγνωστε
Πατερ ἀρρητε
Αγνωστε νοῳ
Αρρητε λογῳ
Νοος ἐσσι νοου
Ψυχαν ψυχα
Φυσις εἰ φυσιων!

Tacemus permulta alia Graecorum loca similia, silentioque praetermittimus decantatas Atheniensium aras, quarum ex historia et accuratius investigata origine interpretatio falsa jam pridem est explosa: hoc unum ex omnibus colligentes, verisimiliter Aegyptios quum dei nomen ineffabile esse pariter sentirent, pro eo maluisse septem illis sonis (§. 260) uti, quos puros et consonantibus non additis ineffabiles (§. 263) a sapientibus dictos esse Nicomachus Gerasenus (*harm. manual. II. p.* 37. *interpr. Gesnero in commentar. Gott. I.* 250) tradidit.

129. Ad Romanos qui respexerint videbunt hos quoque illius deae, quae Romae urbi peculiaris esset, nomen ne profanaretur gravissimo supplicio proposito prohibuisse (*Plin.* 3, 5, 9). Neque aliorum deorum dearumque nominum certam semper notionem habuisse illi videntur (§. 114). Unde e precationum formula illa solemni: s i v e d e u s, s i v e d e a (*Brisson. de form.* 1, 89. *p.* 50) trans-

lata in lapidis cujusdam titulo (*Graev. thesaur. V.* 955) verba legimus haec:

SIVE DEO
SIVE DEAE
C. TER. DEXTER
EX VOTO POSVIT.

Maximi praesertim numinis nomen effari verebantur, cujus rei in mediis etiam poetarum fictionibus vestigia deprehenduntur. Quo referimus illud Papinii Statii (*Theb.* 4, 516):

„Et triplicis mundi summum, quem scire nefastum est.
Illum sed taceo.“

Hinc Thessalae (*ap. Lucan. in Pharsal.* 6, 744) minae:

- - - - Paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non concussa tremit?“ - - -

suppresso scilicet ejus nomine. Quae quidem in memoriam nobis revocant illud Graecorum *μα των* (*Aristoph. in βατραχ.* 1374 *ibique Brunck.*)

Atque inserere hoc loco juvat lucernae cujusdam (*inter fictiles musei Passeriani I. Tab.* 1) imaginem sane, quae consideretur atque examinetur, non indignam: 130.



Puer vel adolescens, qui hic conspicitur, digito labia premit, caputque Aegyptiaco more ita ornatum est, ut pro Harpocrate haberi possit. Sed alae in humeris et Latina inscriptionis verba

DEO QVi est
MAXIMus

paulo accuratiorem significationis investigationem svadere videntur. Passerius quidem ex epitheto „maximi" colligit, deum pantheum hic repraesentari, id quod temere repetit Muratorius (1977, 1): at

vero neque imago, neque vox „maximus" sufficit, ut illam opinionem probare possimus. Verbis potius, si cum imagine ea contuleris, significari videtur „deum maximum silentio esse colendum." Similiter alius lapidis titulus (*Gruter* 17, 9) incipit ab iisdem verbis: „Deo qui est maximus" pariterque hujus dei nomen reticetur. Deus autem maximus, qui silentio colendus, in hac imagine non pater ille ignotus esse videtur, sed Amor alatus, ceteros deos omnes domans (*Hesiod. theog.* 120 *sequ. Orph. hymn.* 57. *Virg.* 1, 664), ideoque deorum maximus ille a Thespiensibus certe est habitus (*Pausan.* 9, 27). Ipsum etiam Harpocratem seriori tempore Amoris specie fictum fuisse, gemmae testantur (*Gorl. II.* 468. *Cifflet.* 113. *Montf. II.* 160 *et* 170). Quapropter, ut illis temporibus fieri solebat, plurimum gentium opiniones conjunctas et confusas in nostro monimento esse conjicere licet.

Illud autem praeceptum, solo silentio colendum esse summum numen, ab Aegyptiis jam traditum fuit, (*Porphyrius de antro. c.* 27. *p.* 25. *et de sacrif. ab init. Jamblichus de myst. Aeg.* 8, 3. *p.* 159). Unde Trismegistus (*in Pimandro*) „deus ineffabilis," inquit, „solo silentio praedicandus ab eo, qui fallacias verae cognitioni contrarias declinare vult." Quo silentio veteres intellexerunt puram mentem (*Porphyr. de abstinentia II. c.* 61. *p.* 210. *Cic. leg.* 2, 10), sine ullis verborum ambagibus. Romanorum quoque Numa (*Clem. Alex. Strom.* 9 *p.* 304) non lingua sed mente sola, id quod optimum sit, deum, attigi posse docuit. Martianus igitur Capella, 131.

hujus rei haud ignarus, (*II. p.* 45) Philologiam virginem fingit „extra mundanas beatitudines juxta ipsum extimi ambitus murum annixam genibus, ac tota m e n t i s acie coartatam diu s i l e n t i o deprecatam esse." Pie omnino Porphyrius (*de abst. L.* 2. *c.* 34. *p.* 164) „sacrificemus" inquit „nosmet ipsos, sed sacrificemus sicut decet, -- deo sane illi, qui supra omnes est, nihil quod sensibile neque suffientes, neque dicentes. -- Idcirco neque verbum huic, quod voce exprimitur, est accomodatum. -- Sed pura mens purisque de eo notionibus ipsum adoremus." Aurea sane verba ac digna quae notentur ab iis inprimis, qui caeremoniis rituque, quin etiam precibus, quae conceptis verbis sint praescriptae, deum adorari, et ex homine ratione praedito machinam fieri velint. „Animadverto etiam" sunt verba Plinii (*panegyr.* 4. *f.*) „deos ipsos non tam *accuratis* adorantium *precibus*, quam innocentia et sanctitate laetari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui *meditatum*" (maxime ab aliis!) „carmen intulerit." Ac profecto haec, quamvis Graeci Romanique et invisus ille Christianis Porphyrius protulerint, sunt commendanda dignisque rei laudibus efferenda. Quae enim frugi, quae pura, quae optima sunt, approbamus celebramusque, a quo illa cunque sint prolata.

132. Qui vero recentem Christi doctrinam amplexi erant quum mundum non optimum esse viderent, hujus rei culpam opifici tribuerunt, minime deo supremo. Atque istam eorum opinionem

excusandam svadent tot de causa mali quaestiones a summis etiam philosophis theologisque motae sed nunquam solutae; nisi tibi qualiscunque fictio vel Typhonis alicujus, vel Arimanni, vel Satanae, vel Pandorae etiam pyxidis forsan arriserit. Philo Judaeus (*de mundo. p.* 16) a dei in creando mundo adjutoribus malum traxisse originem docebat. Similiter angelo id tribuerunt gnostici, quibus magnum discrimen videbatur esse inter veteris et novi testamenti praecepta. In hoc enim a Christo praecipi legerant eximium virtutis studium, ita ut inimicis etiam ignoscendum esset; tradique disciplinam justi et recti, ac summae aequitatis et pietatis: in illo contra, approbata esse Judaeorum furta in Aegypto commissa (*Exod.* 12, 36), mandatas eis in terris occupandis caedes faciendas ad internecionem usque, vel ipsorum innocentium puerorum infantium, nec non virginum etiam rapinas (*Num.* 31, 17. 18)! - - Ex novo illo testamento cognoverant Christum semper clementem et quam maxime mansvetum ac mitem: ex veteri autem Jehovam praecipitem ad iram (*conf. Plutarch. de stoic. p.* 1051), delectarum, ervervescenti illi Jovi (*Ovid. metam.* 1, 188) similem; homines ad unum omnes (*Genes.* 6, 7). Quae qui secum reputarent neque auderent fidem denegare iis, quae in Judaeorum libris, quantumvis impia et maledica (*conf. Plutarch. de superst. p.* 170) in summum et optimum numen, scripta essent, omnino a Jehova diversum conjecerunt deum illum esse, qui hebete humanae mentis acie haud cognosci posset, quemque, quum Christo magis similem

esse sibi persvasissent, ejus patrem fuisse docuerunt. Quae quidem, et id genus alia quibusdam in Aegypto theologis in causa forsan fuere, cur vetus testamentum recipere nollent (*Fabric. bibl. Gr. VIII.* 333); id quod neque Cerdonianos recepisse Augustinus (*l. c.*) tradit, neque gnosticorum plurimos (*Mosheim hist. Chr. rel. ante Const. sec.* 2. §. 45. *f*).

CAPVT X.

De astrologicis artibus.

133. Astrologicas quoque artes, de quibus infra (§. 276 *sequ.*) plura trademus, in gnosticis reprehenderunt patres ecclesiae (*Tertull. adv. Marcion. I,* 18. *et de praescr. c.* 43). Manichaeos praesertim, Epiphanius (*haeres.* 66. *p.* 629) ait, „non abhorrere a curiosis illis artibus, quin potius astronomiae scientiam prae se ferre ac de ea gloriari." Sed ad illas artes non gnostici solum incubuerunt; verum perpetuo inde ab antiquissimis temporibus in usu eas fuisse ex omnibus fere populorum scriptis elucet. De Aegyptiis testes sunt Herodotus (*II,* 4, 82) et Diodorus (*I.* 28) de Chaldaeis idem Diodorus (*II,* 30). In ipso Judaeorum templo duodecim panibus signa Zodiaci et septem candelabri lampadibus septem planetae repraesentabantur (§. 244). Et ad astrologicas artes jam respexisse videtur Job pluribus locis (*IX.* 9 *XXXVIII,* 31. 32) atque Jesaias

(*X*, 2), qui „signa coeli," inquit, „nolite timere, quae timent gentes;" apertius etiam dum Babylonem (47, 13) sic increpat: „Salvent te nunc augures coeli, qui contemplabantur sidera et supputabant nova (חדשים) ut ex eis annuntiarent ventura tibi."

Celeberrimus ille Graecorum vates astronomiam suis jam temporibus notam fuisse manifeste declarat (*Iliad.* 18, 483) caelata in Achillis clypeo describens „Solem et Lunam omniaque signa, quibus coelum coronatum," expressisque verbis nominans „Plejades, Hyades, Orionem, Ursamque sive Currum." Quare haud intelligo Goensium (*ad Porphyr. de antro nymph. p.* 113) qui scribere potuerit: „Homerus parum mehercle de astronomia novit." Immo non solum astronomum, sed etiam astrologum, eum fuisse Cuperus (*apoth. Hom. p.* 91) docet. Omitto nunc alios scriptores et veteres et recentiores: omitto argumenta, quae ex necessitate coeli in primis hominum negotiis observandi assumi possunt. Nec dirimere litem audeo de quaestione motam Aegyptiine an Babylonii vel Phoenices primi artem illam exercuerint, qua de re consulendi sunt Herodotus, Diodorus, Aristoteles, Clemens Alexandrinus, Plinius (*L.* 5. *c.* 12. *p.* 259), Strabo (*L.* 16. *p.* 757.), Martianus Capella (*L.* 8. *p.* 274), Goensius (*l. c. p.* 113) alii. Lucianus quidem (*astrol. c.* 3. *T. V.* 216) ab Aethiopibus artem inventam, atque excultam ab Aegyptiis contendit, quos demum secutos esse Babylonios: sed cave veros Aethiopes intelligas. Ratio enim, quam ad stabiliendam suam sententiam affert „Aethiopibus semper coelum 134.

esse serenum, neque anni vices eos pati, sed in una eos eademque tempestate habitare" profecto magis in Aegyptum quadrat (*Herodot.* 3, 10. *Plutarch. de facie Lunae p.* 939. *Lactant.* 2, 13. *Philo. vit. Mos. Op. p.* 620. *Ammian. Marc.* 22. *p.* 246. *Claudian. de Nilo.* 5) quam in Aethiopiam ubi certis anni temporibus imbres quam maximi cadunt (*Jablonsk. panth. II,* 164). Quapropter superioris Aegypti incolas a Luciano nomine Aethiopum designatos esse crediderim. Thebais enim non nunquam Aethiopiae nomine a veteribus appellatur (*Marsham can. chron. p.* 141): Et Callistratus (*in statuis, adj. Philostrati op. ed. Morell. p.* 876.) celeberrimam Memnonis statuam ab Aethiopibus confectam in Aethiopia esse affirmat, ubi sane intelligi voluit Aegyptios et Aegyptum (*conf. Jablonsk. de Memnone S.* 3. *c.* 2. *p.* 62 *sequ.*) Jam enim Herodoti (*II,* 15, 16, 29. *conf. Cels. ap. Orig. L.* 5. *p.* 254) temporibus Graeci prorsus incerti in determinandis Aegypti limitibus erant. Aegyptiis autem a Graecis astrologicam artem traditam esse, hi quidem fabulantur (*Diodor. V.* 57).

135. Nobilissimam artem astronomicam a primis inde temporibus cum superstitiosa illa, quam nunc astrologiam appellant, conjunctam fuisse, Jesajae locus (§. 133) satis declarat. Qua quum saepius homines deciperentur, id quod monimenta etiam publica (*Fabretti.* 709. *n.* 507) testantur; ejus vanitatem philosophi argumentis certissimis refellerunt, qua de re locus classicus exstat apud Gellium (14, 1), et antiquius etiam testimonium vita prae-

bet Alexandri M. (*Diodor.* 17, 112). Haud quidem injuria Tacitus (*hist.* 1, 22) astrologos appellat „genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, Romae semper quidem vetitum, semper nihilominus retentum." Nec defuere qui artem ipsam defenderent (*Lucian. de astr. T. V. p.* 215). Atque ex iis Manilius (*IV*, 914) his utitur argumentis:

„An minus est sacris rationem ducere signis,
Quam pecudum mortes, aviumque attendere cantus?
- - Ipse vocat nostros animos ad sidera mundus:
Nec patitur, quia non condit, sua jura latere.
Quis putet esse nefas nosci, quod cernere fas est?"

Sed ipse „Augustus geniturae suae thema vulgavit numumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus erat, cudi curavit" (*Sueton. c.* 94 *f. p.* 89. *Zornii bibl. antiqu.* 863. *Agòstini dial. I. p.* 11. *Spanheim I.* 239. *Eckhel VI.* 109. *Mus. Flor. IV. Tab.* 4. *Vaillant num. aer. I.* 39). Unde a Manilio (*II*, 509) Capricornus appellatur „in Augusti felix qui fulserit ortum." Quam notam in gemmis saepe repetitam videmus (*Museum Florent. II. Tab.* 90. *n.* 5. *Augustin. gemm. p.* 48. *Passer. I. Tab.* 162. *Winckelm. catal. p.* 512. *et* 203. *Montf. V. Tab.* 128), in quibus praesertim notatu digna illa est qua Augusti consecratio continetur (*v. Le Roy achat. Tiber.*). Permulti alii praeterea cusi sunt numi astrologici (*Eckhel. IV.* 70. *III.* 256), quos apud scriptores, qui rem numariam tractarunt, videre licet; ex quibus prae ceteris Barthe-

lemyus (*Mem. de l'acad. des inscr. XLI.* 510) adeundus est. Eorum plurimi ex Aegypto manarunt. Namque Ammiani Marcellini adhuc aetate (*L.* 22. *f.*) Alexandriae viguit „sciententia, quae vatorum vias ostenderet," quibus verbis astrologiam ille denotavit (*Beck de lit. et auct. Gr. p.* 90).

136. Christianos astrologiae non minus deditos fuisse quam alios, prolixa non indiget demonstratione. Sunt enim permulta scripta astrologica, quae Christianos agnoscunt auctores. Neque illicitam hanc artem putabant, qui praesidium in Geneseos (1, 14) verbis perperam intellectis habere sibi viderentur. Certe eam non displicere deo putasse videtur Morinus, qui „astrologiam" suam „Gallicam (*Hag. Com.* 1661)" dedicaret: „Regi regum et domino dominantium Jesu Christo, filio dei" subscriptis his verbis: „Tuae superexcelsae Majestatis vilissimus et abjectissimus servulus"! Cujus „vilissimi et abjectissimi servuli" ex libro satis apparet, non gnosticis solis, sed veris etiam Christianis hanc quoque communem fuisse superstitionem.

CAPVT XI.

De mysteriis.

137. Culpatos denique videmus Basilidianos (*Iren. I*, 24, 6. *p.* 102. *Epiphan. haer.* 24, 5. *p.* 72) Valentinianos (*Epiph. h.* 31; 3. *p.* 165.

Tertull. c. 1. *Op. II.* 143) et Priscillianistas (*Augustin. haer. c.* 63) quod occultarent doctrinam suam. Verum enim vero apud omnes fere populos secretior quidam cultus divinus mysteriis involutus erat (*Cuper Harpocr. p.* 23); neminique ignota sunt ea quae apud Aegyptios, Persas, Graecos ac Romanos, quin Germanicae etiam stirpis populos (*Tacit. c.* 40 *f.*) in usu fuerunt. Atque arcana haec revelare aut „fida silentia sacris" rumpere tanta religio fuit, ut scriptores veteres de iis vix hiscere quidquam auderent (*Herodot. II,* 3, 46, 47, 61, 65, 86, 132, 171. *Diodor.* 3, 62. *et* 5, 49. *Pausan. I,* 14, 2. 37, 3. 38, 6. *II.* 3, 4. 17, 4. *IV.* 33, 5. *IX.* 25, 6. 27, 2. 30, 3. *Plutarch. de Isid. p.* 354. 360. 364. *de garrulo p.* 505 *f. de liber. educ. p.* 10 *f. Numa p.* 66. *Lucian. Menipp.* 2. *T.* 3. *p.* 3. 4. *Salt.* 15. *T.* 5. *p.* 133. *Lysid. ad Hipparch. in Gallei opusc. p.* 737. *Maneth. apotel.* 2, 199. *Heliodor. IX. p. m.* 379. *Synes. de provid. I. f. p.* 115. *Cicero ad Attic.* 5 *f. de harusp. resp.* 17. 18. *Horat. Od.* 3, 2, 25. *Virgil. Aen.* 3, 112. *Catull.* 260. *Senec. nat. qu.* 7, 31. *Op. p.* 811. *Macrob. Saturn.* 1, 7. *Appulej. met.* 11. *Op. I.* 777. 779. 803, 811. *de mag. II.* 517. 520. *Festus voce Arcani*), quorum principem Herodotum adeo caute videmus ac timide versatum, ut Plutarcho (*de orac. def. p.* 417. *et sympos. II,* 3. *p.* 636) „Herodotea taciturnitas" in proverbii consvetudinem venerit. Quid? quod Aeschylum (*ap. Aelian. var. hist. V,* 19) vix poenam capitis effugisse legimus, quod mysteria in theatro propalasset (*Clem. Alex. str. II. p.* 387. *Fabricii bibl. Gr. I.* 606). Diris quoque imprecationibus

Alcibiadem exsecratum esse (*Justin.* 5, 1) legimus, quod mysteria revelasset. Apud Aegyptios etiam, quorum sacerdotes arcanam theologiam habebant, quam studiose, ne in vulgus manaret, occultabant (*Mosheim c.* 1 §. 17) mysteriaque sphingibus ante templa collocatis significabant (*Plutarch. de Is. p.* 354), maxima formido erat si quis denuntiaret „se Isidis occulta velle divulgare aut arcanum in ἀβύσσῳ reconditum propalare (*Jambl.* 6, 5. *p.* 147. Inter Judaeos denique Essaei juramenti fide adstringebantur, se nullo modo decreta sua aliis tradituros, nisi quo ipsi ea accepissent (*Porphyr. de abstin.* 4, 13. *p.* 340).

138. Causam hujuscemodi involucris utendi nobis aperuisse videtur Macrobius, qui (*somn. Scip.* 1, 2) „mysteria figurarum," inquit, „cuniculis operiuntur, ne adeptis nuda rerum talium se natura praebeat; sed summatibus tantum viris sapientia interprete veri arcani consciis, contenti sint reliqui ad venerationem, figuris defendentibus a vilitate secretum." Cui loco addenda esse videntur quae de Pythagora Plutarchus (*de Isid. p.* 354) et de aliis Graecis Pausanias (8, 8, 2) tradiderunt. Altiora igitur sapientum praecepta et veriorem dei cognitionem non unquam mysteriis tradita fuisse admodum probabilis est conjectura. Saniora certe de diis, quam quae vulgus opinabatur, initiatos ibi audivisse, a Cicerone (*quaes. Tusc.* 1, 13) discimus, qui, postquam majorum gentium deos non nisi homines olim fuisse affirmaverat, ita dicere pergit, „reminiscere, quoniam es initiatus, quae traduntur mysteriis:

tum denique, quam hoc late pateat, intelliges." Similia colligere licet ex Platonis epistola (*ad Dionys. conf. Clem. Alex. p.* 579) qua scribit „de natura *primi* (dei) aenigmatice loquendum esse, ut si forte terra marive periclitentur literae, legantur quidem, sed non intelligantur." Sane miror Mosheimium, qui (*c.* 1. §. 13) Romanis nulla fuisse ante Christum mysteria contenderit, oblitus scilicet Ciceronem (*ad Att.* 5. 21, *f.* 6, 1, *f.*) „Romana mysteria" jam memorantem.

Nec audiendi sunt patres ecclesiae a Justino Martyro inde 139.
usque ad Arnobium, qui omnia illa mysteria damnant. Aegyptii certe, ut ipsius Clementis (*strom. 5. p.* 566) verbis utar „minime quibuslibet quae apud ipsos erant mysteria committebant, nec rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos: sed ad eos tantum, qui judicati fuerant probatissimi." Quae quidem de iisdem Aegyptiis confiteri cogitur ipse ille Justinus Martyr (*Oper. p.* 406), scribens „non cum quolibet ex plebe communicata esse illa mysteria, sed cum eximiis tantum et delectis." Quod autem ad Graecos attinet ab initio certe, Diodoro (3, 64 *et* 5, 49) teste, „Dionysiaca et Samothracia cum piis tantum et justam degentibus vitam communicabantur - - iique qui in Dionysiacis libidinis causa Bacchas circumduci et ritus initiorum ac mysteria ob mulierum exoticarum stupra doceri dictitabant extemplo poenas incurrebant: in Samothraciis etiam initiati pietate et justitia reliquis hominibus praecellebant." Quibuscum qui conferatur dignus

est locus apud Plutarchum uxorem consolaturum (*p.* 611). Sed ex Romanis audiamus virum primarium; ita enim sentit judicatque Cicero (*de legib.* 2, 14): „Mihi quum multa eximia divinaque videntur Athenae peperisse atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, et mitigati sumus“ (*conf. Stobaeum in serm.* 119. *p.* 602).

140. Atque veterum haec testimonia confirmata etiam factis esse novimus. „Neronem,“ Svetonius (34) refert, „Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii et scelerati voce praeconis submoverentur, interesse non ausum.“ Antoninus contra philosophus, ut se innocentem probaret, Cereris templum adiit et sacrarium solus ingressus est (*Capitol.* 27). Celeberrimo quidem Apollonio Tyaneo Athenis sacris se initiari cupienti nihilominus sacrorum antistes respondisse fertur, minime se Eleusinem patefacturum ei, qui purus a daemonibus non esset (*Philostr. vit. Apollonii* 4, 6. *p.* 175).

141. Nec eas tantum quae ad religionem spectarent res reticendas esse; sed philosophorum etiam dogmata sine scelere prodi non posse, veteres (*Clem. Alex. p.* 575. *Jul. Firmic. astronom. L. VII ab init. p.* 193. *Jamblichi vita Pythag. c.* 35. *Synes. in Salengre thesauro III.* 91) arbitrabantur. Medicus quoque Alexander Trallianus (*l.* 10. *p.* 593 *ed. Henr. Petr.*), postquam amuleti adversus dolores colicos conficiendi rationem demonstraverat, addit: „admoneo vos, ne quibuslibet hujusmodi ostendatis: virtutis autem stu-

diosis, et qui ejusmodi possunt conservare communicate: quod etiam Hippocrates, divinissimus, cum novisset, praecepit his verbis: Res quae sacrae sunt sacris hominibus ostenduntur, profanis autem non fas est."

„Nam majestatem minuit, qui mystica vulgat
Nec secreta manent, quorum fit conscia turba"

canit Marbodaeus (*ap. Gronov. ad Gorl. p.* 5). Maxime denique astrologi arcana sua servabant, et si qua literis mandabant adjurabant lectores ne ea propalarent (*Salmas. ann. clim. p.* 788. *Selden. de synedr. L.* 2. *c.* 4. *Op. Vol. I. p.* 1458. *Jul. Firmic. L.* 7. *p.* 193. 194. *L.* 8. *p.* 244 *in f. Fabric. bibl. Gr. V.* 76). Similia in chemicorum libris reperies (*Fabric. p.* 78. *et XII.* 762. 771 *n.* 46).

Ad mysteria denique referuntur nugae illae, quae *ἰσοψηφων*, anagrammatis, acrostichidis, vel cabbalae, nomine circumferuntur. Ac primum quidem non nisi pro ingenii lusibus ista habita sunt, et eo consilio proposita ut intelligendi acuerent prudentiam quemadmodum aenigmata illa Salomonis regis, nec non Graecorum Romanorumque poetarum quorum exempla inferiori loco (§. 226 *sequ.*) obvia erunt. Progressu autem temporis superstitiosis hominibus majoris momenti ea visa sunt, adeo ut quae in Sibyllinis oraculis atque in Apocalypsi leguntur divino afflatu orta esse sibi persvaderent. Sanioris profecto judicii Cicero erat. „Quod enim arte fit ac diligentia in literis et numeris componendis divinitus indi" ille (*divin.* 2, 54) pernegat omnique jure renuit. 142.

143. Ac ne ab istis quidem nugis alienos fuisse patres ex Barnabae apostolici scriptis constat. E numero enim CCCXVIII virorum, ab Abrahamo circumcisorum, eliciturus nomen IHSV cruci affixi, ille docet numero XVIII literas IH notari, quibus Ἰησου significetur; numero autem CCC literam T exprimi, nempe crucem. Quas quidem nugas esse nemo profecto negabit. Sed

„Una superstitio cunctis, haud concolor error."

144. Eo autem magis patres miramur, gnosticos in eo reprehendentes, quod numerum CCCLXV cum literis nominis Abraxas contulerint. Si enim veram, quam infra (§. 452 *sequ.*) explicare conabimur, causam perspexerimus, profecto non erit, quod offendamur in re, quae probe intellecta et perpensa amplam meditandi materiam nobis suppeditare possit. Utinam idem de numero DCLXVI dicere liceret, de quo apocalypseos quidem, auctor (*c.* 13 *f.*) *ὧδε ἡ σοφια ἐστιν* scribit; quam tamen sapientiam sapiens nemo adhuc intellexit. Sed Judaicae cabbalae specimen esse ex eo patet, quod nomen quoddam isto numero contineri dicitur. Atque istud a multis frustra quaesitum esse haud quidem miramur; vatis enim in calculo error subesse potuit: hoc miramur, credidisse patres ecclesiae hodieque esse theologos, qui credant, auctori divinitus inditum fuisse hunc librum, nec videant, omnino nefas esse, *numerorum lusus* et *de bestiis aenigmata,* quibus nugis non nisi otiosi homines delectari solent, summo numini adscribere. Scilicet critica arte sanaque mente plus valet, nulloque non tempore valuit,

et apud plurimos homines semper valebit penitus eis insita **superstitio**! Ac multum profecto interest, ipsaque res ut intersit postulat, inter viros vere criticos atque theologos, quales esse hodie quidem volunt. Quae enim de Hermae, patris apostolici, libro judicavit Moshemius (*Christ. hist. ante Const. p.* 163), eadem profecto omnia et singula in apocalypsin etiam cadunt.

De cabbala, quam Judaei exercere assolebant, vere Maimonides (*L. I. c.* 62, *More Nevoch.*) „Fatui" inquit „et mali quidam homines de supra dictis nominibus (divinis) ansam arripuerunt plura mendacia componendi, *literas* aliquas pro lubitu *in dictionem unam colligentes*, ac hominibus persvadentes, illam hoc vel illo modo scriptam hanc vel illam habere operationem vel effectum." 145.
Atque haec ipsa sunt, quae in recentioribus amuletis deprehendimus, quorumque exempla plura apud Agrippam, Reichelum, Kircherum, Molinetum, alios, prostant. Certe si in hoc cabbalae genere sani quidquam inesset, Hebraea nomina in aliam linguam (§. 109. 113. 115) nequaquam erant vertenda. Si enim voces ישמה, מאלכי, quae per literarum transpositionem ex משיה, מיכאל nascuntur, si nomen מצפץ, quod ex similitudine numeri, qui idem in literis יהוה latet, deductum est, in Latinam vel in quamcunque aliam linguam vertere volueris; primam et veram significationem nequidquam eruere conaberis: id quod Reuchlinus quoque (*de arte cabbal. p.* 74) demonstrare studuit. Cui quidem scriptori in fine operis sui contendenti „prorsus *innocentia* quae scripserit esse"

hoc facile concedimus, quippe quae *absurdiora* sint, quam ut sanae mentis quispiam in eis immorari possit.

146. Judaeorum enim vulgus, sua religionis, vel sapientiae, ut vocant, mysteria cabbala involvens minus curamus: Christianos autem esse, qui istas illorum nugas probent, hoc mirari licet. Ex quibus, praeter Reuchlinum aliosque, instar omnium notamus Gasparem Schottum (*in technica curios. L.* 12. *p.* 906) haec proferentem: „Quod autem deus Moysi praeter literalem legem, quam ipse scripsit, dederit etiam spiritualem, hoc est revelaverit ipsi mysteria in lege contenta - - probatur manifeste (?) ex libro IV Esdrae cap. 14, qui liber, tametsi apocryphus sit, magnae tamen auctoritatis semper fuit, et etiam num est in ecclesia, ubi narratur, quod quum apparuisset dominus Esdrae - - dixerit ei: „revelatus sum Moysi - - et enarravi ei mirabilia multa, et ostendi ei temporum secreta et finem et praecepi ei dicens: Haec in palam facies verba, et *haec abscondes*. - - Petiit Esdras immitti sibi spiritum sanctum, ad scribendum omnia. - - Ad quae respondit dominus: Vadens congrega populum et dices ad eos, ut non quaerant te diebus quadraginta. Tu autem praepara tibi buxos multos, et accipe tecum - - quinque, qui parati sunt ad scribendum *velociter!* - - Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor. - - Locutus est Altissimus dicens: Priora quae scripsisti, in *palam* pone; - - novissimos autem septuaginta (libros) *conservabis*, ut *tradas* eos *sapientibus*: - - in his enim est vena intelle-

ctus et sapientiae fons et scientiae flumen." . . Quae qui legimus haud scimus utrum magis reprehendendae sint imbecillitas et ineptia ejus qui (*ex Num. XI,* 16, 17) haec finxerit, an dementia et insipientia eorum, qui veram esse hanc fabellam crediderint. Namque Picus Mirandulanus (*in apol. Op. p.* 82. *Fabricii cod. pseudep. V. T.* 1155) „Hi sunt," inquit „libri scientiae cabbalae, in quibus merito Esdras *venam intellectus* . . et scientiae flumen . . esse . . pronunciavit. Hi libri Sixtus IV, pontifex maximus . . maxima cura studioque curavit, ut in publicum . . Latinis literis mandarentur. . . Hos ego libros . . cum perlegissem, vidi in illis (testis est deus) religionem non tam Mosaicam, quam Christianam; ibi trinitatis mysterium, ibi verbi incarnatio, ibi Messiae divinitas, ibi de peccato originali (sic), de illius per Christum expiatione, de caelesti Hierusalem" cet. Sed taedet plura exscribere.

Quodsi recentioribus etiam temporibus tantam in hominibus credulitatem et superstitionem animadvertimus; quidni eandem obscuris illis prioribus post Christum natum seculis excusandam esse censeamus? Quum vero Tertullianus de Valentinianis (*c.* 1) „quod tacent pudor est" dicit; iniquum, immo ineptum, judicium profert: siquidem temere a nobis vituperatur quod nescimus vel perspicere nequimus. Consideratius profecto responsum erat quod Momo, de mysteriis Aegyptiorum disserenti Jupiter dedit: „Pleraque illorum, Mome, sunt aenigmata, neque omnino deridenda a non initiato" (*Lucian. concil. deor. XI. T. IX. p.* 187). 147.

Haud majori jure, quam Tertullianus, Romani (*ap. Minucium. Fel.* 10) Christianorum mysteria sic censuerunt: „quod colunt et interprimunt aut puniendum est, aut pudendum." Sua certe Christianis quoque mysteria erant (*Mosheim c.* 1 §. 15. *n.* 5 *et sec.* 2. §. 36. *Clem. Alex. strom.* 1. *p.* 275, *et in libro: Quis dives salutem consequi possit? p.* 17. *Creuzeri Symbol. I.* 41. *IV.* 501). Namque ut taceamus quod de „occultis quibusdam notis et insignibus, quibus sese noscerent" (*Minuc. Fel.* 9) perhibetur (§. 149); plures exstant patrum loci, in quibus Christianorum mysteriorum mentio fiat. Atque ipse ille gnosticorum mysteriorum vituperator Tertullianus (*apol. c.* 7), Christiana mysteria defendens, scribit: „Samothracia et Eleusinia reticentur: quanto magis talia, quae prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt." Sed Christianorum religioni inesse mysteria ex eorum ritu aeque ac doctrina patet. Et Apostolus ipse, „O! Timothee, scribit, depositum custodi;" idemque (*II Cor.* 12, 4) „se audiisse," ait, „verba arcana, quae non liceat homini loqui."

148. Lactantium (5, 18) si audias „deus idcirco virtutem ipsam *sub persona stultitiae* voluit esse celatam, ut *mysterium veritatis* ac *religionis suae* esset arcanum." Qua de causa? non explicat vir ceteroquin disertissimus. Sed sanior Irenaeus (*II,* 26. *p.* 154) censet „non esse scrutandum, neque fieri posse ut ratione confirmarentur aut intelligerentur omnia Christianae religionis praecepta. Et Christiano, Tertullianus (*de anima* §. 2 *f.*) inquit, „amplius

quaerere non licet, quam quod inveniri licet.“ Mysteria certe illa qui explicare conetur, operam eum perdere nobis est persvasum. Eadem scilicet theologiae est conditio, ac philosophiae, ut certi utrique disciplinae fines sint positi, quos ultra progredi nemini unquam continget. Nam quo curiosiores in abscondita illa penetrare cupierimus, eo incertiores nos redire necesse est. Utrisque igitur, et ethnicis et Christianis, sua erant religionis mysteria, sed discriminis hoc interfuisse videtur, quod qui in Graecis vel Romanis fuerint initiati ea intellexerint, Christianorum vero mysteria nemo quisquam perspiciat.

Aliam praeterea celandi sacra causam, tam haereticis, quam 149.
catholicae ecclesiae addictis, communem fuisse suspicor. Constat enim Christianos primis post Christum natum seculis vehementius saepe ab ethnicis vexatos esse. Qua quidem tempestate fuere, qui mortem pro fide subeundam minime reformidarent. Fuere contra alii, qui fidem abnegarent (*Plin.* 10 *ad Trajan. ep.* 97. *Lactant.* 5, 9. *Minuc. Fel. c.* 28. *Epiphan. haer.* 68. §. 2. *p.* 717. *Vales. ad Euseb. hist. eccl. p.* 174). Fuere denique qui vitam cum bonis servare satius ducentes dissimularent fidem; id quod Bardesani Syro svadere conatus est Apollonius, Aurelii Antonini amicus (*Baron. XI.* 725 *ad T. II.* 310. *a.* 189). Quare et symbolis Christianos usos esse, sibi quidem notis, reliquis autem haud agnoscendis (§. 110) arbitratur Muratorius (*thes. inscr. IV.* 1850. 10). Ita et gnosticis lex erat, ut verbis Irenaei (1. 24, 6. *p.* 102) utar

„Tu omnes cognosce, te autem nemo cognoscat;" atque Priscillianis praesertim (*Augustin. cat. haer. f.*) „Jura, perjura, secretum prodere noli!" Unde isti quidem statuerunt „licitum esse fidem ore negare dummodo in corde retineretur" (*Lambecc. prodrom.* 247. *Epiphan. haeres.* 19, 1. *f. p.* 40. *haer.* 24. 4. *p.* 71. 5. *p.* 72. *Tertull. c. gnost. c.* 1. *Nicephor. Callist. hist. eccl. IV*, 2. *p.* 190. 191. *Euseb. hist. eccl. IV*, 7. *p.* 120. *Augustini catal. haer. de Elcescis*).

150. Sed finem tandem imponamus taediosae de omnibus illis controversiis disquisitioni. Quae, quantumvis molesta lectoribus fuerit, haud tamen omnino praetermittenda erat; siquidem ejus rei prorsus ignarus, neque discernere, quaenam amuleta a gnosticis profecta sint, quaeve perperam iis tributa, neque ea, quae vere gnostica sunt, interpretari poterit. - - Jam vero bene mecum esse actum sentio, qui istud negotium absolverim. Scripta enim, quae legenda erant, conviciis quidem abundant, sani autem judicii in plerisque vix quidquam reperitur; ita ut si quis velit abstergere ab eis omnia, quae superstitionem redoleant, nesciam an Augiae stabulum purgare labor major fuerit. Atque utinam mihi nunc contingat, quod apud Martianum Capellam (*L. II. p.* 35) Philologiae virgini evenisse legimus, ab Athanasia adactae ad evomendos, antequam ad coelum adscenderet, omnes libros, quibus refertum pectus gessisset!

LIBER II.

Quo via interpretibus sternitur.

CAPVT I.

De varia materia, ex qua amuleta sunt facta.

Absoluta, quae praemittenda erat, historica introductione, ad expositionem et descriptionem eorum jam transire licet, quorum cognitionem quum ad amuleta tum ad alia quoque monimenta barbare et alienis a sermone literis inscripta melius intelligenda conducere in me ipso expertus sum. Quod argumentum ita tractandum suscepimus, ut in hoc primo capite (§. 152-162) ageremus „de varia materia, ex qua amuleta sunt facta:" secundo (§. 163-224) de scriptura in eis obvia:" tertio (§. 225-275) „de numeris mysterio vel superstitione insignibus:" quarto (§. 276-337) „de signis, inprimis astrologicis:" quinto (§. 338-375) „de linguis variis, maxime de corruptis:" sexto (§. 376-443) „de orthographia 151.

et ratione scribendi corrupta:" septimo (§. 444-520) „de variis amuletorum argumentis:" octavo denique (§. 521-587) „de via quam tenendam esse censemus iis, qui ejusmodi monimentis interpretandis operam dare velint.

152. Materia qua veteres in amuletis conficiendis usos esse compertum habemus, varia quidem fuit; sed majorem eorum partem gemmis contineri certum est. Neque id mirum: siquidem magnam natura ipsa eis insitam vim esse homines persvasum habebant. Quam quidem eorum opinionem quum multi exposuerunt scriptores (*Plin.* 37, 3, 14. *p.* 772. *Psellus de lapid. virtut. Lugd. Bat.* 1745. *Marbodaei carm. de lapid. pretios. edit. cum Gorlaei dactyl. a Gronov. Galeus ad Jambl.* 245. 248. *Wierus de praestig. daemon. L.* 5. *c.* 21. §. 5. *Op. p.* 411 *sequ. Vossii physiol. L.* 6. *c.* 19. *Op. V.* 699. *Reichelt. de amul.* 46. *sequ. Fabric. bibl. Gr.* 7, *p.* 425) tum antiquior nullus mihi quidem est notus, quam Orphicorum auctor, (περι λιϑων), qui in describendis gemmarum virtutibus multa de iis generaliter disserit antequam gemmas singulas recenset. Eum nimirum prooemii sensum esse arbitror: neque de solo sapientiae studio, ut viris doctis visum est, ibi agi quum argumentum ipsum docet tum totum carmen, cui illud est praepositum, arguit. Fingit enim reperiri gemmas in antro Mercurii (*v.* 18, 19), sed viri esse laboriosi, qui singula promte experiatur, areatque laboretque (*v.* 84, 85). Ex antro enim, inquit, „ambabus manibus innumera reportans munera domum discedat effu-

giens lacrimabiles aerumnas. Hunc neque morbis vehemens domi conficiet, neque inimicorum metuens gravem impetum, domum redibit exutus laeta victoria. Neque contra ipsum athletam luctantem in ludis viribus quemquam animus stimulabit insurgere, neque si aheneorum membrorum et inflexibilis roboris vir esset, contra ipsum coronae desiderio pugnans certet. Profecto ipsum et feris montanis leonem timendum, et populis daemoni similem (*intelligo semper: gemmarum virtute*) praestabo. Et ipsum tam regibus a Jove educatis quam aliis hominibus facile faciam venerabilem. Illum etiam juvenes teneri cum desiderio semper certabunt amplecti manibus. Et mollis aureum ad lectum sollicitabit assidue puella, amorem illius desiderans. Cumque preces (ille) fuderit, ad aures deferentur immortalium ejus vota. Et turbulentum pontum despiciens incedet per continentem inoffensis pedibus. Illum etiam praedones implacabiles vel solum iter facientem fugient, et famuli tanquam patrem suum colent, domumque sui diligent domini. Scire si desiderabit, sciet quaecunque homines occulta in mentibus suis machinantur: et quaecunque clangent non sine ratione aerivagae hominibus occultam resonantes vocem aves, magni Jovis veloces vates. Impetumque cohibere humum petentis draconis noverit et serpentum exstinguere venenum reptilium. Dabo ipsi et hominem momento cadentem lunae sanare et pestilentem elephanticum morbum; et animam abigere mortui si quando, nigro ex erebo egressa, appropinquet cuiquam." - Non-

ne dona haec majora sunt quam quae sapientiae soli debeantur? Profecto mira gemmarum virtus intercesserit necesse est. Confirmat meam de hoc prooemio sententiam, quod illorum miraculorum plura repetita leguntur in gemmis singulis, quemadmodum in Crystallo (1, 5) et Neuriti (19, 3) de precibus a diis exaudiendis; in Opallio (9, 8) de adipiscenda omnium quae gerantur scientia; in Ophite (11, 75 *et* 120) de innoxio serpentum morsu; in Haematite (19, 165) de intelligendo avium sermone, cet. Atque hisce addas velim alium Orphei locum (11, 64) quo Apollinem ipsum inducit lapidum virtutes praedicantem et prae herbarum facultatibus extollentem. Et id Marbodaeus (*in praefatione, ab init. p.* 5) significat versu:

„Ingens est herbis virtus data, maxima gemmis."

Cui quidem scriptori generalis lapidum virtus adeo erat persvasa, ut ad Chrysoprason (*p.* 12) animadverteret

„Quas habeat vires nondum cognoscere quivi.
Sed tamen esse reor: nec enim fas omnia nosse."

153. Atque per longum inde tempus observari potest superstitiosus gemmarum usus. Cujus exempla inter alia Plinius haec tradit: „Molochitae infantium custodiam tribui innato contra pericula ipsorum medicamine (37, 9, 36. *p.* 782); Jaspidem, quam a toto oriente pro amuletis gestari (30, 9, 37) refert (*conf. Dioscorid.* 5, 160), concionantibus utilem credi (*p.* 783); Amethystum resistere ebrietati (784); Achatem contra araneorum et scorpionum

ictus prodesse (786), variisque praeterea ejusdem gemmae generibus varias etiam inesse virtutes, ut tempestates et fulmina avertant, invictos athletas reddant, impetus hominum et iracundias doment, et contra effascinationes auxilientur (787). Porro Gorgoniam emolliri maria, et fulminibus Typhonique resistere (790); Hammonis cornu praedivina somnia repraesentari (791); Ananchitidem in hydromantia evocare imagines deorum; Synochitidem umbras inferorum evocatas tenere; Dendritide alba defossa sub arbore, quae caedatur, securis aciem non hebetari (795). Quibus omnibus (*p.* 791) haec quoque addit: „Zachalias, Babylonius, in his libris, quos scripsit ad regem Mithridatem, humana gemmis tribuit fata: Haematiten non contentus oculorum et jocinerum medicina decorasse, a rege etiam aliquid petituris dedit et litibus judiciisque interposuit: in proeliis etiam ex ea ungi salutare pronunciavit."

Haec quidem deridens Plinius: sed serio Psellus (*de lapidum* 154.
virtut. Lugd. Bat. 1745. *p.* 6. *sequ.*) „Adamantem" ait „suspensum aut alligatum restinguere febres semitertianas; Haematiten sanare morbos oculorum; Amethystum sedare dolores capitis et bibaculos hac gemma reddi sobrios; Carbunculum mederi morbis capitis; Achaten sanare oculorum fluxiones capitisque dolores, sistere mulierum menstrua, et hydropi adversari; Beryllum curare convulsiones, oculorum dolores, auriginem; Galactiten mulieribus attrahere lac et inducere oblivionem malorum, vulneribus etiam a belluis acceptis esse contrarium, Electrum sedare urinae

difficultatem, sanare febrem, cohibere stomachi fluxiones et juvare oculorum aciem; Jaspidem tollere capitis fluxiones, et expellere malum illud, quo qui laborat is gravi mole se opprimi noctu putat (incubum), adversari praeterea pestiferis morbis et epilepticis; Jdaeum dactylum maturare procreatos ex justis nuptiis foetus; corrumpere eos qui contra leges generentur; Crystallum prohibere tremores et dissolutiones nervorum; Lychnitem sistere oculorum fluxiones; Onychem abigere phantasmata nocturna et prodesse dentibus fluxione laborantibus; Caprirum (*l. Sapphirum*) etiam sistere oculorum fluxiones; Sardonychem cohibere infantium in utero casus, et prodesse illum, qui variegatus est, melancholicis; Chrysolithum adversari oculorum doloribus; Chryselectrum pellere febres; Chrysoprasum praebere visus acuitatem, mederi stomachi atque cordis doloribus, et dissolvere inflamationes ac tumores; Chalazian mederi scorpionum plagis; Topazium restituere in pristinum statum furibundos."

155. Ex medicis Dioscorides (5, 159. *p.* 388) refert „Selenitem mulieres sibi pro amuleto alligare." Atque ipse Galenus in quibusdam lapidibus medendi virtutem inesse arbitratus est, quamvis longius abfuerit a superstitioso eorum usu, quem medicorum alii, Sextus Placitus (*Fabric. bibl. Gr.* 13, 416) Alexander Trallianus (§. 336. 520 *et passim*) et Marcellus Empiricus (§. 158. 357. 613. 519. 568) commendare sunt ausi. .. Ac ne patres ecclesiae omnino praetereamus, Hieronymus (*ad Jesaj.* 66, 14) refert „Amethysto

omnia venena superari." Epiphanius autem (*de* 12 *gemm.* §. 6. *Op. II.* 228) „a Jaspide" tradit „expelli phantasmata noxia, et per eam in metu poni venenatas bestias et spectra:" et haec quidem fabulas esse ait; de aliarum contra gemmarum vi medica serio disserit. — Atque hi quidem homines erant, a quibus humani nihil alienum esse scimus. Magis mirum videtur, credidisse viros doctos animalibus etiam gemmarum virtutes cognitas esse. Qua de re qui dubitet, eum legere jubeo Aelianum (*in hist. animal.* 1, 35) Philostratum (*vit. Apoll.* 2, 7, *p.* 74), Philen (*de anim. propr. c.* 30 *v.* 87 *sequ. p.* 124. 126) et Marbodaeum (*in carm. ad Gorl. app. p.* 16 *de Aetite*).

Crystalli, in amuleti usum olim adhibiti, exemplum ipse vi- 156.
di. Globum enim crystallinum, una cum quibusdam capitibus leoninis ex auro confectis in Fionia repertum, (*de quo. v. Beck. allgem. Repertor.* 1821. *I. p.* 77) ostendit mihi Hafniae vir humanissimus Thorlacius. Cui globo quum inscripta sit formula frequenter in amuletis obvia (§. 580 *sequ.*) eum huc referre haud dubito. Isque in memoriam nobis revocat globum aeque crystallinum, in sepulcro Childerici regis repertum (*Chifflet. anast. p.* 243). Atque aliis etiam ex sepulcris crystallinos globulos erutos esse Montfauconius (*diar. Ital.* 120) tradit, additque (*p.* 447) morem antiquitus viguisse, ut crystalla in sepulcris includerent; se autem nescire qua religione ducti. Quibus exemplis addendum est testamentum Everhardi comitis, quo, referente Eckharto (*Franc. orient.*

l. 417) legatum erat Berengario „phylacterium ex crystallo cum auro paratum." Recentiora exempla alii suppeditant (*Del Rio L.* 4. *c.* 2. *qu.* 6. *s.* 4. §. 4. *p.* 546).

157. Porro amuletorum in usum adhibebantur etiam metalla. Ex quibus numi, vel veri, vel ad eorum similitudinem effcti, gemmarum formis propius accedunt, quam cetera amuletorum genera. Illorum plures ex variis metallis, auro, argento, aere, et plumbo fabricatos, tum impressos, tum fusos, delineandos curarunt Molinetus (*cabinet de la bibl. de S. Genev. p.* 134) Reicheltus (*de annul. Argentor.* 1776) Kircherus (*Oedip. II. II. p.* 465) Seguinus (*sel. num. p.* 2). Sed laminae etiam huc referendae sunt vario ex metallo paratae. „Adversus ictus noxios" inquit Arnobius (*adv. gent. L.* 2. *p.* 65. 66) „et venenatos colubrarum morsus remedia saepe conquirimus; et protegimus nos *laminis*, Psyllis et Marsis eas vendentibus." Certe non *labiis* legisset Joannes Auratus hoc loco, qui bene se habet, si tot laminas, quae amuletorum vicem sustinent vidisset, aliorumque de iis scripta evolvisset. Ita enim et Origenes (*in Job. L.* 3. *p.* 270): „plerique nunc - - phylacteria - - aut in charta scribunt, aut in *stanno*, aut *plumbo*, et alligant ei, qui aliquem dolorem sustinuerit." Ita etiam Eusebium interpretor, qui (*demonstr. ev. L.* 3. *p.* 127) „nullum" ait „Christianum colligatione usum esse, neque magicis nugis neque laminarum laboriosis inscriptionibus (πεταλων τινων περιεργων ἐπιγραφαις)."

158. Ne vero exempla desiderentur, audiamus Gruterum, qui (*in*

inscr. app. p. XXI) „effossam esse" ait „anno MDXLI ex sepulcro quodam arcam plumbeam; qua aperta agnitum fuisse corpus humanum, cujus sola in lucem protracti restasse ossa: sed repertam esse, qua parte pectoris humani cor locum habet, bracteam ex purissimo auro parvam et perquam tenuem, cui inscriptae essent septem vocales Graecae, totidem repetitae versibus sed ordine semper alio (§. 250)." Audiamus et Lambeccium, qui (*commentar. bibl. Caes. ed. II. L. I. p.* 173) „erutam esse" ait „Vindobonae anno MDCLXII arcam lapideam, in qua praeter ossa corporis humani inter alia repertum etiam esse parvum involucrum rotundum et ex puro auro confectum, quo aliud esset involutum ex aere, sicut in aereo aliud ex argento et in argenteo denique tenuissimam laminam auream, inscriptionem continentem, tanta subtilitate exaratam, ut vix vestigia literarum apparerent. Eodem fere modo amuletum conficiendum et servandum Marcellus Empiricus (*c.* 29. *Basil.* 1536. *p.* 207) his verbis docet: „Ad coli dolorem scribere debes in lamina aurea de graphio aureo infra scriptos characteres luna prima vigesima, et laminam ipsam mittere intra tubulum aureum, et desuper operire vel involvere tubulum ipsum pelle caprina" cet. Aliud etiam exemplum suppeditavit sepulcrum Mariae, Honorii uxoris, quo inter alia continebatur lamella aurea inscripta nominibus *ΜΙΧΑΗΛ. ΓΑΒΡΙΗΛ. ΡΑΦΑΗΛ. ΟΥΡΙΗΛ* (*Gruter.* 287, 4. *Graev. thesaur. X.* 193. *Cancellier. de secretar. II.* 1000). Ceterum haud scio, an

huc etiam referenda sint „phylacteria tenui argento fabricata vilique panno de collo suspensa" quorum meminit Joannes diaconus in epistola ad Carolum (*Diss. philol. qua monim. ex museo Victorio depromta illustr. p.* 57). Amuletum plumbeum infra repraesentabimus: causam quoque cur tam varia metalla in amuletorum usum adhibita fuerint, suo loco (§. 295 *sequ.*) explicabimus.

159. In pergamena, et viliori nonnunquam materia, scripta erant illa, quae nuncupabant „brevia pro frigoribus". Quae quamquam serioris aevi esse constat (*Baluz. capitular. I.* 1287. §. 3. *Cangius v. Breve*); in charta tamen amuleta jam a Romanis exarata fuisse supra (§. 62) vidimus. Quin ex foliis etiam arborum ea confecta esse; Alexandri Tralliani (*L.* 12. *p.* 757) praeceptum hoc docet: „In folium oleae ex communi atramento inscribito: KA. POI. A. Capito autem folium oleae ante solis exortum et collo suspendito." Id quod appensum adversus febres remedium esse multis experimentis a se probatum contendit.

160. Vix ulla igitur materia est, quae non aliquando pro amuleto usurpata fuerit; unde apud Epiphanium (*haer.* 19, 2. *p.* 41. *haer.* 53. *p.* 461) legimus „Ossenos Marthi cujusdam et Marthanae vel sputa ipsa caeterasque corporis sordes ad morbum remedia circumferre solitos esse." Sanctorum igitur suorum istas etiam reliquias amuletorum loco habuisse videntur. Primorum Christianorum amuleta, Celsus (*v. supra* §. 66) ait „fuisse in vestibus, numeris, lapidibus, plantis et radicibus, diversorum generum."

Quaenam materia fuerit eorum, quae ab Apollonio Tyaneo 161.
„contra impetum maris et ventorum vim, et murium, bestiarumque incursiones" confecta esse ferunt (*Justin Mart. Quaest.* 24. *p.* 405) non constat. Nec magis notum est, quaenam fuerint illa, quae idem multis in locis, ut tute habitarentur, erexisse dicitur (*Isidor. Pelusiot. epist.* 398 *ad Zachaeum p.* 103. *Chron. paschale ad a. C.* 93. *p.* 250), vel quae Arabs quidam (*apud. Selden. de diis Syris. C.* 2. *S.* 1. *p.* 117) in urbibus orientis celebrioribus ab illo collocata fuisse testatur. Sed marmoreis ciconiis Apollonium veras Byzantio expulisse narrant (*Codin. orig. Const. p.* 4. *et ad eum Lambecc. p.* 139. *Tzetzes chil.* 2. *hist.* 6), aquila ex aere confecta serpentium morsus prohibuisse (*Niceta in Fabric. bibl. Gr. VI.* 411), et aeneo scorpione Antiochenses a culicibus et scorpionibus liberasse. (*Reichelt. de amul.* 40). Fabulosa etiam si qua alia ea sunt quae Anastasius episcopus (*ap. Reichelt. p.* 43) refert: „quibusdam in locis ad hunc usque diem Apollonii stare opera, et suam habere efficaciam: alia quadrupedibus et volucribus damnosis evertendis: alia ad *inordinatos animorum excursus* inhibendos; - - neque eo tantum vivo daemones per ipsum tot et talia egisse, sed ipso etiam mortuo *ad monumentum ejus* perseverasse." Admiratu sane digna illa est daemonum, ceteroquin malignorum, constantia ac fidelitas!

In marmore certe incisa fuit pervulgata illa inscriptio, qua 162.
Milesii urbem suam munire sibi visi sunt (*Spon voyage Amsterd.*

1779. *I. p.* 422. *Wheler voy. Amst.* 1689. *p.* 277. *Commentar. Gotting. I.* 257. *Memoir. de l'acad. des inscr.* 41. *p.* 522). Moenibus etiam Hadrianopoleos (*Spon. recherch. p.* 144) insculptum erat: *ΕΠΙΣΚΕΨΙΣ ΕΠΙΣΚΕΨΑΙ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΣΟΥ*. Ita etiam ex Arabe quodam scriptore Bochartus (*hieroz. P. II. L.* 2. c 6. *p.* 388) refert „Emesam urbem talismanis custoditam esse, ut nulli eam serpentes aut scorpiones ingredi possent, quin si ad portam civitatis inferrentur statim exspirarent. In quadam etiam testudine lapidem esse infixum, scorpionis figura insignitum, cujus tactu sanari eum quem scorpio pupugerit aut momorderit.“ Ad amuleta generaliori quidem sensu haec refero, quum amuletum ab amoliendo malo dictum sit, sive terrae infixum moveri nequeat, sive hominibus appensum circumferatur. Appendendi autem modum admodum varium fuisse ex eo colligitur, quod Augustinus (*epist.* 73 *ad Possid.*) scribit: „Execranda autem superstitio *ligaturarum*, (§. 67 *sequ.*) in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensae deputantur non ad placendum hominibus, sed ad serviendum daemonibus.“ Quo loco quid verbis „*in summis ex una parte auriculis suspensae*“ significare voluerit bonus pater, equidem invenire frustra studui.

CAPVT II.

De scriptura.

Omnis scripturae ea est ratio, ut signis quibusdam perspectis 163.
notiones in mentem revocentur, quarum illa vicem sustineant. Quapropter nexus quidam sit necesse est inter signa atque res mente percipiendas. Qui quidem nexus vel in ipsa signorum cum rebus similitudine inest, vel in arbitraria quasi lege et tacita quadam conventione. Quod enim, ad scriptionis originem attinet, vel res ipsas illa depingit, vel in rerum locum arbitraria signa substituit. Priorem *naturalem*, posteriorem *artificiosam* appellare liceat.

Naturalis quidem scriptura signa omnia respuit arbitraria 164.
quandoquidem nemo eam intelliget sublata signorum cum rebus similitudine. *Artificiosa* vero arbitrariis quidem signis utitur; sed constituta semel et recepta eorum significatione, quae ab origine erant arbitraria, si postea mutantur, periculum est, ne quae variatis signis scripta sint, haud intelligantur. Cave autem existimes, omnem scripturam, quae hodie nullas exprimit rerum imagines, semper artificiosam ab initio fuisse, neque fieri potuisse quin a naturali originem caperet. Quem quidem errorem virorum etiam doctissimorum satis mihi visus sum refutasse exemplo scripturae, qua in paeninsula Corea utuntur, nunc quidem

alphabeticae, sed quae originem traxerit ex antiquissimis Sinensium imaginibus, mediantibus eorundem recentioribus signis, quae ex imaginibus sensim emanarint. (*Bild. u. Schrift. der Vorzeit II.* 86. *Jen. allg. Lit. Zeit.* 1824. *Ergänz. Blätt. Jun.* 65. *S.* 516. *Heidelb. Jahrb.* 1822. *n.* 34. *S.* 531.)

165. Est autem et alia scripturae partitio, ab ejus vi et effectu repetita. Aut enim res notantur imaginibus aliisve signis: aut vocis soni literis pinguntur, ex quibus lingua agnoscatur, quo facto mente demum percipiuntur quae scripta exstant. Illud quidem scripturae genus nulla indiget lingua, quia signis visis statim percipitur res significata. In hoc autem non nisi mediante lingua aliqua intelligi possunt ea quae scripta oculis subjiciuntur.

166. Nostris quidem temporibus omni fere sermoni, vel ab antiquis inde temporibus, vel recentiori demum aetate, sua cuique scriptio assignata, suaeque literae peculiares sunt. Ac facilior profecto intellectu est lingua suis ipsius literis mandata, quam alienis. Quicunque enim characteres Graecos Hebraeosve conspicit, ejus mens Graecis Hebraeisve locutionibus jam intenta sententiam illis literis consignatam, si verba quoque ejusdem linguae sint, citius hauriet.

167. Quam ob rem valde dubito profuturam viris doctis esse scripturam omnibus linguis adaptatam, cujus inveniendae opus post alios frustra molitus olim erat Büttnerus, Germanus, et quam componendam nostra etiam aetate viris hujus rei peritis commen-

daverat Volneyus, Franco-Gallus. Quodsi enim suam cuique sono figuram, vel literam signo quodam diacritico ab aliis distinctam, adfinxeris; spectata immensa omnium in tot linguis sonorum multitudine, illico sublatum videbis mirum alphabeti artificium, „quo," ut Ciceronis (*Tusc. I, 25*) verbis utar, „soni vocis, qui *infiniti* videntur, *paucis* literarum notis terminantur." Nexum praeterea inter linguam et scripturam ei propriam majorem esse probe videbunt, qui illam norint, quam alii minus ejus gnari unquam sibi persvadeant: quo nexu interrupto obscurior fiat necesse est scriptio ipsa. Fac Latinis literis signo diacritico quantumvis frequenti distinctis scriptum esse sermonem Arabicum: quotusquisque erit, qui quae sic scripta sint, intelligat, quamvis linguam illam bene calleat. Ipsum adi Silvestrem de Sacy: ingenue ille fatebitur, et molestum ita fieri legendi negotium et saepius in alienis a lingua literis incertum se haerere.

At dixerit fortasse aliquis, Latinas literas adaptatas jam esse 168.
aliis linguis, Italicae, Gallicae, Anglicae, Polonicae, cet. Fieri igitur posse, ut reliquis omnibus adaptentur. Minime vero. Quamvis enim Italus, Gallus, Anglus, Polonus, literis utantur Latinis; varie tamen eas pro suae quisque linguae indole pronuntiat; neque eadem earundem literarum vis ac potestas est Gallis, quae Polonis, neque eadem Anglis, quae Italis, ceterorumque quibusvis.

Veram igitur pronuntiationem vix quisquam assequetur, qui 169.

peregrinum sermonem alienis ab eo literis viderit scriptum. Graecis literis neque Aegyptii, neque Russi, linguarum suarum sonos exprimere omnes poterant; quapropter necesse erat addere illis alios characteres, quibus sonos sibi maxime peculiares supplerent, literis simul receptis, quae quamquam non eundem, similem tamen suae pronuntiationi sonum ederent. Sermonem autem, cui peregrina scriptio obtrusa, haud leve inde detrimentum capere nemo non videt. Hinc equidem Copticam linguam, cui praeterea tot Graecae voces pro Aegyptiacis sunt admixtae, a prisca Aegyptiorum longius, quam vulgus opinatur, recedere arbitror. Nemo enim quisquam sermonem illum purum ac suis literis scriptum adhuc legit. Sufficit quidem Copticae linguae cognitio ad intelligendos Coptitarum codices, quippe qui, quum lingua Aegyptiaca corrupta jam esset, sint scripti: sed minime eam sufficere ad interpretandas ad amussim antiquioris sermonis reliquias, in quibus Rosettani (s. Raschidani) lapidis titulus esse videtur, mihi quidem est persvasum. Nec est quod in hac inscriptione discrepantem passim a Coptica linguam miremur. Quingentis enim, et quod excurrit, annis antiquior est omnibus, quae ad nos pervenerunt, Copticis fragmentis. Jam vero quisque sermo natura est ita comparatus, ut ipso usu mutetur. Quod si de reliquis omnibus linguis affirmare licet, quanto certius de sermone in Aegypto olim usurpato? In Aegypto, inquam, quae omni fere tempore peregrinorum incursionibus patebat; quam inhabitabant et

Hebraei et Graeci, et Persae Medique, et Romani; cui non erat liber sacer, quo semper retento lingua immutata potuerit servari, qualis aliorum est, vel Pentateuchus, vel King, vel Koran; et si quis erat, certe ille non omnibus, sed solis sacerdotibus (*Diodor.* 16, 51. *Clem. Alex. strom.* 6. *p.* 633) patebat.

Haud quidem me fugit doctissimos esse viros, qui in omnia 170.
alia abeant: quos inter Champollion primo loco mihi nominandus est, quia verbis haud dubiis sententiam prorsus contrariam edixit. Quae quidem in libro suo (*l'Egypte sous les Phar. I.* 21.) haec sunt: „*Tous ceux, qui connaissent le copte - - sont intimement convaincus de son identité avec la langue des anciens habitans de Thèbes et de Memphis.*" Rationes, quas praeter suam aliorumque auctoritatem affert, maxime tres sunt; primum plurima eorum verborum, quae ut Aegyptiaca nobis a Graecis tradita sint, cum Copticis concinere; deinde multa verba, quae Rosettana inscriptione contineantur ipsa Coptica esse: Coptitarum denique grammaticam vere philosophicam et omnibus suis numeris absolutam eo ipso antiquitatem prodere admodum remotam. Haec ille (*p.* 21-23), vir sane hisce rebus multum versatus, qui, si inventa sua literis mandanda nonum premere in annum consvesset, certe tam saepe non retractaret quae prius affirmaverat. Sed argumenta, licet a tanto viro prolata sint, cui priores ego facile tribuo, haud tamen satisfaciunt. Fac enim Aegyptiacorum verborum, quae a Graecis accepimus plurima vere Coptica esse;

certe illorum a Graecis traditorum numerus ipse adeo exiguus est, ut ab iis ad integram linguam non magis, quam a parte ad universum, argumentari liceat. Ac ne illorum quidem verborum plurima apprime cum Coptica lingua congruere, indefessa Jablonskii industria (*Opusc. T. I.*) docuit, qui vir egregius non semel in virorum doctorum animadversionem incurrit, quod comparatio ab eo instituta saepe vaga videretur ac longius repetita. Et si qua verba Coptica in lapide Rosettano viri docti reperire sibi visi sunt, profecto a Pharaonum temporibus adeo remotus ipse ille lapis est, ut nihil inde sumi possit ad probandam sententiam „Pharaonum linguam fuisse eandem quae recens Coptica est!" Sed in ipsis illis verbis ex inscriptione Rosettana sumtis, saepenumero dubius haereo, nec adeo certam eorum lectionem fuisse longa dies docebit. Ita quod Champollion (*p.* 25) se legisse affirmat verbum ΝΝΟΥϮ, sic scriptum mihi nondum licuit reperire. Ita in nomine Alexandriae, quod vir doctus (*II.* 265) ΜΑΝΑΛΕΚϹΑΝΤΡΟϹ, („h. e. locus Alexandri,") scriptum se legisse ait, neminem unquam credo fore, qui primas literas ΜΑ agnoscat. Quod ad tertium argumentum attinet prorsus contraria ex iis, quae ille praemisit, colligi posse mihi quidem videtur. Quo enim perfectiorem se praebet alicujus linguae grammatica, eo recentior ipsa haberi debet. Tardo enim et claudo quasi pede naturam ars sequitur. Sed fortassis Barthelemii (*in mem. de l'acad. des inscr.* 32, *p.* 218), de Coptica lingua disputantis, verba: „*que*

l'extrême ***difficulté*** *de sa* ***marche*** *est une preuve de son antiquité"* non bene reddiderit.

171. Multum quidem studii ac laboris ad illam inscriptionem per literas ex nominibus propriis cognitas explicandam jam pridem contulerat Thomas Youngius, Anglus, nec satis laudari ejus industria poterit: sed ingenue tandem est fassus, fieri non posse, ut perficeret illud negotium. Quam quidem hujus viri confessionem vere modestam maximae sane laudi ipsi ducimus. Subolnerat videlicet jam ei hieroglyphicorum signorum reliquias literis forte esse immixtas. - - Postea Spohnius quoque probe perspexit nemini unquam successurum verborum omnium in illa inscriptione ex literis nobis *notis* interpretandorum laborem: at vero eam tantum viam ille ingressus esse videtur, qua aliam quum orthographiam, tum et ipsam passim verborum structuram in vulgarium Copticorum locum substitueret, atque ad verbum Graecam versionem minime factam fuisse statueret, id quod omnino vero est simile; quamvis ignorationis nostrae plures etiam esse causas quilibet visurus sit, qui penitius eas quaesiverit (§. 172). Novissimus tandem Kosegarten in *„prisca* sua *Aegyptiorum literatura (Vimar.* 1828. 4)" omnia, quae alii eruere sibi visi sunt, colligens, et ad papyros Berolinenses insuper applicans, vulgarem Aegyptiorum scripturam eam, quae in Rosettani lapidis medio loco insculpta est, statuit partim *literis* constare ex nominibus propriis nobis *notis*, partim *hieroglyphicis* signis vel *siglis*, qua voce vir do-

ctus contra receptum apud nos loquendi usum, quo singula tantum litera, integrum verbum repraesentans, nomine *siglae* sive *sigli* appellatur, saepe abutitur.

172. Nullus autem horum virorum de tertia obscuritatis causa cogitavit, quam nunc explanare opus esse videtur. Ex illorum enim laboribus hoc colligimus: „nominum propriorum, maxime peregrinorum, lectionem ex literis *notis* certam quidem videri; sermonem vero ipsum, et longe plurima, quae appellativis verbisque constent, nobis adhuc manere ignota," id quod ipse Kosegarten sensisse videtur, quippe qui (*p.* 24) fateatur, „multum abesse, ut scripturas enchorias integras legere vel pronuntiare possimus." Vere! Quum enim ea, quorum sensum conjectura assequamur, ad literas revocare nequeamus; hac de re ita censere et distinguere cogimur: Aut illa *literis* scripta sunt, aut *hieroglyphicis* signis (§. 173 *sequ.*), quorum reliquiae utique in vulgarem scripturam passim transiisse videntur. Quodsi literis; eas ipsas aut *novimus*, veluti illas, quibus multa nomina propria in Rosettano lapide exarata sunt; aut earum vim atque potestatem *adhuc ignoramus*. Illis literis quamvis *notis* si quid scriptum exstat, cujus sensum expiscari nequimus; aperto id indicio est, impedimentum *in linguae et orthographiae veteris* (§. 169) *ignoratione* quaerendum esse: quod idem prohibet, quo minus *literas adhuc ignotas* discere possimus. Ex quibus omnibus colligo, *duplex* esse literarum genus in ea ipsa, quam demoticam sive enchoriam appellant, scriptura.

173. Quod quum primus equidem conjecerim, et quae nova afferantur apud nonnullos minorem fidem habeant; illustrationis causa subjungere placet Rosettanae inscriptionis particulam, ex qua non verba tantum distinguere, sed Graecae versionis ope sensum etiam intelligere, nihilo autem magis Copticae linguae ope omnia explanare licet. Est vero quae sequitur versus XXII pars maxima sinistrorum quidem legenda:

6. 5. 4. 3. 2. 1.



ejus parentibus Philopatoribus diis omnibus et

13. 12. 11. 10. 9. 8. 7.




ejus parentum parentibus Evergeticis diis omnibus et

20. 19. 18. 17. 16. 15. 14.



eorum parentum parentibus Adelphis diis omnibus et

23. 22. 21.



diis omnibus et

Atque hanc meam versionem veram esse persvasum habeo, quantumvis mirum videri possit, literis non lectis scripta tamen interpretari velle, quo quidem incepto Graeca versione deficiente omnino ab-

stitissem. Consulto praeterea illam inscriptionis partem selegi, quo clarius videri posset, lapidem admodum negligenter vel inscriptum, vel exscriptum esse, id quod in vocibus toties repetitis qui eas comparaverit videbit. Quapropter quamvis iterata totius inscriptionis collatio optanda sit, hoc tamen negotium non nisi vir suscipiat velim, qui ad hunc laborem non tantum bene praeparatus, sed nulla etiam opinione praeoccupatus fuerit. - - Atque accedant ad illum versum nunc linguae Copticae, sive recentioris Aegyptiacae, qualis sola nobis nota est, vel peritissimi, revocentque verba, quum scribendi tum dicendi genere a Coptico passim diversa, vel eo certe antiquiora, ad literas ex nominibus propriis notas: protinus sentient, verba illa neutiquam legi posse, tametsi eorum significationem conjectura assecuti sint. Solum illud ꟼ pro *Ejus* tam ex literis, quam ex lingua, veterum pariter Aegyptiorum, atque recentiorum Coptitarum esse videtur; mirorque Spohnium qui hoc non agnovisset, quum tamen suo id semper loco in illo exemplo compareret. Reliqua, ut *Diis*, *Omnibus*, *Parentibus*, atque ipsa copulativa *Et*, quamvis linguae Copticae gnaris omnia haec vocabula notissima sint, ex literis tamen explanare eorum nemo poterit. Quapropter Spohnius vocem *Omnibus* omisit et *olim* ei substituit, quam ipsam tamen varie scriptam exhibere coactus est: sed neque in literis legendis ubique ille sibi constat, neque constare sibi potuit. In characteribus enim quum eorum figurae plerumque differant ab illis, quae nobis

notae sunt, vel *hieroglyphica* signa latere dicamus necesse est, vel *literarum* genus nobis adhuc ignotum. Atqui hieroglyphicis signis plurima, quae in medium protulimus, verba neutiquam notata esse ex eo patet, quod ad unam vocem scribendam tam multi characteres adhibiti sunt. Ac si nulla alia vox viros doctos ea de re admonere potuisset, certe copula illa *Et,* quae tribus semper characteribus ᑌᒍ\ scribitur, persvadere ipsis debebat, neque hieroglyphicum hoc signum esse; neque siglum, quippe quod tribus literis constare nequeat; neque literis illud scriptum, quas ex nominibus propriis perspectas habeamus, nisi absurdi quid vel inauditam vocem ex iis extorquere voluerint. Quo pacto Spohnius (*p.* 11) easdem quidem literas modo NEM, modo EMN legere potuerit, nemo sane docebit. Ceterum mihi quidem, quum secunda dialecto eadem copula tribus literis pronuntietur, quae Graecae quidem sunt ΑΥΩ, vero est simmillimum, hoc verbum, quod ᑌᒍ\ scriptum esse videmus, tribus veris constare literis. Quae licet forma differant ab eis, quibus nomina peregrina exarata sunt: nihil tamen obstat, quo minus conjiciamus duplici vulgarium literarum genere aliquando usos esse Aegyptios. Ignoto autem illo quum scripta etiam sint nomina Philopatoris, Evergetici, et Adelphi; conjicio ab ipsis Aegytiis reges ita cognominatos, et Aegyptiaca haec cognomina in Graecam linguam postea translata esse.

At vero alterum nobis notum literarum genus, quo scripta 174.

sunt nomina Alexander, Ptolemaeus, Arsinoe, Berenice, et reliqua peregrina, origine non esse Aegyptiacum, sed adventitium, communis fert opinio, qua Phoenicibus id tribuitur. Alia certe, quae quibusdam placuit, conjectura inepta videtur, quippe qua statuant ex hieroglyphicis signis literas illas ortas esse. Namque mirum profecto foret, si ex hieroglyphicis characteribus sensim emanassent ejusdem et figurae et potestatis literae, quibus Persas olim usos esse constet. Qua in re ne quid dubii viris doctis supersit, comparent hi velim utriusque alphabeti literas. Jamque si literarum A, B, aliorumque in utroque similitudo intimam utriusque cognationem ipsis nondum persvaserit; respiciant literas L et R quae levi admodum signo diacritico, eodemque a Persis, quo ab Aegyptiis, discernuntur. Etenim

R Persica est , Aegyptiaca 
L Persica , Aegyptiaca , et
geminata L Persica , Aegyptiaca .

Hoc quidem inter utrasque interest, quod Persae Phoeniciarum literarum situm magis servarunt (*Bild. und Schrift. I.* 281) quam Aegyptii, qui eas non nunquam inverterunt. Sed verisimile est Persas in Aegypto pariter atque Agyptios illas quidem literas a Phoenicibus didicisse. Praeterea si meam de duplici vulgarium apud Aegyptios literarum genere conjecturam approbaveris, nullo negotio perspicies ingratum et cassum adhuc fuisse virorum doctorum laborem alphabeti constituendi ex utroque genere mixto.

Quo scilicet facto fieri non potuit, quin uni eidemque literae formas nimium quantum inter se differentes tribuerent. Neque hunc solum in illis laboribus animadverti errorem. Modo enim syllabas pro literis acceptas in alphabetum intrudunt; modo variantis orthographiae haud memores literam, cui alienam potestatem tribuunt, alieno etiam loco collocant; modo varias Aegyptiorum dialectos non secernentes ex vulgari tantum pronuntiatione literae falsam affingunt vim ac potestatem: quo facto eundem errorem committunt, quem comitteret, qui Graecam literam Α pro Ε vel Η accipere vellet, quia in Graecis, Dorica dialecto forte scriptis, Α est, ubi ex vulgari orthographia Ε vel Η esse solet; modo ipsius denique Copticae linguae indole non satis perspecta quod scriptum exstat male interpretantes literis falsam tribuunt significationem. Nihil, ut hoc utar exemplo, magis notum est, quam hac lineā / literam *r* notari (*v. supra*), nunquam vero n. Nihilominus, ubi linea illa inter duo nomina propria, filii nimirum et patris, est interposita, veluti in hisce nobis notis literis , quae legendae erant ΑΡ. 'Ρ ΑΡ (*Ωρος Ωρου*), illi legunt or N or quem errorem in pluribus aliis semper repetitum videmus. In Graecis scilicet casum secundum videntes, ut illum servarent, N supposuerunt, quamvis ista genitivi nota neutiquam adsit. Sed eundem, qui in Graecis est sensum explanassent, si ΕΡ legissent, vocali nempe suppleta, id quod saepissime a Coptica scripta legentibus fieri debet. ΕΡ autem *facere* sonat, et, quia verbum prae-

gnans est, *gignere* etiam significat. Namque qui fecit sive genuit, pater est, et qui factus sive genitus, filius. Neque audiendi qui participium in ejusmodi compositis desiderant. Etenim ΕΡΒΗϢ nudus dicitur, quamvis participii forma pariter neglecta sit, ut reliqua taceam exempla (§. 331).

175. Non sum nescius praesenti hoc tempore esse viros doctos, qui opus moliantur, quo Aegyptiaca verba Rosettanae inscriptionis interpretaturi sint. Quorum labores si prospere successerint, iisque me errasse evictum fuerit, libenter errorem meum confitebor, satis contentus, praeclaris mihi aliorum laboribus frui licere. — Hieroglyphica autem signa omniaque scripta, quae veris literis non constant, a meis studiis quamvis semper fuerint aliena: recentioribus tamen adstipulari nequeo, qui ad illorum adytum clavem se reperisse opinati, alii literas ornatas in iis latere, alii eam legendam esse literam docent, a qua vox incipiat rei, quae hieroglyphico signo sit denotata, haud perpendentes, hoc pacto unam eandemque literam cum innumerabilibus signis conferri posse. Quo fit ut isti inventioni jure diffidatur secundum hanc, quam censor quidam Franco-Gallus (*Mem. de Trevoux* 1753, *Septbr.*) tulit sententiam, „*Le premier principe d'intelligence pour un alphabet, de quelque langue qu'on le suppose, est que chaque caractère, chaque figure, n'y exprime ou n'y indique, qu'une seule lettre: autrement on n'aura plus rien de fixe; tout deviendra confus et arbitraire: ce sera l'alphabet des ouvriers de Babel, qui ne*

s'entendoient plus." Isti praeterea interpretandi modo hoc etiam obstat, quod hieroglyphica signa leviter delineata admodum incertae plerumque sunt significationis, quo non potest fieri quin arbitaria obscurae talis scriptionis interpretatio omnibus rei peritis videri debeat: qui ab eo quoque, qui clavem alicujus scripturae se invenisse profitetur, jure poscunt, ut non ad quorundam tantum nominum cognitionem, sed ad omnia aperienda aeque apta illa sit. Sed quid multa? tota refragatur antiquitas, Diodorus, Tacitus, Clemens Alexandrinus, Ammianus Marcellinus, Cyrillus, Porphyrius, multique alii, qui, fonti profecto propiores quam nos, hieroglyphicis signis docent latere opertum et symbolicum sensum, minime vero literas. Ac si quid veri in illa recentiorum inventione inest, hoc esse arbitramur: omnes nimirum populi, qui naturali scriptura (§. 163) utuntur, artificiosam autem sive literas omnino ignorant, non nisi ea notare possunt, ad quae significanda signa ipsis in usu sunt. Atque hisce nomina propria pariter atque appellativa antiquis certe illis temporibus notabant, quibus quodlibet nomen, quamvis proprium, ex lingua patria notum habebat sensum. Ex quo autem tempore peregrina exprimenda erant nomina, quae in patriam linguam converti non poterant, abutendum ipsis erat signis, ut haec sonum tantum illorum nominum, non vero res repraesentarent, pariter atque hodie a Sinensibus fieri olim (*Bild. u. Schr. II.* 80) jam me tradere me mini. Atque haec quidem de nominibus propriis. Aegyptios autem

in reliquis etiam, quod magis fidem excedit, pro literis hieroglyphicis signis usos esse, si unquam concedendum foret, hoc certe ea tantum aetate factum videremus, qua in priscae notandi artis jam pridem deperditae locum, puerilem istum scribendi modum recentiores substituerint, similes hi quidem eis, qui exeunte seculo nono Tironianas notas, postquam harum cognitio omnes jam fugerat, scribere conati sunt (*palaeogr. crit. I.* 412). Sed taceo cetera, quia non nisi instantibus familiaribus meis eo adductus sum, ut meam de Aegyptiorum scriptura opinionem, vel potius conjecturam, exposuerim.

176. Quemamodum priscae illius Aegyptiorum linguae ratio atque indoles difficilius nunc eruetur peregrinis Graecorum literis illi obtrusis; sic alia etiam monimenta, alienis a sermone literis exarata, interpreti negotium admodum onerosum et arduum plerumque facessunt. Exstant autem hujus generis adhuc plura quam vulgo credunt. Quod ne temere affirmare videar, exemplis confirmabo. Habemus enim

AEGYPTIACA scripta literis

AETHIOPICIS (*Ludolfi. commentar. p.* 563. *et ej. grammatica*).

COPTICIS, et

GRAECIS solis, quorum specimina in hoc ipso libro complura reperies.

PUNICA

LATINIS (*Plauti Poenul. V,* 1.)

HEBRAEA

GRAECIS (*Origen. Hexapla. Eusebius et Epiphan. passim Maffei hist. theol.* 64. *O. G. Tychsen. tentam. de cod. Hebr.* 153.)

LATINIS (*Hieronym. passim.*)

ARABICA

AETHIOPICIS (*Ludolf. gramm. et commentar.* 563.)

SAMARITANIS (*Simon. hist. critica V. T.* 1, 12. *p.* 71. *Hotting. Anti-Morin.* 64. 105. *Adler museum Cufic.* 44. *Catal. bibl. Leid. p.* 481. *n.* 1781. *Michael. biblioth. or. II.* 110. *Gesen. carmina Samar.*)

HEBRAEIS (*Michael. IV.* 101. *Scaligeri epist. p.* 178. *Hoest Fesz u. Maroko.* 145.)

SYRIACIS (*Scalig.* 353. *Niebuhr Reise n. Arab. II.* 363).

LATINIS (*Fabric. bibl. Gr. IV.* 581. *f. XIII.* 524).

TURCICA

GRAECIS (*Mus. crit. Cantabr.* 1816. *VI.* 182. *Niebuhr. II.* 363. *Schmidt abfert. d. Klaproth. Beleucht. p.* 13. *not.* 2).

PERSICA

GRAECIS (*Aristoph. Acharn.* 100).

LATINIS (*Fabric. bibl. Gr. XIII.* 524).

INDICA

ARABICIS (*quibus grammat. plures sunt editae.*)

GRAECA

PALMYRENIS (*Bild. u. Sch. II.* 250).

SYRIACIS (*Adler, Reise nach Rom. p.* 108).

HEBRAEIS (*Wolf. bibl. Hebr. III. f.*)

LATINIS (*Maffei istor. dipl.* 135. *Marini papyr. dipl.* 253. *Blanchini evangel. quadripart. Graevii diss. rarior.* 55. *Lessing. Beitr. III.* 115. *Fabretti inscr.* 465. 579. *Nov. opus dipl. II.* 635. *ibiqu. Hickes. et III.* 128. 142. 221. *Meursii glossar. Barb. Gr. passim. Vulcanii thesaur. utr. lingu. in not. col.* 69 *ad* 239. *Fabricii bibl. Gr. IV.* 581. *f. XIII.* 324). *Boldetti p.* 650.

LATINA

PALMYRENIS (*in inscr. passim*).

HEBRAEIS (*Talmudistae, praesert. in Mischna*).

GRAECIS. *Maffei ist. d.* 145. 166. 167. *Marini pap. n.* 75. 90. 92. 93. 110. 114. 121. 122. *Tab. V. XII. XIII. p.* 335. 47). *Diss. isagog. ad Hercul. Vol. Tab.* 1. *f. Apiani inscr.* 233. *Fabretti* 390. 756. *Reines.* 697. 730. 904. *Gruter* 1130, 8. 1144, 10. *Muratori thes. inscr. I.* 27. *Ant. Ital. I.* 12. *Flettwood* 328. *Aringh. Roma subterr. I.* 337. *Mabill. mus. Ital.* 141. *Boldetti cimeteri.* 208. 400. *Saubert de sacrif.* 462. *Lupi Sev. martyr.* 5. 61–63. 188. 191. *Buonarruoti vasi.* 52. *Marm. Pisaur.* 68. 69. 203. *Torremuza Sicil. ed. I. p.* 246. *Ficoroni gemm.* 30. *Annal. Benedict. III.* 487. *Meursii glossar. Gr. p.* 579. *Heinecc. ant. Goslariens.* 47. *Major de numis Gr. inscr.* 40. 42. *Fabricii bibl. Gr. IV.* 571. *XII.* 376. *Falco-*

nerii inscr. athlet. 122. *Rasche lex. num. II.* 11. 59. *Nov. op. dipl. II.* 66. 635. *ibique Murator. alii.* 641. *III.* 85. 116. 192. *Theophili paraphr. institut.*)

HISPANICA

HEBRAEIS (*Wolf. bibl. Hebr. III. f.*)

GERMANICA

HEBRAEIS (*Wagenseil, Buxtorf. alii de Judaeor. ratione Germ. scrib.*)

Ad hunc indicem coronidis loco mentionem facere juvat numismatis (*ap. Brenner. in thesauro num. p.* 190), quod phoenicis volucris ex flammis resurgentis imaginem repraesentat additis hisce literis Graecis: ΜΑΚΕΛΩΣ. Quae quidem vox postquam diu exercuerat viros doctos, qui Graecam illam esse rati alii aliam interpretationem afferebant; Christina Sveciae regina irrisos tandem ab errore deduxit testata vocabulum, etsi Graecis literis scriptum, Svecicum tamen esse, quod excellens sive incomparabilis sonaret.

Haud igitur caremus exemplis, quibus ostendi possit, fuisse olim alienis a sermone literis scriptum. Atque illis addenda erit magna amuletorum pars. Habent enim ea praeter imagines plerumque etiam inscriptiones, quae aut literis constant, et numeris (§. 225), aut signis (§. 276). In literis nobis observanda sunt et genus, et forma (§. 192) et ratio illis utendi (§. 204 *sequ.*). Quod ad genus literarum attinet, Graecas maxime in amuletis usurpa- 177.

tas esse mirum non videbitur. Quamtumvis enim Latinae linguae propagandae studium Romanorum fuerit (*Valer. Maxim.* 2, 2, 2), Cicero tamen (*pro Arch.* 10) ait „Graeca ab omnibus fere populis lecta esse, dum Latina suis finibus exiguis continerentur." Pariter Epiphanius (*haer.* 66. §. 13. *p.* 629) scribit „ab innumeris gentibus Graecas adhiberi literas, licet singulae fere suas ac proprias habeant." Quibus Graecorum literis et Hebraea passim verba scripta sunt, quoniam non Christiani tantum, sed ex ipsis etiam Judaeis plures, maxime Alexandrini (*Scalig. epist.* 13. *p.* 89) Hebraeorum characterum nescii erant. Eadem de causa Origenem in hexaplis literis Graecis usum esse Epiphanius (*de ponder. c.* 7. *Op. T. II. p.* 641) tradit. Atque generalem Graecarum literarum in variis terrae regionibus usum primis praesertim Christianae religionis praeconibus bene et commode evenisse facile intelligitur.


178. Hoc igitur Graecarum literarum usu invalescente factum est, ut in amuletis non Hebraea tantum sed ex aliis etiam linguis petita verba literis illis scriberentur. Potuit etiam fieri, ut superstitio interdum harum literarum usui ansam daret. „Ex gnosticis enim esse" Tertullianus (*praescr. c.* 50) ait „qui ex Graecorum alphabeto novam haeresin componerent, a quibus negaretur veritatem sine istis literis posse reperiri, immo affirmaretur totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis literis esse positam. Propter hanc enim causam Christum dixisse, ego sum *α* et *ω*."

Similia de Marco testantur Irenaeus (*I*, 14. *p.* 67) et Epiphanius (*haer.* 34. *c.* 4. 5. *p.* 238 *sequ.*) ac plura fortassis hac de re edocti essemus, si licuisset gnosticam disputationem, Sahidica dialecto scriptam, inspicere, quo libro nondum edito, sed Oxonii in bibliotheca latente „de literis Graecis" tractari compertum habemus (*Didym. Taurin. lit. Copt. rudim.* 19. *Schmidt de sacerdot. Aeg. p. ult.* 324).

Coptica Graecis literis in amuletis scripta esse, minus mira- 179.
mur, quandoquidem Coptitarum literae maximam partem eadem ipsorum Graecorum sunt. Summam enim in dignoscendis Graecorum literis ignorantiam prodidit Kircherus, qui (*prodrom. Copt. p.* 173. 174) earum formam non agnoscens pro Aegyptiacis illas ipsas nobis venditaret. Atque hic non abs re esse videtur quaedam monere de modo linguam Copticam scribendi. Sunt sane docti inter Germanos viri, qui egregiam hujus linguae cognitionem indefesso studio assecuti solo Copticarum literarum in typographorum officinis defectu prohibentur quo minus lucubrationum suarum quidquam in lucem proferant. At vero Graecis literis majoribus, quae in unaquaque officina ad manus sunt, non nisi septem ex priscis Aegyptiacis characteres addi debent, ut Coptica omnia prelo subjici possint, sumtibus sane exiguis impendendis. Affectata scilicet et quaesita a nobis vetustas est si pro litera A figuram ⲁ, pro B = Ⲃ, pro I = ϊ, pro M = ⲙ (et, quae pejor est, hanc U), pro N = ⲛ, pro O = ⲟ, pro Y = ⲩ, pro

Φ = ψ, cet. pingimus. Graecus enim uterque character, ille vulgaris, hic obsoletus, quo utebantur Graecorum non nulli, vel eo tempore, quo literas suas Aegyptiis obtruderent, vel seriori etiam, quo in Aegypto iste magis corrumperetur. Certe qui aliqua Graecarum literarum notitia gaudet, illas, quae nunc Copticae dicuntur, inter Graecas literas ipsas saepe viderit. Recentioribus igitur illarum obsoletarum in locum substitutis minime verendum erit, ne detrimentum capiat ipsius linguae Copticae ratio atque indoles: immo magis etiam perspicua erunt quae recentioribus nostris literis scripserimus. In Copticis enim typis, quibus vulgo utuntur, complures sunt, quos minus periti facile inter se confundant, unde multa in libris, vel in ipso lexico Coptico, typographorum errata reperimus. Obsoleta illa literae M figura in lapide quodam, adeo incognita Fabretto (*p.* 591. *f.*) erat, ut pro illa literam *u* substitueret et *μ* minoris formae videre sibi persvaderet. Et apud Orellium (*in Sanchon. fragm. p.* 42) quis, quaeso, Copticum ΦΕΝΕϨ in literis, quas substituit, ΦΕΠΕΖ unquam agnoverit? Serio quoque aliquis (*ap. Schow. in charta papyr. p.* 136) sibi persvaserat, Villoisonium scripsisse ΙΟΖ pro Lunae nomine, ΙΟϨ! Quid? quod apud Jablonskium ipsum (*panth. I.* 64) ΠΙ-ΙΟϨ Latinis literis *Pi iotz* explicatur.

180. Sed penitus persvasum mihi est viros doctos minime obsoletis Graecorum characteribus tam pertinaciter inhaesituros fuisse si praeter libros alia Coptitarum monimenta inspexissent, e. g. hoc:


ΤΡΙΑC
ΑΙ ΜΠΕΙΜΑ
ΥΝΩΜΑΝΤΜΑ
ΔΑΩΤϢΕΕΡΕ
ΚΑΡΙΟCCΕΥΗΡΟC
CΜΤΟΝΔΕΜΜΟC
ΟΥΙΖΜΠΕΒΟΤ
ΑΜΕΝΩΘΟΠΟC
ΤΕΠΔΟΕΚΛΑC
ΜΠϢΑΝΔΙΚΛΗ
ΝΟΜΙΑΜΝΗΕΤ
ΛΑΒΤΗΡΟΥΑΜΗΝ
ΕϤΕϢΩΠΕϪΑΠΟ
ΔΙΟΚΛΗΧΖΒ
CΑΡΑΓΕΝΟCΤΑ

181. Lapidis titulus, quem modo publici juris feci, iis monimentis adnumerandus est, quae raro obvia sunt. Ectypon ejus acceptum fero Johanni Martino Augustino Scholtzio, qui itinerariis suis aliisque scriptis criticis orbi erudito satis notus est. Atque ex illo manifesto patet, ne ipsos Coptitas quidem antiquatis illis literis semper usos esse; sed pariter, atque a Graecis factum videmus, formas cum recentioribus permutasse. Antiquam esse hanc inscriptionem Scholzius quidem sibi persvaserat: sed accuratius a me inspectam decimo seculo medio exaratam esse deprehendi. Quamvis enim non omnia, pluribus literis ab initio versuum deficientibus, intelligere liceat; tempus tamen quo positum hoc sepulcrale monimentum minime dubium est. Quae praeterea ex mutilo hoc lapide expiscari ac Latine vertere potui, haec sunt:

v. 1.	. . . ΤΡΙΑC	v. 2.	. . . . ϨΑΙΜΠΕΙΜΑ . . .
	τριας		(ΠΕΣ) ϨΑΙΜΠΕΙΜΑ . . .
	trinitas?		Inscriptio in hoc loco . . .
v. 3.	. . . VΝΩΜΑΝΤΜΑ	v. 4.	. . . ΑΛΩΤϢΕΕΡΕ
	. . . .		. . . αδω ΤϢΕΕΡΕ
	. . . .		. . . ado filia
v. 5.	. . . ΚΑΡΙC ΣΕΥΗΡΟC	v. 6.	. . . CΜΤΟΝ
	(ΜΑ)καριος Σευηρος		(Ε)ΣΜΤΟΝ
	Macarii Severi		Requiescit

ΔΕ ΜΜΟC v. 7. . . . . OY ΙΖ ΜΠΕΒΟΤ
δε ΜΜΟΣ (ΝϨΟ)ΟΥ ιζ ΜΠΕΒΟΤ
autem vobis die 17 mensis

v. 8. . . . ΑΜΕΝΩΘ ΟΠΟ̅C̅ v. 9. . . ΤΕΠϪΟΕΚΑΑC
(Φ)ΑΜΕΝΩΘ ΟΠΟ̅C̅ . . . . ΕΚΑΑΣ
Phamenoth . . . . ad reponendam eam

v. 10. . . ΜΠϢΑ ΝϪΙ ΚΛΗ v. 11. . . ΝΟΜΙΑ ΜΝ ΝΕΤ
. . ΜΠϢΑ ΝϪΙ κλη- (ϱο)νομια (ν) ΜΝ ΝΕΤ-
. . . . usque accipimus he- reditatem cum san-

v. 12. . . . ΑΑΒ ΤΗΡΟΥ ΑΜΗΝ v. 13. ΕϤΕϢΩΠΕ
(ΟΥ)ΑΑΒ ΤΗΡΟΥ ἀμεν. ΕϤΕϢΩΠΕ
ctis omnibus Amen. Factum (anno)

ΑΠΟ v. 14. ΔΙΟΚΛΗ Χ̅Ξ̅Β̅
ἀπο Διοκλη (τιανου) χ̅ξ̅β̅
a Diocletiano 662

v. 15. CΑΡΑΓΕΝΟC Τ̅Λ̅Α̅
Σαρακηνων τ̅λ̅α̅.
Saracenorum 334.

Observes velim in hoc inscriptionis fragmine Graecas voces 182.
Copticis mixtas (§. 631. *sequ.*). Nec Macarii Severi et Saracenorum nomen, nec Graecum vocabulum κληρονομια inflexit Coptites (§. 361). Verba „*requiescit vobis*“ significare „*recessit a vobis*“ videntur, literaeque ΠΟ̅C̅ fortassis ΠϬ̅Ο̅, „Dominus.“ Locutio „hereditas aeterna,“ e veteri testamento נחלתם לעולם (*Ps.* 37, 18.

69, 36. *Esth.* 14, 5.), translata est in novum (*Ep. ad Rom.* 8, 17. *Galat.* 3, 29. *Ephes.* 1, 14. *Hebr.* 1, 14. *Tit.* 3, 7. - - ЕЧЕϢⲰⲠЕ proprie „*fiat*" vertendum erat: sed Coptitas tempore futuro abuti grammatica docet; quare verti potius quasi ΑΣϢⲰⲠЕ scriptum esset, quod sane desiderare videntur quae sequuntur. - - In Saracenorum nomine literam K cum Γ confusam esse (§. 431. 634) vides. Chaldaeus סרקיאין scribit.

183. Quod reliquum est annum Diocletiani (sive martyrum) DCLXII, si cum anno Hegirae CCCXXXIV comparaveris (*v. De Guignes hist. des Hunnes I.* 329), videbis diversas hasce temporis annotationes in eundem annum post Christum natum CMXLVI coincidere. Sane igitur non erat quod Renaudotus (*hist. patriarch. Alexandr. Par.* 1713. *p.* 290) linguae Copticae in Aegypto usum non nisi ad annum DCCCXXXVIII usque demonstrare studeret. Sed operae pretium me facturum esse arbitror, si cum lectoribus communicaverim responsum, quod de illa in lapide nostro gemina temporis annotatione per literas ad me nuper allatas dedit Rehmius, vir scriptis suis historicis inter omnes notus, et nunc quidem Marburgi Cattorum historiarum professor. Cujus ipsa igitur verba haec sunt: „Duplex irrepsit error in librum Gallicum chronologicum (*l'art de vérifier les dates. Par.* 1818), alter ubi (*I.* 126) aeram Diocletianam (sive martyrum), quae re vera a die 29. Aug. 284 post Chr. nat. incipit, perperam ab anno 285 inchoare docetur: alter, ubi (*p.* 148) diem Hegirae primum, qui dies Jovis, sive 15. Jul. 622

p. C. n. fuit (*Ideler Abhandl. der Berl. Acad.* 1812–1813. *hist. philol. Cl. p.* 97), in diem 16. Jul. incidere falso traditur, atque hinc inde omnes et singuli anni Arabici uno quoque die serius, quam quod verum erat, computantur. Verior igitur computatio, qua quaestio illa solvatur „*dies* 17. *mensis Phamenoth anni* 662 *aerae Diocletianae quinam Christianorum aerae vulgaris sit et quinam Hegirae*? hoc pacto erit instituenda: I.) Quoniam aerae Diocletianae primus dies coincidit in diem 29. Aug. anni p. C. n. 284; annum reperies vulgarem, in cujus mense Augusto quidam Diocletianus annus incipiat, si huic numerum addideris 283. Ille igitur annus Diocletianus 662 + 283 = 945 p. C. n. Unde primus dies mensis Thoyth anni 662 Diocletiani = 29. Aug. 945 p. C. n. Sunt vero inde a 1 Thoyth usque ad 17 Phamenoth dies 197; ac totidem a die 29. Aug. 945 usque ad diem 14. Martii 946: quapropter coincidat necesse est *dies* 17 *Phamenoth anni* 662 *Diocletiani* in *diem* 14. *Martii* 946 *p. C. n.* II.) Ad hunc usque diem 14. Martii 946 elapsi erant anni Juliani 945 et dies 73, sive, quod idem est cycli intercalares Juliani 236 cum anno uno et diebus 73. Quibus in cyclis summa dierum est

	236 × 1461 = 344796
additis anni unius diebus	365
additisque diebus	73
efficitur omnium usque ad 14. Martii 946 elapsorum dierum calendarii Juliani summa	345234

a qua summa 345234
si deduxeris dies usque ad initium Hegirae (1 Muharrem anni 1) praeterlapsos, quorum est numerus 227015
residui erunt dies a 1 Muharrem anni 1 Hegirae usque ad diem 14. Martii 946 p. C. n. praeterlapsi . . . . . . 118219.

Quos 118219 dies si diviseris numero dierum cycli intercalaris Arabici, qui est 10631 ($30 \times 354 + 11$ dies intercalares); habebis cyclos 11 diesque 1278, sive annos Arabicos 333 diesque 215. In cyclis nimirum intercalaribus Arabicis 11 dierum summa (11×10631) 116941 = ann. 330.
additis trium annorum Arabicorum, quorum secundus est intercalaris, diebus (3×354 + die intercalari) . . . . . . 1063 = ann. 3.
additisque 215 illis diebus . . . . 215 = „ „ dies 215
efficitur omnium dierum summa . . . 118219 = ann. 333. dies 215

Qui quidem dies 215 anni sunt currentis 334*ti*. Diei autem 215*to* anni 334*ti* respondet dies octavus mensis Schaban. Ergo 8 Schaban 334 = 14 Martii 946. 14 Martii 946 = 17 Phamenoth 662. Quo fit ut 8 Schaban 334 sit 17 Phamenoth 662. Apprime confirmatur haec computatio litera dominicali anni 946 observata. Quae quum D sit, recte inde colligitur, hujus anni diem B, (d. 14 Martii) septimam fuisse feriam decimae hebdomadis integrae, i. e. diem Saturni. Quoniam autem 118219 dies Hegirae inde a d. 1. Muhar-

rem anni 1 usque ad 8. Schaban anni 334 efficiunt hebdomades 16888 et dies 3; primusque calendarii Arabici dies Iovis erat: inde cogitur tertiam hebdomadis diem 16889 Saturni fuisse, adeoque in duplicibus (*Copticae inscriptionis* §. 180) notis chronologicis eundem hebdomadis diem exstare".

Atque ex docta hac explanatione patet, sepulcrali illo filiae Macarii Severi cujusdam titulo ea egregie confirmari quae de chronologicis in libro Franco-Gallico erratis rei periti disputarint. Praeterea et hoc inde perspicitur, minime Coptitas semper obsoletis Graecorum literis, quas praejudicata opinione ducti Copticas appellant, sed recentioribus etiam usos esse, simillimis iis, quibus et Graeci uterentur. Quod idem patefit ex alius lapidis fragmine (*Gau Nub. Alterth. XI. Tab. X. n.* 28), cujus qui obiter tantum literas inscriptas adspexerit, nec Graecis insertas Aegyptiacas ϩ et ϥ observarit, inscriptionem haud dubie Graecam se videre putabit; adeo similes sunt reliquae Graecis. Sed qualecunque ceciderit de illarum literarum usu virorum doctorum judicium equidem haud dubitavi in ipso hoc libro majoribus Graecorum literis pro Copticis uti. Additorum vero septem Aegyptiacorum characterum priscam ex antiquis codicibus (*ap. Georg.*) formam, quam recentiorem ex libris, qui typis exscripti sunt, depromere malui. 184.

Atque septem hos characteres ϣϥϧϩϫϭϯ eo tantum consilio adhibui, ut Coptica verba, quae Graecis literis solis scripta essent, me interprete agnoscerentur. Namque in amuletis ipsis 185.


raro (§. 595. 615. 637.) illae deprehenduntur; nec verisimile est amuletorum auctores eis saepius usos esse, quoniam in Semiticis verbis, literis Graecis scriptis, peregrinus character intermixtus non magis comparet (§. 439. 441). Exstat quidem apud Pignorium gemmae cujusdam haec inscriptio:



in qua Aegyptiacorum characterum quosdam legere sibi visi sunt viri docti. Salmasius enim (*ann. clim.* 574) a laeva incipiens literas ΨϤϢϮ esse arbitratur, quae nihil omnino significant. Nec magis arridet Kircheri (*Oedip. II.* 11. 463) interpretatio, qua ϮϢϤ „*magnum*" significare hariolatur. Copticis enim ΝϢϮ potius est „*magnus.*" Mihi quidem duo, qui medio loco positi sunt, characteres numeris Arabicis antiquioris formae (*v. Molinet tab.* 30. *ad p.* 139) similes esse videntur, quamvis inter Aegyptiorum literas notissima sit Ϥ, et inter ignotas (§. 172. 173) quoque compareat Ϣ. Primum a laeva signum astrologicum esse potest, quum eandem formam inter cetera ejusdem generis signa videre liceat in gemma a Gorlaeo (410) edita, et a Chiffletio (65) ac Montfauconio (*tab.* 156. *sive.* 164) repetita. Sed idem signum in marmore quodam (*mus. Pio Clement. tom. V. tab.* 55) vel interpunctionem denotat inter nomina illi inscripta, vel palmas ab athletis reportatas.

Atque praeter haec nihil ad illustrandam illius gemmae inscriptionem, in qua nisi nomen IAΩ nihil legere mihi licet, adferre possum.

186. Non magis, quam in gemma illa, ex veteribus Aegyptiorum literis, quibus solis Coptica a Graecis scriptis discernuntur, aliquam in Quiriniano monimento video, cujus literae hac forma in marmore incisae sunt:



Interpretationem enim, quam Schow (*in libro de Charta papyr. p.* 58. 60. 135) protulit doctissimusque T. C. Tychsen (*Bibl. der alt. liter. VI.* 18.* *not.*) approbasse videtur, equidem comprobare nequeo. Legunt illi quidem inscriptionem hunc in modum:

ϤΘΟΥΘΗ ΙCΙΑΙ ΘΕΑ ΜΕΓΙCΤΗ ϨΦΑΡCΟC ΑΝΕΘΗΚΕ;

quae verba Latine vertunt: „Phathoythe Isidi, deae maximae, mensam effusionis (!) dedicavit". — Primus inscriptionis character incertus omnino est, nec quidquam de eo divinari potest, quum nomen proprium ab eo incipiat, quod, cum *ϣⲱⲩϣ* compositum, vario modo pronuntiari potuit. Quae etiam in medio hoc charactere conspicitur nota indicio esse videtur majorem in eo vim ac potestatem inesse, quam singulae ac simplicis est literae. Hujus autem, ⲋ, quem ϩ esse putant, figura prorsus differt a solitis

ejusdem literae formis: et linea superinducta satis docet, aut vocem decurtatam, aut numerum in ea latere. Quodsi prius statueris articulum *Tὸ* ea denotatum esse conjicere poteris, quum in vocabulo *μεγιστη* pariter imperfecta sive negligenter picta literae T figura compareat. Quoniam autem magis mihi posterior adridet conjectura; numerum equidem illo charactere significari censeo. Imperfecta enim Graecae literae Z eadem forma 7 in voce *ζησας*, marmori cuidam (*Martorelli theca cal. p.* 530) incisa, observari potest. Cui si lineam imposueris, qua numerus a litera discerni solet, septenarium, quemadmodum in nostra inscriptione ille comparet, habebis. Reliquum est, ut literam, quae primum versum claudit, pariter atque C pro Sigma accipiendam esse moneamus, quantumvis diversa forma videatur. Etenim haud raro S, quasi Latina, Graecis literis intermixta reperitur (*Eckhel prol. p.* 102. *Ficor. p.* 19. *Salmas. ad Solin. p.* 1238. *Corp. inscr. Graec. p.* 24), praesertim ubi voces ea terminantur (§. 222, *et Gor. inscr. Etrur. tab.* 4. *n.* 2), id quod hodieque in Graeca scriptura minuta observatur. Quibus praemonitis equidem, de primo inscriptionis charactere nihil decernens, quippe quo nominis proprii pars prior denotata fuerit, reliqua ita lego: . . . *Θωυθ Ησιδι θεᾳ μεγιστη ζ φαρσος ἀνεθηκε*: Latine „ . . . *thoyth Isidi, deae maximae, septem velamina dedicavit*“. Sed ne quis forte in *το φαρσος*, quia cum plurali numero conjunctum est, offendat, meminerit a Coptitis vocabula Graeca neutiquam inflecti (§. 182).

Facilius etiam reliqua defendi possunt. Qua enim ratione hodie Christianorum multi infantibus nomina imponunt sanctorum; 187.
simili olim non Graecos solum sua a deorum nominibus petiisse (*Diodor.* 20, 58. *Euseb.* 5, 5, *p.* 189. *Plutarch. de orac. defic. p.* 421. *Grot. ad Mart. Capell. p.* 1. *Salmas. ep. ad Menag. p.* 65); sed idem etiam ab Aegyptiis factum esse (§. 365. *Diodor.* 1, 13), Lucianus (*de imagin.* 27. *Tom.* 6. *p.* 55) hisce confirmat verbis: „Aegyptii, quamvis omnium sint superstitiosissimi, divinis tamen nominibus ad satietatem usque utuntur. Plurima enim fere apud illos de coelo sunt" (*conf. Kosegarten de Aegypt. literat. p.* 26). Neque igitur miremur, nomen illud proprium cum *Θωυϑ* compositum esse. Cujus similia e duobus inter se junctis exstiterunt Chenosiris (*ap. Plutarchum*) Serapammon, Heraclammon, Potammon, Psenosiris, Pelammon, Hermammon, Cronammon, Garapammon, (*Pausan* 5, 21, 6), Apammon, Phoebammon, Nilammon, Hermapion, Horapollo (*Fabric. bibl. Gr. I,* 89), Petosiris, Orsanouphis, Barsanouphis, Plusammon, cet. Deinde quod pro *'Ισις* lego *Ησις*, non magis mirum est, quam in aliis lapidibus (*Gruter.* 85, 1. *Gorii inscr. Etrur. I.* 375, *sive Montfauc. diar.* 361. *Gau Nub. Alterth. XII. p.* 24.) reperiri *Εισις*. Quae etiam in nostra inscriptione praedicatur maxima, huic in tabulis publicis (*Kosegart. Bemerk. über den Aegypt. Text eines Papyr. p.* 13) cognomen *της μεγαλης* inditum esse legimus. *To φαρσος* denique *velamen* est (*conf. thesaurum*), quam vocem licet plerique a futuro verbi *φαρω* ducant,

Phavorinus tamen ab ἐρέπω, tego, et Rossius ab Aegyptiaco ΦΕΡϢ, ΦΟΡϢ, ΦΩΡϢ, quod *extendere, expandere* sonat, repetit (*etym. Aeg. p.* 236): cujus viri docti deductione eo libentius utor, quo certius in Aegypto inscriptionem illam exaratam esse patet. Facile enim fieri potuit, ut antiqua illa Graecorum vox φαρσος, qua olim *pars* significabatur (*Herodot.* 1, 180), unde et Latinum vocabulum descendisse haud dubitamus, deinde ob soni affinitatem cum Aegyptiaca coincideret. Jam vero corporis ornamentis et vestimentis deos esse decoratos (*Saubert de sacrific. p.* 648) nemo ignorat; et deabus pepla praesertim dedicata fuisse veteri docent scriptores (*Hom. Il.* 6, 271. *Celsus ap. Origen. VI. p.* 304. *Virgil. Cir.* 21 et 35. *Aen.* 1, 480 *ibique Heyn. Pausan.* 5, 16, 2 *et* 4. 6, 24 *f.* 8, 5, 3. *Gesner. ad Orph. Argon.* 310). Quanti autem pretii ornamentis Isis interdum donata sit ex lapidis titulo patet, quem apud Montfauconium (*II. p.* 325) legas velim. Atque haec dea quum ipsa dixerit „τον ἐμον ΠΕΠΛΟΝ οὐδεις πω θνητος ἀπεκαλυψεν" (*Plutarch. de Is. p.* 354), eademque (sive Luna) a poetis πολυειμων appellata fuerit (*Dionys. hymn. in Apoll. Anal.* 2, *p.* 254); haud sane mirum videbitur, ejus etiam statuas velaminibus indutas fuisse, quae quidem tam nigra (*Cuper. Harpocr. p.* 129), quam varie colorata, Plutarchus (*p.* 382) et Appulejus (*metam. XI. p.* 758 *Oudend.*) memorant. De illis igitur vestimentis Isidi dicatis Quirinianam interpretor inscriptionem.

188. Rariora sunt amuleta Latinis, quam Graecis literis inscripta.

Illorum quidem specimina videbis in gemmis a Gorlaeo (*n.* 434. 435. 437), Chifletio (84. 85. 87) Montfauconio (*ant. II. Tab.* 155. 159) et Sponio (*Recherch. p.* 124. *XIX, sive Misc.* 16. 297) editis, et in lamina aurea apud Lambeccium (*comm. bibl. Caes. L. I. Tab.* 1. *n.* 7), de qua in fine operis disputabimus. Leguntur etiam in amuletis inscriptiones literis Graecis Latinisque mixtis exaratae. Quod ne mireris, reliqua contempleris velim monimenta omnis quidem generis, in quibus videbis primum gemmas, quae nullo modo amuletis adnumerari possunt, mixtis inscriptas literis, in alia NICOΛAC, in alia CΩCOCAE (*Winckelmann catal. p.* 243. 341): deinde numos, non solum Byzantinorum, in quibus CONSTAΩTI CE (pro *καὶ*) ZOH (*Banduri num. imp. II.* 734), et MXΔHL pro Michael (*Num. cimel. Caesar. p.* CXLIX) legitur; sed ejusdem generis aliorum etiam (*Spanheim. I.* 105. *Eckhel. I.* 66) vel ipsorum Romanorum hisce literis inscriptos AYT. KAISAP AYΓVCTOC, et KAISAP SEMNOS AΔPIANOS (*Salmasii inscr. Herod. Attic. p.* 56) cet. Ac lapidum denique titulos (*Ruhc philol. num. c.* 3. §. 12), in quorum uno APO pro *ἀπο* legitur quamvis ceteris omnibus Graeco charactere scriptis (*Broweri ant. Trevir. I.* 63 *f.*), quae eadem litera hac forma P in Latina quadam inscriptione (*ap. Montf. in diario, p.* 5 *et* 446) et in numo inscripto COPIN, pro Corinthus (*Winckelmann p.* 243) versa vice vim ac potestatem habet Graecam. Quantae autem antiquitatis fuerit ista literarum confusio Epicuri caput marmoreum docet ex Herculani

ruinis erutum, quippe cui inscriptum sit ΕΠΙCΟΥΡΟC (*Murr de papyr. Herc. p.* 8). Sed de hac confusione infra (§. 415. 423. 425) plura monebimus.

189. Hebraearum etiam literarum vetustiores formas in lapillis duobus Basilidianis tertio circiter seculo exaratas se vidisse affirmat Montfauconius (*in hexapl. prael. p.* 22). Quae nisi eaedem sint, quas in gemma a Gorlaeo (430. 431) edita, et ab aliis (*Chiffl.* 70. *Montfauc. II. Tab.* 169. *Monatl. Unterred.* 1690 *Mart. ad p.* 280. 1696. *p.* 146. *sequ. Niedeck de adorat. tab. ad p.* 206 *not.*) repetita, conspicimus, nempe חה, dubiae has quidem significationis, illas videre mihi nondum contigit. In pseudonumo aereo idem Montfauconius (*diar. Ital.* 353) tres vidit literas ארר. Nec mirum: in recentioribus enim amuletis (*Reichelt Tab. I. III. V. VI. VII. Molinet Tab.* 31) Hebraeae quoque reperiuntur literae (§. 299). Quin multo antiquiores etiam gemmas Phoeniciis insignitas literis infra adferamus.

190. Forma literarum ut plurimum uncialis est. Rarissimis enim gemmis adnumero eam, quam Cassellis vidi et inferiori loco proferam, connexis inter se literis et quasi currentibus, quas cursivas vocant, inscriptam. Nec spiritus et accentus uncialibus literis adduntur, id quod majorem etiam Graecas inscriptiones interpretandi difficultatem gignit. Accedit quod literarum figurae variant neque ipsis illa semper forma est, qua nunc utimur. Eo autem magis dolemus, palaeographiae studium fere totum jacere, et do-

ctissimos etiam viros, paucos si exceperis, ne legendis quidem illis, quae olim sint scripta, esse pares. Sunt sane multae in Europa academiae, nec desiderari puto in eis seminaria, quae vocantur, philologica. In horum autem nullo, quod sciam, palaeographiae sparguntur semina, quae profecto ars philologis quam maxime est digna adeoque in critica exercenda omnino necessaria. Immo quanta sit in literis legendis virorum vel doctissimorum incuria, haud facile dictu est. Nonne ultra modum a Passerio tentatam esse patientiam nostram dixeris qui (*II. p.* 274. *n.* 140) in gemma legerit HPOVCEA, cui claris literis (*Capell. n.* 96) inscriptum nomen est CEVHPOV, Severi; - - qui (*p.* 276. *n.* 159) in alia infra proferenda, legerit TOC. MVCTO. CEOIKT. H pro ΞVCTOC EIIIKTHTOC! Quas quidem inscriptiones eum nequaquam potuisse intelligere profecto nemo mirabitur. - - Facilius condonandus error est Fabretto (*p.* 541 *in f.*) et Montfauconio (*II. p.* 144), qui Medeam legere sibi visi sunt ubi Minerva scriptum erat, litera scilicet R Etrusca non agnita. Sed severius reprehendendus esse Fiorillus videtur, qui inscriptionem Graecam (§. 551) interpretari adgressus ne aliquam quidem vetustioris literarum formae notitiam haberet.

Atque illo palaeographiae studio neglecto saepe fit, ut parva 191.
vel minutissima literarum variatione aut insveta earum forma impediantur philologi, quo minus scripta, in quae incidant, intelligere possint. Interdum una tantum literula omnem verba in-

telligendi laborem frustrat, ut in hac inscriptione factum esse vidimus

ἜΝΔΟΝ ΠΑΤΡΙΚΗΝ
ϨΟΡΓΙΝ ΦΕΡΩ

quae ex tabula marmorea Venetiis asservata a Pricaeo (*ad Appuleji apolog.* ed. *Paris.* 1635. *p.* 147) primum est publicata, deinde a Gronovio Herodoteis addita, denique a Wesselingio ad Herodotum (*annot. p.* 360) repetita. Tanti eam fecerunt viri docti, ut Creuzerus (*commentat. Herod. p.* 128. 129) aegre ferret omissam eam esse in Schweighaeuseriana Herodoti editione. Ad illum enim locum (2, 131, 132) spectat, quo fertur, „Mycerinum amore filiae captum vim ei intulisse; eoque facto puellam prae dolore vitam finiisse, patrem vero in bove lignea eam sepeliisse"; - - quibus addit: „quando plangunt (*τυπτωνται*) Aegyptii deum illum - - tum bovem hanc in lucem proferunt". Atque in tabula illa marmorea omnia post mortem puellae facta distinctis imaginibus insculpta sunt; nisi quod voce *τυπτωνται* male intellecta tabulae auctor lepide duos in janua stantes Aegyptios pinxit, alterum alteri colaphos infligentem. Nec mirum: eodem enim lapsu et Schmidtius (*de sacerdot. Aeg.*) in alio apud Herodotum loco (2. 61) „verberantur Aegyptii" vertit, et vel doctissimus Plutarchi interpres (*de malign. Herod. p.* 857) in eundem errorem incidit. Sed haud

antiquam esse tabulam et Byzantinis temporibus vix aequalem, tota omnium in eâ rerum delineatio mihi quidem persvadet. Additam imaginibus inscriptionem a primo Pricaei exemplo mutuatus sum, ex quo sua viri illi docti sumserunt non adeo magna diligentia usi. Penultimam enim literam capite aperto perperam pinxerunt. Sed magis primus posterioris versus character interpretibus impedimento fuisse videtur. Est vero ex duabus literis C (σ) et ⅂ (τ) coalitus, non autem ejusdem originis esse videtur, cujus est numeri senarii nota (*Graev. thesaur. XI.* 448. *Corsin. not. Gr.* 24), quamvis haec eadem qua in marmore nostro figura interdum obvia sit (*Murat.* 4. 1920. *f. Nov. op. dipl. I. tab.* 11). Nec sero demum tempore characterem, qui Σ et T simul complecteretur, usurpatum esse, ex Irenaeo patet, qui a Marco haeresiarcha eum in nomine χϱειϛος jam scriptum fuisse significat (*Georgi evang. Joh. praef. p.* 50. 51). Nullo igitur negotio in illa inscriptione legere filiae verba licet: ἐνδὸν (in vacca lignea) πατϱικην στϱογιν (ι pro η) φεϱω.

192. Literas in amuletis inscriptas si singulas consideraveris, in earum forma eandem deprehendes barbariem, quam in orthographiae ratione ac sermonis usu monimenta illa prae se ferunt. Neque enim rectis solummodo pro obliquis lineis (§. 193. 194), et contra obliquis pro rectis (§. 195. 196), artifex saepe usus, sed admodum negligenter etiam in literarum figuris incidendis non nunquam versatus est, quas haud raro ne perfecit quidem (§. 199. 200). Atque

hoc etiam corruptae rationis scribendi indicium observari potest, quod literarum figuris superfluae interdum additae sunt lineae (§. 201), formaeque adeo mutatae, ut vel aliorum prorsus literarum speciem mentirentur (§. 198). Quae quamvis omnia liceat reprehendi; Montfauconio tamen accedere nequeo, qui (*ad hexapl. prael. p.* 22) „Abraxea" inquit „symbola Graece scripta *vix legi* raroque intelligi possunt". Quominus enim a rei peritis ea *legantur* vix quidquam est quod prohibeat. Sed longe majus impedimentum affert quum *orthographiae*, tum *sermonis* etiam legum frequens neglectio. Quapropter in principio hujus commentationis (§. 17) observavi, philologorum magis, quam palaeographorum esse aenigmata ista explicare.

193. Attamen eorum in usum, qui in arte legendi omnino sunt rudes et hebetes, nonnullas literarum formas (omnes enim ad exponendas vix charta sufficeret) inserere secundum Graecarum literarum ordinem placet, quandoquidem a vulgari scriptura illae, tum propter antiquitatem, tum propter deformitatem, plusve minusve aberrant. Plures hisce addendas infra (§. 198) proferemus. Benedictinorum novum opus diplomaticum brevitatis causa hisce literis *Dipl.* laudavi, quibus si adscriptus numerus solus est, tabulas hic denotat in aes incisas. Nomina Eckhelii et Mionetii ubi sola adscripta videbis, tabulas quoque intelligas velim, hujus quidem numero XXXI signatam, illius autem eam, quae in prolegominibus (*p.* 104) exstat. En igitur specimina illa:

α.

Λ. *Perquam frequens.*

ㅈ. *Passer. I.* 193. *III. p.* 165.

Ƞ. *Dipl.* 20. *Oderici diss.* 256.

人. *Mabill.* 435. *Nasarra polygr. prol. tab.* 34. *Capell.* 4.

ʌ. §. 202. *Dipl. T.*2. *p.*149. *Pal. crit. I.* 88. *Beger spicil.* 94. *Chifflet.* 34. *Montf.* 145.

ᗩ. §. 382.

ሐ. *Cimel. Caesar. tab. X.*

ሉ. §. 179. *Pal. cr. II.* 116. 297.

D. §. 205.

β.

B. §. 179. *Dipl.* 11.

B. *Eckhel. Mionet.*

ß. *Passer. II.* 286. *III.* 165. 172.

ß. §. 580. *Dipl.* 10. *Wilde gemm.* 150. *Capell.* 25. 26. *sequ.* 153. 193. 194. 207.

K. §. 198.

R. §. 200. *Passer. I.* 138.

ß. *Dipl.* 10. 11. 29. *Florez Esp. sagrad.* 10. *p.* 168.

Ƃ. *Dipl.* 11. *Placentin. p.* 60.

ƻ. *Kircher arithmol.* 178.

Ь. *Oderici* 221. *Gorii inscr. Etr. I.* 139.

6. *Lupi* 63, 2. *Dipl. II. p.* 157.

P. §. 580.

З. §. 616. *Dipl.* 20. *Pal. cr. I.* 73. *Florez.* 13. *p.* 228.

ʒ. *Mazochi p.* 124.

Ʃ. *Cayl.* 6, 22.

Ǝ. *Raspe n.* 13350.

E. §. 198.

γ.

⅂. *Corp. inscr. Gr. p.* 5.

Γ. §. 204.

Λ. *Corp. inscr. Gr. p.* 39.

P. *Mus. Flor.* 2, 23, 4.

C. *Eckhel. Mionet.*

<. *Mionet. Bianconi de lit. p.* 72. *Corp. inscr. Gr. p.* 26.

δ.

▷. *Pal. cr. I.* 99. *Eckhel.*

◁. *Pal. cr. l. c. Mionet.*

D. *Bianconi.* 44 *et tab.*

ϑ. *Capell.* 171. 193. *Gorl.* 529. *Torremuza l. c. Eckhel. Mionet.*
ϕ. *Torremuza. Eckhel. Mionet.*
⊕. *Eckhel. Mionet. Bianconi. Corp. inscr. Gr. p.* 13.
ϱ. *Dipl.* 11.
σ. *Eckhel. Mionet.*

ι.

ς. §. 179. *Eckhel. Mionet.*
ς. §. 398. *Eckhel. Mionet. Corp. inscr. Gr. p.* 6.

κ.

ϗ. *Bosii Rom. subterr.* 431.
ϵ. *Eckhel. Mionet.*
ϰ. §. 202.
α. *Spon. voy.* 1679. *I.* 425.

λ.

ʌ. §. 536. *Eckhel. Mion. Bianc.*
ϟ. *Corp. inscr. Gr. p.* 13. *Camden Brit. ed. Gibs.* 835. *Bertoli ant. Aquil.* 424.
ν. *Eckhel. V. ad p.* 72.

μ.

ϻ. *Corp. inscr. Gr. p.* 5.

λλ. *Eckhel. Mionet.*
λλ. §. 211. *Gruter.* 851, 2. 874, 2. 900, 9. *Maffei. istor. dipl. p.* 38. *tab.* 1. *v.* 12. *Fabrett.* 441. *Schöpflin. museum.* 79. *Buonarr.* 164. *et praef. p.* 20. 23. 24. *Lupi Sever.* 3. *Montf. diar. It.* 426. *Marmora Pisaur. I.* 68. *n.* 167. *Ruhe phil. num.* 21.
λλ. *Cayl. VI. tab.* 20. *IV. tab.* 96.
⋈. *Marini pap. dipl. tab.* 22. *n.* 138.
⋈. *Hickes. gr. Fr. Theod. p.* 2.
μ. §. 179. *Lupi.* 65. 193. *Visconti icon. Gr. I. tab.* 6.
ϻ. §. 193. 201. *Camd. Brit. p.* 10.
ϻ. §. 201. *f. Ruhe p.* 21.
ϻ. *Cimel. Caes. tab. X.*

ν.

ϰ. §. 179.
H. §. 203.
n. §. 188. *Pal. crit. I.* 458.

ξ.

Ξ. *Chiffl.* 28.
Ξ. *Mus. Pio-Clem. VI. tab.* 22.

et 29. Icon. Gr. I. tab. 15. Mionet.

ϲ. Capell. 194.

Ⲭ. Schlaeg. de num. Alex. 55. Torremuza Cl. 16. n. 6. Mionet.

Ξ. Eckhel. Mionet. Mazochi.

Ξ. Torremuza prol. 44. Capell. 19. 144. 153. al. Spanh. I. 99. Eckhel. Mionet.

Ξ. Capell. 105. Chiffl. 19. 168. Montf. 145.

Σ. Capell. 146. Chiffl. 95. Gorl. 449. Montf. 144. 167. Rasp. 435. 454.

Ʒ. Spanheim I. 99.

Ƶ. Inscr. Etr. I. tab. 5.

Σ. Mionet.

Z. Eckhel. Mionet.

Σ. Mionet.

⚌. §. 200. Cayl. VI. 21.

Ξ. Montf. II. tab. 145.

Ш. Dipl. 11.

×. Eckhel. Mionet.

+. Tab. Borg. Lanzi I. 111. 204.

†. Eckhel. Mionet.

o.

⊙. Pal. crit. I. 296.

⊙. Eckh. Mion.

Φ. Visconti icon. Gr. I. tab. 27. a.

□. §. 194. 252. 254. Capell. 23. 35. 48. Chiffl. 71–74. Spon voy. I. 425. Montf. 145. 150. Visconti icon. Gr. I. tab. 9. 10. 13. 15. p. 147. 158. Mus. Pio-Cl. VI. 22 et 29. Eckhel. Mionet. Bianconi.

⌂. Chiffl. 24.

◇. §. 202. Capell. 22. 207. Passer. II. 286. III. 172. Eckhel. Mus. Veron. 470. Mionet. Bianconi p. 63.

♉. §. 202.

Σ. Passer. I. 193. III. p. 165.

6. Bianconi.

9. Mazochi p. 124.

ꝺ. Dipl. 20. Mazochi p. 124.

∩. §. 382.

D. §. 179.

✻. Dipl. 10. col. 2.

π.

1. *Eckhel. Mionet.*

ρ.

P. *Corp. inscr. Gr. p.* 9. 13.

P. §. 191.

Ρ. *Capell.* 19. 21. 22. 28. 49. 88. 110. 153. 171. 194. *Chiffl.* 35. *Montf.* 145. *Gorl.* 529. *Passer. II.* 286. *III.* 165. 172. *Cayl. VI.* 21. *Wilde gemm.* 150. *Mazochi p.* 124.

ᑭ. *Mazochi. p.* 124.

ᐁ. *Gorl.* 529.

ᐅ. *Corp. inscr. Gr. p.* 5.

D. *Eckhel. Mionet. C. J. G. p.* 47.

Ρ. *Chiffl.* 24. *Capell.* 101.

P. *Eckhel. Mionet.*

ᒥ. *Pal. crit. I.* 110.

σ.

<. *Visconti icon. Gr. I. tab.* 8, 3.

C. *Eckhel. Mionet. Alii.*

ᑕ. §. 194. 200. *Eckhel. Mionet. Lanzi I.* 84. *Montf. II.* 144. 145. 150. 157. 164. 168. *Wilde.* 150. *Chiffl.* 24. 38. 71–74. *Capell.* 22. 23. 182. 193. 210. *Passer. II.* 286. *III.* 172. *Cayl. VI.* 21. *Inscr. Etr. I.* 45. *et tab.* 9. *Spanh. I.* 102. *Visconti icon. Gr. I. tab.* 9. *a.* 35. *a. III.* 5 *et* 14.

F. §. 576.

Σ. *Dipl.* 18. *Raspe.* 236. *Montf. diar.* 356. *Astle tab.* 14. *Schannat vindem.* 228.

Σ. *Eckhel. Mionet.*

Ξ. §. 532. *Eckhel. Mionet.*

ʃ. *Donat ad p.* 201. *tab. f. Ruhe I.* 28. *Torremuza prol.* 47. *Cayl. II.* 25.

Ƹ. *Inscr. Sigea.*

S. §. 186. 222. *Eckhel. Corp. inscr. Gr. p.* 24.

Ƨ. *Eckhel. Mion. Mus. Pio-Clem. II. tab.* 1.

Ɛ. §. 204. *Eckhel. Mionet.*

M. §. 398.

W. *Mionet.*

ƧƧ. *Mionet.*

τ.

ㄱ. *Fabretti* 566. *Pal. crit. I.* 116. *Mus. Pio-Clem. I.* 347.

Γ. *Fabr.* 566. §. 186. *Lupi ad p.* 51 *n.* 3. *et* 115.

⊥. *Mionet.*

ꞁ. *Pal. cr. I. p.* 116 *sequ.*

υ.

Ⲩ. *Murat. I.* 812. *Martorell.* 527.

Y. *Chiffl.* 15.

Ⲕ. *Capell.* 22. *Passer. III.* 172. *Cayl. VI.* 21.

Ч. *Banduri num. II.* 681. 692.

Ɣ. §. 179. *Capell.* 69.

V. *perquam frequens.*

φ.

ɸ. *Capell.* 24. 136. 191. *Montf. II.* 155.

Φ. *Capell.* 171.

ф. *Capell.* 43.

Ψ. *Capell.* 110. *Passer. III.* 172.

Ф. §. 570. *Eckh. Mionet.*

ψ. §. 179. *Eckhel. Visconti icon. Gr. I. tab.* 21.

ⴔ. *Torremuza prol.* 49.

Φ. §. 200. *Dipl.* 10. *Eckh. Mion. Lanzi I.* 216. *Capell.* 90.

ϕ. *Mionet. Corp. Inscr. Gr. p.* 13.

∘|∘. *Torremuza prol.* 49.

+. §. 194. *Eckhel. Mionet. Dipl.* 10. *Lanzi I.* 204. *Rasche V. I.* 1168. *Mem. de l'acad.* 32. *p.* 671.

ǂ. *Eckhel. Mionet.*

χ.

+. §. 401. *Capell.* 182. *Chandl. inscr. II. p.* 76. *Lanzi I.* 204. *Bianconi.*

X. *Torremuza prol.* 49.

Ѵ. *Lanzi I.* 218. *Corp. inscr. Gr. p.* 9 *et* 26.

ψ.

Y. *Passer. III.* 172.

V. *Dipl.* 10. *Torremuza prol.* 50.

Ш. *Bellermann II.* 6.

+. *Hercul. II. tab.* 6. *Lanzi I.* 104.

ω.

ꟺ. *Eckhel. Mionet.*

ɗ. *Torremuza proleg.* 50.
Δ. *Marm. Pisaur.* 66.
Ω. *Dipl.* 10.
ϙ. *Dipl.* 10. *Murat.* 1336.
ϙ. *Eckhel Mionet.*
Ω. *Dipl.* 10.
Ω. *Eckhel. Mionet.*
Ω. *Torrem. prol.* 50. *Cl.* 16. *annul.* 11. *Eckhel. Mionet. Biancon.* 58.
ω. *Eckhel. Mionet.*
Ω. *Eckhel. Mionet.*
Ω. *Visconti icon. Gr. III. tab. I, n.* 7. *Eckhel. Mionet.*
Ω. *Torrem.* 50.
Ω. *Haverc. pron. Gr. I.* 189. *f.*
ω. *Dipl.* 10.
W. *Capell.* 110. 153. *Chiffl.* 40. 76. *Montf.* 148. 159. *Passer. I.* 189. 193. *II.* 286. *III.* 172. *Molinet tab.* 30. *n.* 13. *Cayl. VI.* 21. *Eckhel. prol.* 104.
W. §. 252. *Capell.* 153. 159. 171. *Chiffl.* 14. 95. *Passer. I.* 194. *Gorl.* 529. *Montf. V. tab.* 42.
ω. *Visc. icon. Gr. I. tab.* 9. *a.*
ш. §. 201. 254. *Chiffl.* 41. *Torremuza prol.* 50. *Bellerm. Cayl. VI. Tab.* 20.
ш. *Capell.* 41. *Torrem.* 50. *Bellerm.*
Ψ. *Banduri II.* 676.
ω. *Dipl.* 10.
ω. *Eckhel. Mionet.*

194. Angulata literarum forma, qua saepe a vulgari abhorrent illae palaeographum vix morabitur (*Pal. crit. I.* 296. 301). Quamvis enim Montfauconius (*pal. Gr.* 180), Passerius (*II.* 242) et Bellermannus (*II.* 6) hanc in amuletis mirentur; eadem tamen non solum in aliis gemmis, quae nullo modo ad amuletorum genus referri possunt, obvia est, ut in illa (*ap. Capell.* 23) nomine

IΩVAIANΩC insignita, item in gemma pulcherrima, quae in museo ducis Marlburiensis (*II. n.* 31) adservatur, nomine AEXIOC inscripta, multisque aliis; sed vera etiam amuleta modo angulatis literis constant, modo vulgaribus, id quod duarum in gemmis inscriptionum (*ap. Chiffl.* 24 *et Pignor. Tab. III. n.* 4) collatio haecce docebit:



MIXAHΛ
ΓABPIHΛ
OΥPIHΛ
PAΦAHΛ
ANANAHΛ
ΠPOCOPAIHΛ
ΥABCOH

Quarum si priorem amuletis adnumerari necesse sit; equidem haud video quo jure posteriorem eorum numero eximere liceat. Sed non in gemmis solis, verum etiam in aliis monimentis, maxime in iis quarum materia dura est, ut metallorum et lapidum, angulata illa literarum forma saepenumero conspicitur (*Montf. V.* 42. *Suppl. I.* 54. *Pal. Gr.* 166. 167. *Diar. Ital.* 356. *Scaliger ad Euseb.* 107. *Gruter* 326. 1047. *Corsin. not. Gr.* 61. *Villois. anecd. II.* 161. *Zoega num. Aeg. Tab. I. et IV. Torremuza Sicil. Cl.* 17. *n.* 6. 19. 24. 36. 73. *Gorii inscr. Etr. III.* 327. *Nov. op. dipl. II.* 66. *n. Schlaeger de num. Alex. p.* 58. *et tab. IV. n.* 5. *Mem. de l'acad. V.* 270.

Mus. Flor. II. 20, 1. *Bertoli ant. Aquil.* 339. 2. *Lanzi I.* 207. *Visconti Icon. Gr. I. tab.* 9. 10. 15. *II.* 2. *III.* 6. *Mus. Pio-Clem. VII.* 22. et 29). Ex quibus prae omnibus lapidem adeas velim (*Maffei sigl. Gr. p.* 28. *Zachar. excurs. p.* 208), in cujus copiosissima inscriptione literae Θ, O, et Σ constanter quadrata hac forma ⊟ □ ⊏ exaratae sunt.

195. Rarius inverso modo quae rectae esse debebant lineae a scribentibus vera forma neglecta curvatae sunt, licet in dura materia literas inciderent. Accidit hoc prae aliis literae I; quod non levi legentibus impedimento, quo minus voces inscriptas intelligerent, fuisse, monimenta docent, quae sequuntur: In hac gemma




quam Passerius (*I. Tab.* 190), publicavit, ipse inscriptionem legit IAOMECXANΑΛΩ, quam magis etiam ridicule (*II. p.* 254. *n.* 29)

explicat „Μεσιτης, epitheton Mithrae". Neque Bellermannus, vir sane peritior, verum videre potuit, quum (*III.* 12) non observasset in extremo versu primam nominis *Ιαω* literam lapidis vitio excidisse. Difficultatem angebat, quod H hac forma N, haud quidem insveta (§. 198. 203) comparebat. Quibus omnibus perpensis ΜΕΙΧΑΗΛ pro Michael angeli nomen, quod perfrequens in gemmis (§. 119. 158. 194. 379) obvium est, lego. Iao quidem repetitur, sed discrepante scribendi ratione, quam ipsam Irenaeus jam notaverat (§. 473). Equidem alterum notissimum nomen esse, alterum (*pro Ἰάου* §. 474) „*sana*" vertendum conjicio. Pariter in Hebraeo hoc verbo:



quod in sepulcrali titulo ceteroquin Graeco (*ap. Lup. p.* 177. *sed minus accur. ap. Murat. III.* 1674) comparet, Mem finale, quod quadratum esse solet (*Gudii inscr. praef. app. plag.* ****** *n.* 17) rotundatum est.

196. Aliud curvatae inferiori loco literae I exemplum praebet sigillum quadratum cui haec verba Lupius (*epit. Severae p.* 186) adscripsit: „in hoc epigrammate pudens fateor, nullam omnino me sensum ne remotissimum quidem assequi. Exstant hi characteres, eadem qua exhibentur magnitudine sculpti in sigillo aeneo, quod inventum paucis abhinc annis apud Thermenses Himeraeos - -.



Positum pro operculo fuerat sigillum hoc vasculo fictili pleno numulis aereis, quarti plerumque seculi. Nemo adhuc, quod sciam, tam felix fuit, ut ejus notas assequi, atque interpretari potuerit: neque assequetur puto quisquam, nisi audacter ibi legat, quae scribi fortasse ibi debuere, sed reapse scripta non sunt". Haec ille: fuerunt autem alii, qui explicari posse verba inscripta putarent. Ac primum Valarsius (*delle ant. iscriz. sulla cassa di piombo. Veron.* 1763. *p.* 91), Latinas esse literas ratus, ita eas interpretatur: E C (aji) A (rrii) FI (gulina) E L (ucii) D (extri) FI (gulina). Quae diversorum opificum nomina in uno eodemque sigillo incisa esse, sane mirum videri potest. Nec approbat interpretationem Placentinus (*de sigl. Gr. p.* 72. *Torremuza Cl.* 16. *n. XIII. p.* 208), qui literas pro Graecis accipiens ΕΣΛΑ ΕΛΔΕΙ legit vertitque: „Bona cupis?" In priori igitur versu extremas literas conjungit, ut ex duabus prodeat una Λ: literam quoque L in altero versu Graecam in altero fingit Latinam. Et quid tandem ista in sigillo sibi

vult sententia? Liceat igitur mihi conjecturam illis addere tertiam, qua perspectis literarum formis admodum rudibus et ab imperita artificis manu profectis (id quod nemo negare poterit) earum ductus plus minusve curvatos esse haud curans, secundam in altero versu literam pro Jota habeo, legoque ECΛEI (pro ἐσλη, sive ἐσϑλῃ) EI ΔEI. Intelligenda enim ipsa, cui incisa est, σφραγίς. Atque vere dicitur annulum obsignatorium, quando usus veniat, bonum utensile esse. Ea enim ejus magnitudo est, ut literis obsignandis vix adhiberi protuerit: quapropter ad cellas potius, arcas, vasa, et res alias quascunque, claudendas (*Fabric. bibl. ant. p.* 854) hoc instrumentum usurpatum esse, recte colligimus. „At nunc cibi quoque," inquit Plinius (33, 1), „ac potus annulo vindicantur a rapina". Unde Cleostrata apud Plautum (*Casina.* 2, 1) „obsignate cellas" jubet „referte annulum ad me"; et Tacito (*annal.* 2, 2) teste „irridebantur et Graeci comites ac vilissima utensilium annulo clausa". Exemplum quoque suppeditat Ciceronis (*Epist. XVI.* 26) mater. Quorum quidem sigillorum magna adhuc copia in variis exstat museis (*Muratori antiqu. Ital. III.* 117. *Torremuza Cl.* 16. *p.* 208 *sequ. Montfauc. ant. III.* 228. *Suppl. III. post.* 64. *Diar. Ital.* 141. *Fabretti.* 536. 537. *Gorii inscr. Etrur. I.* 314. *III.* 9. 10. 13. *Ursati mon. Patav.* 171. 236. *f. Winkelmann Herkulan. Entdeck. p.* 45. *Murr Journal z. Kunst-Gesch. II.* 82. *D'orville Sic. p.* 123. *Beger. III.* 423. *Molinet Tab. XI. n.* 2. *Boldetti p.* 506. *Salengrei thesaur. II. post. p.* 994 *et* 1022. *Murat. inscr. IV.*

ad p. 2101. *Cayl. III.* 32. *IV.* 63. 103. *VI.* 98. *Gorl. I.* 210. *Bertoli. ant. Aquil.* 326).

Quod autem quae Romanae L propemodum speciem prae se fert pro I a me est habita, hoc nullo quidem negotio defendi potest. Originem enim traxit forma illa ab eo tempore, quo majoris aequalitatis et pulchritudinis causa literis capitalibus infra supraque tenues ac subtiles lineae addebantur, quas deinde in minuta etiam scriptura scribentes uno calami ductu adjecturi sic ι deformarunt. Documento sunt pandectae Florentinae aliaque scripta antiqua. Majorem etiam mihi fidem conciliare poteram si Buonarruotium (*vas. ant. p.* 54) secutus in hac inscriptione HIPPOLITE HIC POSITA EST Q. V. A. LZZZ ET DIES V. legere voluissem „quae vixit annos LIII. Sed dubia haec est lectio, quum Z etiam pro X (vide Ξ) non nunquam usurpata, ideoque numerus forsitan LXXX fuerit. Pariter transformatam passim videmus literam F, cujus tenuis inferiori loco linea subinde adeo prolongata fuit, ut speciem literae E mentiretur (§. 198). 197.

Atque haec ipsa literarum deformatio impedimentum legentibus adfert longe maximum, quippe qui facillimo lapsu errare possint literis visis, quarum figura omnibus quidem nota videatur; vis autem ac potestas varia et prope singularis haud facile in ea agnoscatur, nisi a viro qui permultarum inscriptionum lectione et consvetudine exercitatus fuerit. In hoc exempli gratia nomine ΛΚΡΑϹΑЄ (*Rasp. n.* 448) plures literae adeo sunt mutatae, ut 198.

pauci ΑΒΡΑCΑΞ lecturi sint: Et quis, quaeso, in illo (*ap. Gor. inscr. Etr. I. praef.* 42) ΑΓΛΟΟΠΟΥΙ artificis *Ἀγαϑοπους* nomen divinabit, nisi persaepe reperiri imperfectas (§. 200) literarum formas didicerit. Quapropter ne ejusmodi literae minus peritis fucum faciant, haud pigebit earum indicem subjungere ad ordinem quidem Graecarum inprimis literarum digestum, sed admixtis etiam formis Latinis, quoniam in utriusque scripturae literis similis saepe transformatio observatur. Cujus indicis ut commodior fiat usus, primo loco literam posui eam, cujus similem figuram mentitae sunt illae, quas secundo loco posui, atque his denique minori interdum charactere, quo facilius a Graecis Latinae discernerentur, adnotavi veram, quam habeant, significationem. Quo quidem modo iis, qui barbaras incriptiones interpretaturi sunt, melius me consuluisse arbitror, quam Benedictinos, in quorum opere veris literis subjectae sunt illae, quae prorsus aliorum speciem prae se ferunt, indeque conquisitu sunt difficillimae. Semper quoque fontes ipsos vel scriptorum locos laudavi, quibus evolutis, num verum viderim, quilibet judicare poterit: quod quamvis viri illi docti, alioquin diligentissimi, facere neglexerint, falsos tamen eos nondum inveni, praeterquam, ubi variatae forsan orthographiae haud memores, alienum interdum literae locum adsignarunt. Utere nunc mecum, si placet, indice qui sequitur:

A.

A pro δ. §. 199. 201. 202. 203. *Bol-* *detti* 398. *n.* 7. 435, 5. *Dipl.* 16. *Beger spicil.* 48. *Banduri II.*

676 *voce σιδηρας. Visconti icon. Gr. I. tab.* 29 *a.* 2. *Corp. inscr. Gr. p.* 364. *n.* 257. *Mazochi* 124.

Λ pro λ. §. 580. *Montf. diar. Ital.* 203. *Chishull. ant. As. app. p.* 3. *Pocock. I. tab.* 55 *f. Donii inscr. tab.* 7. *n.* 2. *Banduri II.* 676. *Leich. carm. sepulcr. ad p.* 86. *Cayl. VI.* 39. *Chiffl. n.* 76. *Biemumi. tab.* 8. *n.* 22. *Nasarra proleg. ad p.* 17 *tab.*

A pro δ. §. 199. 202. 203. *Patin. cenot. Artorii. Act. erudit. Lips.* 1685. *p.* 581. 1690. *p.* 361.

λ pro δ. *Dipl.* 11.

A pro μ. *Eckhel.*

A pro ϱ. *Dipl.* 10.

Δ pro δ. §. 202. *Beger spicil.* 48.

V pro V. §. 202. *Victor. diss. phil. p.* 6. *Aldrette lengu. Cast.* 255. *Florez Esp. sagrad.* 16. *p.* 204. *Nasarra proleg. ad p.* 17 *tab.* 34.

Æ pro αλε. *Spanh. I.* 99.

d pro *ri. Pal. crit. I.* 139.

∂ pro *d. Dipl.* 20.

Δ pro δ. *Torremuza prol. p.* 39.

A pro ϱ. *Mionet.*

α pro κ. §. 193. *Spon. voy. I.* 425.
pro *os. Beger I.* 510.
pro *t. Nasarra prol, post p.* 18.

B.

B pro *e. Dipl.* 20.

B pro ε. *Corp. Inscr. Gr. p,* 13,
pro *r. Dipl.* 20. *Gorii inscr. Etr. I.* 218.

B pro *n. Vita ant. Bencv. II.* 103.

b pro *d. Dipl.* 20. *Nasarra prol. post. p.* 18. *tab.* 38.

B pro *e.* §. 251. *Dipl.* 20.

b pro *d. Nasarra ad p.* 17. *n.* 6.
pro *di. Duellii excerpt. p.* 357.
pro *h. Dipl.* 20. *Nasarra* 17.

b pro *id. Pal. crit. I.* 138.
pro *l. Dipl.* 20.

Γ.

Γ pro λ. *Biancon. de lit.*
pro *l. Ruhe I. p.* 20.
pro *T.* §. 186. *Dipl.* 10. 20. *Pal. crit. I.* 114. *Fabrett.* 566. *Lupi.* 115. *Corsini not. Gr.* 59.

Γ pro *s. Buonarr. praef.* 18. *Lupi*

54. 97. 101. *Boldetti* 429, 8. *Pal. cr.* 114.

pro *T.* *Dipl.* 10. 20. *Pal. crit. I.* 115. 116.

7 pro *Z.* §. 186.

pro *f.* *Pal. cr. I.* 87.

pro *p.* *Pal. cr.* 102.

pro *π.* *Eckhel.*

C.

C pro *γ.* *Dipl.* 10. *Spanh. I.* 102. *Torremuza prol.* 38. *Eckhel. Lanzi I.* 210. *Mionet.*

pro *g.* *Eckhel. V ad p.* 72.

pro *E.* §. 200. 222. 427. *Dipl.* 20. *Buonarr.* 52. *Donii inscr. tab.* 7. *n.* 2. *Fabretti* 566. *Corsini not. Gr.* 59. *Montf. in hexapl. pr. p.* 44. *Diar. Ital.* 202. *Boissard V.* 75. *Gorlaeus. II. n.* 294. *Pal. crit. I.* 82.

pro *ω.* *Corsin.* 44.

pro *q.* *Pal. crit. I.* 105. 107.

pro *p.* *Dipl.* 20.

pro *q.* *Nasarra proleg. p.* 16. *Mem. de l'acad.* 18. *p.* 242. *Florez Esp. sagrad.* 13. *p.* 168. *Ruinart, ad Gregor. Tur.* 1389.

pro *t.* *Buonarr. pr. p.* 21.

< pro *l.* *Lupi tab. ad p.* 155.

pro *σ.* *Visconti icon. Gr. I. tab.* 8, 3.

pro *E.* *Boldetti* 399, 11. *Icon. Gr. I. tab.* 9. *a.*

pro *σ.* §. 193.

pro *l.* *Eckhel. V. ad p.* 72.

Ɔ pro *d.* *Dipl.* 20. *Pal. crit. I.* 80. 81.

G.

G pro *σ.* *Nessel IV.* 86. 5. *Lambecc. VII.* 156. *Cang. gloss. Gr. tab.* 11.

pro *c.* *Dipl.* 20.

pro *ε.* *Dipl.* 11.

pro *ε.* *Dipl.* 11.

pro *ci.* *Pal. cr. I.* 130.

pro *σ.* (§. 423).

pro *q.* *Aringh. I.* 247.

pro *στ.* §. 191.

Δ.

Δ pro *Δ.* §. 188. 204. 580. *Mus. Flor. IV. tab.* 3. *Cimel. Caes. p.* CXLIX. *Selden. op. II,* 1574. *f. Montf. ad hexapl. prael.* 44. *Jablonsk.*

opusc. I. 145. *Raspe. n.* 448. *Dipl.* 20.
pro λ. *Georg. ev. Joh.* 411.
pro *o*. *Dipl.* 20.

D.

D pro *b*. *Fabretti* 566, 41.
pro *o*. §. 179. *Dipl. II. p.* 167. 241. *et tab.* 20. *Lanzi I.* 204. *Lupi* 186. *Matth. Aegypt. S. C. de bacchan.* 157. *Cang. inf. aevi. num. tab.* 3. *Montf. ant. III. tab.* 136. *f. Cayl. VI.* 21.
pro *p*. *Lanzi I.* 204.
pro *r*. *Lanzi l. c. Corp. inscr. Gr. p.* 47.
pro ρ. *Mionet.*
Ꝺ pro *u*. *Dipl.* 20.
ʚ pro *b*. *Dipl.* 20.
▷ pro ο. *Dipl.* 10.
pro ρ. *Eckhel. C. Inscr. Gr. p.* 5.
ɑ pro *o*. *Dipl.* 20.
pro *v*. *Mem. de l'acad.* 18. *p.* 242.
◁ pro ρ. *Mionet.*
d pro α. *Dipl.* 11.
pro β. *Marini pap. p.* 279. 280. 287. 297.

∂ pro ϑ. *Dipl.* 10.
pro *o*. *Dipl.* 10. 20.

E.

E pro *B*. §. 580. 605.
pro *F*. §. 197. *Dipl.* 20. *Oderici diss.* 143. 144. *Lupi* 147. 186. *Banduri II.* 570.
pro ξ. *Dipl.* 10. *Mus. Pio-Clem. II. tab. b. I.*
pro σ. *Dipl.* 10.
Ǝ pro *B*. §. 525. 585. 605.
ϵ pro ϑ. §. 200. *Chifflet.* 105.
pro σ. *Chifflet.* 69. *Winckelm. mon. n.* 187. *Corsini.* 59. *Inscr. Etr. III.* 324. *Visconti icon. Gr. I. tab.* 27. *a.*
Є pro *g*. *Pal. crit. I.* 84.
∈ pro κ. *Dipl.* 10.
Ɛ pro ξ. *Raspe n.* 448.
pro σ. *Dipl.* 10. *Torremuzza prol.* 47. *Eckhel.*
δ pro *g*. *Dipl.* 20.

F.

F pro *A*. *Dipl. II. p.* 148.
pro *E*. *Dipl.* 10. 20. *Wachter nat. et scr. concord. tab.* 2.

F pro *g*. *Dipl.* 20.

F pro *σ*. §. 576.

ᚦ pro *K*. *Dipl.* 10.

ᚴ pro *K*. *Dipl.* 20.

ᚩ pro *α*. *Torremuzza prol.* 37.

ᚶ pro *e*. *Maffei istor. dipl.* 38. *tab.* 2.

F pro *th*. *Fabretti p.* 199.

Z.

Z pro ξ. §. 197. 199. *Spanh. I.* 99. 383. *Buonarr.* 137. *Torremuza* 175. *f. Corsini not. Gr.* 48. §. 197. *Cuper. Harp.* 210. *Mionet. Eckh.*
pro *σ*. *Wilde num.* 137. *Dipl.* 10. *Eckhel.*

Σ pro *r*. *Dipl.* 10.
pro ζ. *Fabretti* 161.
pro ξ. *Eckhel.*

З pro ξ. *Spanh. I.* 99.
pro *σ*. *Dipl.* 10.

Ʒ pro ξ. *Buonarr.* 52. *Torremuza proleg.* 44.

Ξ pro ξ. *Eckhel. Mionet. Spanheim I.* 99. *Schlaeger num. Alex.* 57. *Beger thesaur. II.* 866. *Bnonarr.* 137. *Zoega num. Aeg. tab.* 16. 17. *Corp. inscr. Gr. p.* 54.
pro *σ*. *Cuper. Harpocr.* 212.

ʅ pro *I*. *Mionet.*

H.

H pro *A*. *Ruhe p.* 3. *Dipl. T.* 2. *p.* 149. *f.*
pro ϑ. §. 200. 203. *Rasp. n.* 454.
pro *e*. §. 202. *Mus. Flor. II. p.* 29.
pro *M*. §. 203. *Eckhel. Mionet. Bild. u. Schr. I.* 171.
pro *N*. §. 199. 203. *Murator. II,* 613, 4. *Banduri II.* 714. *Dipl. Tom.* 2. *p.* 237. *f, tab.* 7. *n. II. tab.* 45. *f. Camden Brit. ed. Gibson.* 64.

Ħ pro *N*. *Dipl.* 11. 20.

Ƕ pro *a*. *Dionys. crypt. Vatic. tab.* 17. *p.* 38.

Ӿ pro *a*. *Dipl.* 20.

Ⱨ pro *n*. *Florez V.* 196. *Terreros lam.* 16. *p.* 121. *Vita ant. Benev. II.* 100. 103. *Martorelli* 530.

Ⱨ pro *a*. *Dipl.* 20. *Dionys. tab.* 17.

Ⱶ pro *πιτ*. *Act. er. Lips. Suppl. IV.* 304.

Ħ pro *M*. *Dipl.* 11.

K pro *K*. *Dipl.* 11. 20.

ħ pro *N.* *Dipl.* 11. *Cimel. Caesar. p.* xxx. *Banduri II.* 714.
ƙ pro *k. Dipl.* 20.
pro *l. Lupi* 154.
ƙ pro *r. Nasarra praef.* 17.

Θ.

ϴ pro *ε. Montf. prael. in hex.* 44.
Θ pro *O.* §. 24. 251. *Boissard. IV.* 74. *Bast epist. ad Boisson.* 149. *Ameilhon inscr. Rosett.* 24. *Boldetti p.* 417, 7. *Corp. inscr. Gr. p.* 49 *et passim.*
Θ pro *d. Dipl.* 20.
pro *o.* §. 251. *Nasarra. pr.* 16. *Boissard IV.* 73. *Gregor. Turon. ed. Ruinard. p.* 1393. *Dipl.* 30. *Eckhel.*
pro *q. Dipl.* 20.

I.

I pro *Γ.* §. 308. *Corp. inscr. Gr. p.* 9.
pro *l. Maffei ist. dipl.* 38. *tab.* 2. *Lupi* 113. *f. Vita ant. Benev. I. app. p.* 23. *Oderici ad p.* 113.
pro *ρ.* §. 200. 207. *Mionet. Gruter* 1021 *f. Chifflet. n.* 76.
I pro *σ.* §. 198.
pro *T. Pal. cr. I.* 74. 114. 116. *sequ. Visconti icon. Rom. tab.* 11. *Lupi.* 154. *not. Buonarr. pr. p.* 18. *Oderici* 143. 144. *Inscr. Etr. I.* 168. *Orsati marm.* 98. *Vita ant. Ben. I. app.* 23. *Maffei ist. dipl.* 38. *tab.* 2.
I pro *σ. Lupi* 102.
Ɪ pro *E.* §. 200. *Dipl.* 35. *Capell. n.* 69.
Ⱶ pro *H.* §. 193.
Ꝭ pro *f. Boldetti* 459.
II pro *E.* §. 199. *Pal. cr. I.* 84. 87. *Lupi* 40. 88. *n.* 3. *Gruter* 741, 9. *Inscr. Etr. I.* 161. 162. 431. *Ursati marm. epist.* 7. *Act. er. Suppl.* 8. *p.* 154.
pro *H. Dipl. II. p.* 197. *Visc. icon. Gr. I. tab.* 29. *b.*
pro *Π. Buonarr.* 43. *Inscr. Etr. I.* 219. *Aringh. II.* 244.
III pro *M.* §. 200. 201.
pro *ω.* §. 200. 201.

K.

K pro *B.* §. 200. 580. *Chifflet. n.* 13.

24. 35. 105. *Raspe* 448. *Bellermann II.* 36. 37.

K pro *f.* §. 202. *Dipl.* 20. *Boldetti* 428. *Pal. crit. I.* 84. 115. *Lupi* 152.

pro *h. Murator.* 1956, 1.

pro *r. Inscr. Etr. I.* 168. *Oderici* 144.

K pro *h.* §. 203. *Mabill. de re dipl.* 354. *Dipl.* 20.

pro *li. Pal. crit. I.* 105. 131.

K pro *H.* §. 203. *Dipl.* 11. *Buonarr. pr.* 23.

Λ.

Λ pro *Λ.* §. 198. 200. 207. *Dipl.* 10. 20. *Tom. II. p.* 152. *Visconti Icon. Gr. II. tab.* 13. *mus. Pio-Clem. VI. tab.* 22. *Museum Flor. IV.* 3 *et* 15. *Montf. II. tab.* 148. *pr. in hexapla p.* 44. *Orsati marm.* 98. *Falcon. inscr. athlet. p.* 57. *Capell. n.* 22. 23. *Ruhe phil. num. I. p.* 1. *Oderici* 231. *Herculan. antiquit. V. pr. Tab.* 4. 5. *Camden Brit. ed. Gibs.* 645. *Pal. crit. I.* 75. *Chifflet.* 105. *Eckhel. prol.* 98. *Capell.* 23. 47. 175. *Mionet.*

Λ pro *γ. Corp. inscr. Gr. p.* 39.

pro *δ.* §. 200. 207. *Buonarr. tab.* 24, 2. *Oderici* 131. *f. Banduri II.* 676. 748. *Georg. evang. Joh.* 411. *Chifflet.* 105.

pro *Γ. Murator. III.* 1311, 1. *Gorii inscr. Etr. III.* 283.

Λ pro *ω. Cayl. I. tab.* 45.

pro *u. Cimel. Caesar. p.* xxx.

λ pro *Λ. Turre mon. vet. Ant.* 384. *Inscr. Etr. I.* 97. *Ruhe I. p.* 2. *Pal. crit. I.* 75. 95. *Maffei ist. dipl.* 38. *tab.* 2.

Ꮑ pro *K. Pal. crit. I.* 95.

Ꮑ pro *Λ. Dipl. T.* 2. *p.* 149. *f.*

pro *γ.* §. 204.

Ꮑ pro *p.* §. 382. *Maffei ist. dipl. p.* 38. *tab.* 2.

ΛE pro *ae. Cayl. II.* 98, 2.

L.

L pro *γ.* §. 576.

pro *c. Dipl.* 20.

pro *I.* §. 197. *Cayl. VII.* 78, 2. *Chiffl.* 35. *Dipl.* 20.

L pro σ. §. 200. *Graev. V.* 661. *Capell. n.* 193.
ʅ pro c. *Masdeu hist. crit. de Esp.* 9. 475.
ℒ pro z. *Dipl.* 20.
pro ϱ. *Dipl.* 11.
ℭ pro γ. *Torremuza proleg.* 38.

M.

M pro *ni. Pal. crit. I.* 130. 131.
pro ϱ. *Torremuza pr. p.* 47.
ʍ pro σ. §. 398. *Eckhel. Mionet. Lanzi I.* 111. 213.
ʌ pro *A. Dipl.* 20. *Oderici* 256.
Ω pro ω. *Dipl.* 20.
ʂ pro α. *Nasarra pr. ad p.* 17. *n.* 3.
ℜ pro α. *Dipl.* 11.

N.

N pro *H.* §. 203. *Dipl. II. p.* 202. *f.*
pro *iu. Pal. cr. I.* 130.
Ν pro *h. Dipl.* 20.
N pro *AI. Niebuhr ad Gau Nub. Alterth. XI. p.* 17. *n.* 32. *Pal. cr. I.* 130.
pro *AL. Gruter.* 337.
H pro *H.* §. 195. 203. 254. 416.
H pro *H. Dipl.* 11.
ʍ pro *vi. Pal. cr. I.* 140.
ʏ pro ϱ. *Eckhel. Mionet.*
n pro *II. Dipl.* 20. *Pal. crit. I.* 456.
pro *r. Dipl.* 20.
pro λ. *Dipl.* 10.
ɲ pro *r.* §. 202.
ɳ pro *o. Marin. Arval. I. p.* 154. *II.* 490.

Ξ.

≡ pro ε. §. 200. *Pal. cr I. p.* 86. 172.
Ξ pro *Z. Bellerm. II.* 6. *Dipl.* 10.
Ξ pro ε. *Dipl.* 10.
ǂ pro *p. Mionet.*

O.

O pro *C. Winckelm. monum. n.* 187.
pro δ. *Montf. diar. It.* 409, *pal. Gr.* 222. *Dipl. Tom. II. p.* 167. *not.* 1.
pro *S.* §. 198. 200. *Viscont. icon. Gr. I. tab.* 33. *II. tab.* 11, 5. *Capell. n.* 48. *Wilde num. tab.* 11. *n.* 65. *Thorlac. opusc. V.* 393. *Gale ad Jambl.* 266. 271. *Bast. lettr. a Boisson.* 149. *Seguini* 15. *Banduri II.* 747. 748.
pro π. *Corsin. not. Gr.* 70.

O pro *q.* §. 200. *Chiffl.* 84. *Gorlaeus. II.* 434. *Oderici* 43. *Boldetti* 398. 1. *Montf. ant. II.* 159.

ʘ pro *q. Bertoli Aquil.* 339. 350.

ʘ pro *q. Id.* 345.

◇ pro *δ. Dipl.* 10. *Montf. diar. It.* 409.

Π.

Π pro *η. Dipl.* 10.

pro *O.* §. 200. *Montf. ant. I. tab.* 89. *n.* 6.

Π pro *λ. Dipl.* 11.

Ρ pro *γ. Mus. Flor. II.* 23. 4.

pro *ρ. Inscr. Etr. tab.* 12. *n.* 5.

Π pro *ω. Wilde num.* 164. *Cimel. Caesar. p.* XXXI. CXVI. CXXXII. *Spanh. ed. prim. p.* 479.

Ο pro *ω. Dipl.* 10.

P Lat.

P pro *d. Dipl. II. p.* 167.

pro *o. Dipl.* 20.

pro *r. Dipl.* 20.

Þ pro *d. Dipl.* 20.

Ᵽ pro *B.* §. 200.

℘ pro *q. Dipl.* 20. *Mem. de l'acad. VI.* 664.

ᖘ pro *τ. Dipl.* 10.

ꝭ pro *h. Nasarra pr. past. p.* 18.

Q.

ϙ pro *ω. Eckhel. Mionet.*

ϙ pro *δ. Dipl.* 10.

ꝗ pro *g. Ruinard ad Greg. Turon. p.* 1389.

ꝰ pro *l. Dipl.* 20.

ꝰ pro *r. Dipl.* 20.

ꝰ pro *ω. Dipl.* 10.

ꝗ pro *g. Dipl.* 20. *Nasarra pr.* 16. *Ruinard ad Greg. Tur. p.* 1389.

ꝗ pro *ϱ. Dipl.* 10.

ꝗ pro *ρ. Dipl.* 11.

q pro *d. Dipl.* 20.

pro *ϱ. Beger thesaur. I.* 283.

pro *p. Salengr. I.* 1042.

pro *t. Nasarra pr.* 16. *n.* 6. *Dipl.* 26, *III*, 3. *Florez* 12. *p.* 376. (*ed.* 2) *Aldrette lengua Castell. p.* 255. *Pal. cr. I.* 116.

q pro *o. Dipl.* 20.

P Gr.

Ρ pro *u. Bianconi.*

pro *δ. Torremuza prol.* 39.

R.

R pro *a*. *Dipl.* 20. *Buonarr.* 17.
pro *B*. §. 200. *Cang. inf. aev. num.* §. 38. *Lupi pr. p.* 20. *Wachter tab.* 2.
pro *F*. *Dipl.* 20.
pro *h*. *Marini Arval. tab.* 166.
pro *K*. *Dipl. T.* 2. *p.* 216.
pro *P*. *Buonarr. pr.* 25. *et pag.* 16. 85.
pro *ρ*. *Torremuza prol.* 46. *Eckhel.* 101.

Ɽ pro *K*. *Nassarra pr.* 166. *Dipl.* 20. *Florez XIII.* 168.

ᴧ pro *A*. *Eckhel. Mionet.*

Σ.

Σ pro *ξ*. §. 200.
ξ pro *ξ*. *Wilde gemm.* 150. *Rasp. n.* 434.
Σ pro *ξ*. *Dipl.* 10.
Σ pro *B*. §. 580.
6 pro *o*. *Dipl.* 10.

S.

S pro *δ*. §. 423. *Boldetti* 233.
pro *d*. *Florez* 13. *p.* 168.
pro *g*. *Lupi* 98. *Dipl.* 20.
S pro *i*. §. 179. *Mionet.*

ϛ pro *ρ*. *Dipl.* 11.

Σ pro *ξ*. *Mionet.*

Ƨ pro *q*. *Eckhel. I. p.* 100.
pro *σ*. *Eckhel.*

T.

T pro *γ*. §. 191. 570. 576. *Eckhel. I.* 123. *Oderici* 264. *Muratori. IV.* 1879.
pro *f*. *Boldetti* 429, 3.
pro *Y*. *Banduri II.* 676.

ℸ pro *σ*. *Dipl.* 11. *Hercul. ant. II.* 6.

† pro *e*. *Pal. crit. I.* 82.
pro *ψ*. *Dipl.* 14. *Pal. crit. II.* 461.
pro *it*. *Pal. crit. I.* 139.
pro *ti*. *Camden Britann.* 570. *Veron. ill. IV. app. p.* 4. *Pal. cr. I.* 140.

+ pro *ξ*. *Eckhel. Mionet.*
pro *φ*. *Dipl.* 10.
pro *χ*. *Dipl.* 10. *Cimel Caesar. p.* xviii. *f. Capell.* 182.

Ͳ pro *γ*. *Dipl.* 11.

Ꞁ pro *π*. *Eckhel.*

7 pro *ζ*. §. 186.

TT pro *π*. *Dipl.* 11.

⊥ pro ζ. *Corp. inscr. Gr. p.* 48.
pro *l. Eckhel. V. ad p.* 72.

U.

U pro μ. §. 179.
pro ω. *Dipl.* 11. *Cayl. I. tab.* 86. *Torremuza prol.* 50.
pro o. *Mus. Flor. IV. tab.* 23.
Ʊ pro o. *Montf. ant. suppl. II,* 48.
Ʊ pro σ. *Dipl.* 11.
Ц pro β. *Montf. pal. Gr.* 222. 336. *Dipl.* 11. *Buonarr.* 149. *not. Salmas. inscr. Herod. p.* 56. *Schow charta papyr. tab.* 1.
pro *N. Dipl. Cam.* 2. *p.* 236.
Ц pro ϰ. *Visc. mus. Pio-Clem. tab. II. b.* 1. *Dipl.* 11.
pro *q. Dipl.* 20.
pro ω. §. 200. *Oderici* 377. *Conf. Cayl.* 6. *tab.* 19. *n.* 5.
Ш pro *M. Boldetti* 483, 7.
Ш pro *M.* §. 179. 222. *Dipl.* 10. *Viscont. icon. Gr. I. tab.* 6. *Torremuza cl.* 16. *annul.* 30 *et proleg.* 43. *Boldetti* 53. *Montf. pal. Gr.* 171. 249. *Corsin. not. Gr.* 399 *et Diss. ad p.* 23. *Dorville Sic.* 123. *B. Leich sepulcr. carm.* 87. *Corp. inscr. Graec.* 336. 363.
N pro *n. Terreros lam.* 17. *p.* 127.
Ʃ pro β. *Dipl.* 11.

V.

V pro υ. *Eckhel. Dipl.* 10. *Lupi* 64. *Torremuza proleg.* 48.
pro ν. *Dipl.* 10.
pro λ. *Torremuza prol.* 42. *Eckhel. Mionet. Winckelm. Herkul. End. Briefe* §. 28. *Cayl. II.* 25. *Bianconi.*
Ɒ pro γ. §. 423.
V pro *l. Dipl.* 20.
V pro *a. Camden Brit.* 613.

W.

W pro ω. §. 193. *Dipl.* 10. *Mionet.*
W pro ω. §. 193.

X Latin.

X pro *V. Dipl. II. p.* 287. 288.

Y.

Y pro *f. Boldetti* 53.
pro *V. Dipl.* 20. *Terreros lam.* 17. *p.* 127. 128.
Y pro s. *Lupi* 98.
Y pro *f. Dipl.* 20.

pro *k.* §. 202.
pro *N.* *Dipl.* 10.
pro *ϱ.* §. 200. *Chifflet. n.* 24.
pro *s.* *Dipl.* 20.
Ꝑ pro *r.* §. 423. *Boldetti* 233.
pro *p.* *Dipl.* 20.
ꝑ pro *f.* *Boldetti* 395.
ꝑ pro *v.* *Buonarruoti p.* 24. *Dipl.* 20.
Ꮋ pro *μ.* *Dipl.* 11.
φ pro *νϱ.* *Pellerin. peupl II. tab.* 45. *n.* 47.

Z Lat.

Z pro *n.* *Dipl.* 20.
pro *s.* *Donii inscr.* 525. *f.* 540. *Gudius* 365. *Dipl.* 20. *et T. II, p.* 261. 264.
Σ pro *s.* §. 193. *Winckelm. cat. p.* 500. *n.* 167.

Φ.

ꝕ pro *ϱ.* *Dipl.* 11.
Φ pro *o.* *Visconti icon. Gr. I. tab.* 27. *a.*
pro *io.* *Pal. crit. I.* 131.
pro *ϑ.* *Torremuza prol.* 41.

X Lat.

X pro *v.* *Dipl.* 20. *et Tom. II. p.* 287.
pro *ξ.* *Mionet.*
X pro *a.* *Dipl.* 20. *Boldetti* 432, 1.
X pro *r.* *Masdeu* 9. 475.
X pro *s.* *Schannat vindem.* 228. *Astle orig. of writing tab.* 14. *Dipl. tab.* 18. *n.* 4.

X Graec.

X pro *ξ.* *Eckhel. Mionet. Torremuza pr.* 44. *et p.* 71. 73.
pro *π.* *Dipl.* 10.
X pro *κ.* *Dipl.* 11.
+ vide *T.*

Ψ.

Ψ pro *π.* §. 179. 200. *Dipl.* 10. *Visconti icon. Gr. I. tab.* 21. *Spohn. voy. I.* 425. *Mionet.*
pro *υ.* *Mionet.*
pro *ω.* *Banduri num. II.* 676. 748.
Y pro *r.* *Dipl.* 10.
pro *φ.* *Dipl.* 10.
Ψ pro *l.* *Eckhel. V. ad p.* 72.
pro *υ.* *Mionet.*
Ψ pro *χ.* *Tab. Borgiana.*

Ω.	ω pro *co.* ***Buonarr. pr.*** **18.**
Ω pro *r.* ***Dipl.*** **20.**	μ pro *im.* ***Cayl. tab.*** **61.**
ʃ pro *r.* ***Camden*** **9.**	W pro *σ.* ***Torremuza prol.*** **47.** ***Mion.***
ω pro *a.* ***Dipl.*** **11.**	Ш pro *m.* ***Boldetti*** **58, 4.**

199. Jam vero utriusque indicis conficiendi laborem neque inutilem, neque ingratum imperitis fore equidem arbitror, quippe qui tot tantosque in legendis insvetis illis literarum formis deprehenderim errores a celeberrimis etiam philologis commissos. Quorum exempla quamvis sint multa (§. 190. 551), hoc tamen loco pauca tantum ad fidem mihi faciendam adferam. Nemo sane dubitabit, quin Muratorius rerum antiquarum fuerit peritus: attamen literae M forma haec λλ adeo ignota ipsi erat, ut pro geminata A eam haud semel acciperet (*v. Misc. nov. Lips. I.* 475. 476). In contrarium errorem incidisse videtur Montfauconius (*in diar. Ital. p.* 426), ubi *BovMιov* legit pro *Bov*ΛΛ (lege ΛΑ)*ιov*. Muratorio praeterea literae N haec forma H (§. 198. 199) ita imposuit, ut (613, 4) pro PVCNARVM (nempe *pugnarum*) legeret PVCHARUM, indeque nomen feminae proprium fingeret. Ipsam philologiam numismaticam qui summa cum laude edidit Ruheus, Arnstadiensis (*sp.* 1. §. 11. *p.* 54) formam II, quae pro E comparet, a marmorariorum culpa repetit: id quod profecto non fecisset, si ad palaeographiae studium magis incubuisset. Non enim solum illa forma in permultis inscriptionibus reperitur; sed in hoc etiam uno

eodemque lapidis titulo, quem subjicimus, quater et vicies obvia est:

ΛΛΑCΥΛIISIIVE
SIIVFIRINIIΛΛ
IIΛΛORIΛIIΛIIT
IIRNIIΛVRIILI
VSVΛLIIRIΛN
VSSIWIVOCO
IVCIIIT SIBII
CIVIS VIIR VIIRG
IILLIISIISΛΛΛCISII
VIIRINISORORT
RIIBVNI LIICION
ISSIICVDIISIT
ΛLICIIS

Atque hanc inscriptionem quum Martene (*voy. lit. I. p.* 292) explicare se non posse confessus esset; Benedictini (*nov. op. dipl. II.* 197. *n.* 3) audacter quidem legunt, sed perperam pluribus in locis. Equidem quum inscriptio barbara sit sermonis vitia et insvetam orthographiam minime curans ita lego: Macnae (*Magnae*) seue (*suae*) Seufirine memoriae aeternae Aurelius Valerianus siu (*se*) vivo coiuci (*conjugi*) et sibe (*sibi*), civis, ver (*vir*), verg (*virginis*) elleses (*illaesae*) Maci (*Magni*) Severini soror(*i*) trebuni lecionis secudes (*secundae*) Italices (*cae*): intellige *posuit.* - - De literae A forma, in qua transversa linea omittitur, quantumvis illa trita sit, Donatum tamen (*in suppl. thesauri inscr. I.* 40, 4) atque


Ruheum (*p.* 2) dubitare videmus: nec scimus quis malus illum abstulerit error, qui eodem loco (40, 4) pro APRVM *eximiae formae captum*, AGRVM legeret. Ne Maffeius quidem, quamvis tot monimenta vidisset, justam eorum copiam inspexisse videtur, qui (*de sigl. Gr.* 90) negaret literam ξ forma Ι vel Z unquam exaratam esse. Alii figuras, quarum vim ac potestatem perspectas non habebant, prorsus transientes inscriptiones perperam interpretati sunt: cujus ignorantiae exemplum Boldettus praebet, verba (398, 7) ΠΙΕΚΑΛΛΑΝΛΩΝ vertens: *kalendis*, pro eo quod vertere debebat *ante* XV *kal.* Primus enim character literis π et ρ constat, et pariter atque hic ΠΡ loco Graecae vocis προ adhibetur; forma autem Λ, ubi extremo loco conspicitur, Δ legenda est (§. 193. 198. 202. 203). Sed neglectum illud palaeographiae studium clarius non produnt viri ceteroquin doctissimi, quam in illis scriptis, in quibus temere somniant de antiquissimo Runarum usu ex oriente in Scandinaviam ab Odino, vel viro, vel heroe, vel deo (omnino enim, quae narrantur, incerta sunt) translatarum, quamvis nemo adhuc monimentum viderit istis literis inscriptum, quod decimo seculo anterius sit. Atque ut cessent tandem ab anilibus ejusmodi fabellis, rem ulterius olim prosecuturus sum: hoc autem loco monere sufficiat, illas quidem Runas originem traxisse a corruptis Romanorum literis, quas virorum doctorum plurimi omnino ignorant, quasque e Britannia in Scandinaviam transvectas esse utique verisimile fit. Nullam enim Runam adhuc vidimus, cui

forma similis in Latinis inscriptionibus, Latinis literis intermixta, non compareat. Quis enim erit, qui hoc alphabeto conspecto

ᚠ ᚢ ᚦ ✻ ᚱ ᚴ ᚷ ᚼ ᛁ ᛅ ᛋ ᛏ ᛒ ᛚ ᛘ ᛯ

illico non exclamet, istas literas quam simillimas esse Runis! Attamen omnes et singulae in scriptis Latinis comparent, maxime quum scriptura ipsa jam corrupta esset, et Graecae literae Latinis passim immiscerentur (§. 188).

Alia obscurarum literarum causa in eo quaerenda est, quod 200.
vera earum figura non omni ex parte absoluta fuerit (*Pal. crit. I.* 453). Formis enim illis, quas exempli causa proposui, si partes, quae desiderantur, addideris, perfectas habebis pro figura Λ literas A et Δ, pro K angulatam B, nempe ᛕ, pro Ᏸ = B, pro ⵉ et ≡ = E, pro C = Є, pro Є = Θ, pro Π = ⊟, pro II = H, pro III = m vel ш, pro O = Θ vel Q, pro ⩧ = Ξ, pro Π = □, pro I = P, pro Ӷ = F, pro L = ⊏, pro Ψ = Φ, pro ɷ = ω. Imperfectae illae literarum formae permultae in lapidibus obviae sunt, ut in quodam (*ex Act. Palat. IV.* 48) lapidis fragmine R pro B, et Λ pro Δ, in quibus imperfecta *του* Delta figura tanto impedimento fuit sociis academiae, quae olim Mannhemii florebat, ut in ultimo versu vocabulum ΛΟΥϘΒΟΥϹ intelligere non potuerint. En inscriptionis literas ipsas:



Legendae enim, ut nomina propria praetermittam, reliquae voces sunt: KOIOY.. (conjugi, cum qua) BIΞIT (vixit) IN IIAKE AN (*νις cet. διεβ* vel *μενσιβ*) OYC ΔOYΩBOYC. Latina videlicet verba sunt Graecis literis scripta. Aliud exemplum apud Raspeum exstat, qui gemmae (*n.* 454) inscriptionem

HIM

ΣAϤ

inter eas (*in T. II. ind. p.* 14) refert, quae explicari non possint. Solius autem literae H si inferiorem et superiorem partem clausisset (⊟) nullo negotio MIΘPAΞ legisset. Viri docti harum rerum plerumque ignari ne exscribere quidem e monimentis literarum

figuras didicerunt. Gorii perperam gemmas exscribentis negligentiam pluribus locis infra notabo. Quam dubius enim atque incertus hoc negotium ille gesserit, gemmae descriptio testatur, in qua primum (*Inscr. Etrur. I.* 80) legerat: **ACTEPIA ZHCAICACIKAAKC;** deinde (*III.* 141) sane melius: **ACTEPIA ZHCAICACIKAAΩC.** Sed ne sic quidem sententiam intellexit. Qui si didicisset charactere C non Σ literam solam, sed etiam E saepenumero repraesentari, haud dubie illorum verborum hunc perspexisset sensum: *Ἀστερια (nom. pr.) ζησαις ἀει καλως!* Haud enim sumus nescii, quintam alphabeti literam identidem illa forma C olim expressam esse (*Palaeogr. crit. I.* 82). Ita in gemmis (*Raspe.* 802) legitur ANCΘHKЄ; ita in lapidum titulis (*Fabrett.* 566. *Corsini not. Gr. Diss. p.* xxv): BENE MEPCNTI (§. 222) MCSIS — FCCIT, cet. Ita in Graecis etiam marmoribus CTH pro ετη (*Inscr. Etrur. I.* 121); ANCΘHKCN (*Vitae ant. Benev. I. app. p. III.*); ΘVΓATCP (*Bertoli ant. Aquil. p.* 335. *n.* 485); CN IPHNH (*Boldett.* 363) ⊏I⊏ pro εις (*id.* 399); et CΠOIHCAN (*inscr. Etr.* 371): in numis denique AACZANΔPIA (*Spanh. I.* 383). Quid? quod in libris olim prelo subjectis, quorum typi omnibus philologis familiares esse debent, eandem literam, quae ex unciali forma exorta est, videre adhuc licet in syllabis ἐν ([illegible]) περ ([illegible]) περὶ ([illegible]) ει ([illegible]) ευ ([illegible]), in quibus literae lingua ubique pariter est omissa.

Quae quidem imperfecta literarum forma quum in omni monimentorum genere conspiciatur, et toties eadem redeat, veluti in 201.

una eademque inscriptione (*ap. Buonarr. p.* 43) bis II obvia sit pro π; utique inde cogitur, non semper eam mendo scalptoris tribuendam esse, sed depravatae potius vel parum accuratae scribendi rationi, qua obscura fieri scripta necesse sit. Supra (§. 193) vidimus pro Ω scriptum esse ɯ, et m pro M, quae duae literae imperfectae una eademque ancipiti figura III notantur. Prioris imperfectam formam modo (§. 200) exhibuimus: litera M vero iisdem tribus III scripta in marmore apud Gruterum (1013, 7) comparet. Quae eadem in libris etiam Isidori scriptis litera interpretibus, quantumvis doctis, in hac tamen re parum versatis, fucum fecit. Ille enim, quum (*etym. I. c.* 23. §. 1. *Op. III.* 39) „per supinam III literam in notis juris mulierem notari“ dixisset, hi istam literae formam ignorantes numerum esse conjecerunt et tertia litera, C inversa, Cajam notari observarunt. Sed Isidorus generaliter monuerat „mulierem“ litera inversa W (M) significari, quare Romanus quidem Isidori liber scriptus non illam figuram III, sed hanc Ш, inversam nimirum, uncialis formae, M habet. Nec mulierum nomina propria tantum literis inversis notantur, sed appellativa etiam, ut litera Ʃ „carissima“. Qua de re videsis, quae de muliebrem sexum notandi ratione olim (*Palaeogr. crit. I.* 125, *et* 248) observavi.

202. Deformatio literarum ex eo plerumque originem traxisse videtur, quod artifices scalpri cohibendi impotes justos figurae fines transgrederentur. Quod quo clarius pateat, spurcissimae scriptu-

rae specimen subjungo, cujus literae a Capello (49) multo elegantiores redditae sunt, quam in gemma ipsa apparent, quae quidem has exhibet



infra (§. 219) paulo accuratius examinandas. Eadem de causa factum est, ut literae in hasce formas abirent A (scripta Λ) in X, Λ in A, F in E, ⊖ in ⊗, I in L, K in R, ◇ in ◇, Ɛ in F cet. Nec semper imperitiae scalptorum ejusmodi formae imputandae sunt, sed saepe etiam seculo, quo hominibus illae placebant, cujus rei testimonium exhibet scriptura Neo-Gothica adhuc a Germanis usurpata. Ac diu ante hujus usum pulchram esse additionem linearum prorsus superfluarum sibi persvaserunt, ut V scriberent pro V (§. 193), A pro A (§. 198), cet. Qui enim omnem scripturae corruptionem seriori demum tempori adscribunt, parum hi versati in arte sunt palaeographica. Aurea, et linguae, et scripturae Romanae aetas quamvis Augusti temporibus jure tribuatur; exempla tamen utriusque corruptae vel eo imperante passim

exstant. Quod quum de linguae et orthographiae indole infra (§. 356. 383) demonstraturi simus; hoc quidem loco specimen literarum anno Christi primo in marmore quodam incisarum (*ex Vallarsi ant. iscr. cet. Veron.* 1763 *p.* 76) subjungimus:



quo haec continentur verba: AD K(alendas) FHEBRVARIAS. Observes velim praeter formam K pro F, et H pro E a Graecis forsan accepta, truncatam literam K, quae sensim hanc formam ꓘ induit. Minus enim imperfecta haec ꓘ (*ap. Masdeu IX.* 475) obvia est. Perantiquas autem ancipites literarum figuras esse, ex vetustissimo numismate colligi potest, quod (*Journ. de Sav.* 1684. *Jan. ad p.* 31) pecoris typo et Romae nomine signatum est



ita, ut prima litera R speciem potius n minutae prae se ferat.

Istarum literarum si una alterave in scripto aliquo ceteroquin 203.
intellectu plano compareat, haec viros peritos haud sane morabitur: at vero inter plerosque philologos et palaeographos hoc interest, quod illi, ubi verum divinando quidem assequuntur, literae tamen formam quasi scalptoris negligentia corruptam illico corrigi jubent (204. 378. 381. 401. 689); hi autem verum non minus videntes, neque causam ignorantes cur figura quaedam, alius quidem literae speciem mentita, aliam nihilominus exprimat, eam servant. Exemplum literae C, quae valeat E, modo (§. 200) protulimus. Atque longum esset omnes ejusmodi metamorphoseos vicissitudines recensere, nec tantum nobis otii est, ut tot singularum literarum fata per seculorum decursum persequi possimus. Ne tamen hujus rei exemplis prorsus careamus, pauca instar omnium proponere lubet. Figuram H interdum vicem gerere literarum Θ, M, et N, modo vidimus. Cujus permutationis causa in tribus illis singulis haec est. Θ literae circulo in formam quadratam mutato, et omissis deinde in superiori et inferiori parte lineis rectis exstitit tandem H. Literae M media parte primum inferiori loco collocata emanavit H; hujus angulo deinde neglecto facta est H. Literae N transversa linea loco mota primum fit H, angulis acutis in rectos mutatis nascitur H; quam quidem formam in Slavonicam transiisse scripturam Russorum *Nasch* hodieque testatur. Sed etiam quae vera H litera est eam aliquando K pingi diximus. Exemplum praebet vox KΥMNΨS in vetus-

tissimo Prudentii libro scripto (*Mabill. Tab. VI. n.* 2). Etenim primum altera literae H hasta curvatur Ⱶ, deinde omissa linea transversa oritur K vel K. Sed haec exemplorum gratia sufficiant. Nec solum temporis decursu istae formarum permutationes evenire solent (§. 197); verum sunt etiam quae singulari quarundam regionum mori et consvetudini debeantur. Ita Smyrnaeis maxime consveta fuit ambarum linearum, quae inferiores literae Δ angulos constituunt deorsum facta prolongatio; qua ex Δ figuram ⩚ fieri necesse erat, significatione illius literae δ nihilominus permanente. Pluribus igitur exemplis viri doctissimi Welckerus et Raoul-Rochette, qui recte quidem (*notice sur un vase Grec. p.* 8. 9. *Journ. des Sav. Fevr.* 1826), quod NAYOIN scriptum erat, HΔYOINος legerunt, probare potuissent illas ipsas literarum H et Δ formas aliquando in usu fuisse. Aliae permutatarum literarum causae, quum a pronuntiatione pendeant, huc non pertinent.


204. Quod inversae etiam comparent literae hoc interdum scalptorum vel artificum incuriae tribui potest: minime vero hi semper ejus rei culpa tenentur. Inversae autem sunt vel *deorsum* versae, ut Λ pro V (*Murat.* 1311, 1. *Gor. inscr. Etr. III.* 283), Γ pro L (*Ruhe p.* 20), atque Ω litera in nominibus ƱAI (*ap. Capell.* 50) et ΘMAƱΛΣ (*ap. Rasp.* 609): vel *retrorsum* versae, ut Ↄ (*Boissard. III.* 119), Ɑ (*Cayl. VI.* 98, 1), ∋ (§. 212. *Ficoron. p.* 33) aliae. Cave igitur credas non nisi in amuletis istam literarum observari inversionem. In gemma quadam apud Passerium (*I. tab.* 188) nil

nisi possessoris nomen proprium (*conf. Martorelli thec.* 330) Tertullii hoc modo incisum est TERTAAVII pro TERTVAAII, geminata nimirum Graeca litera Λ Latinis immixta, quarum altera, sicut et V deorsum versa. In alia apud Raspeum (*tab.* 24) EAΠIƆ legitur. Quin apud Capellum (218) etiam

ƧA⅂
IVIƆ

pro civitas. Ejusmodi autem literarum inversionem qui illico mendo tribuunt artificum, valde errant. Ex toties enim repetita unius ejusdemque literae inversione mos potius receptus jure colligitur. Exemplo sit litera N sic inversa И (§. 212. *Ruhe p.* 21. *Cayl. IV.* 104, 10), quae adeo frequens erat, ut tandem in minutam II abiret. In una eademque inscriptione (*Murat.* 1856. 7) litera D inversa bis deprehenditur. In alia (*Camden Brit.* 613) litera A, quae quater obvia, semper deorsum versa sic V cernitur. Frequentissima quoque in omni monimentorum genere literae S inversio est (*Rasche IV, I,* 1394. *Nov. op. dipl. tab.* 20. 21. 30), quae quum octies in una eademque inscriptione (*Murat.* 1877, 4) observetur, profecto non incuriae scribentis tribui potest. Immo ex confusione literarum S et Z ea orta esse videtur. Nisi enim hoc statueris vix explanare poteris, quo pacto in eodem nomine (*Mus. Pio-Clem. II. tab. b. I.*) ΓΕΡΑƧΙΣ cum vulgari Sigma ea simul compareat. Illis autem exemplis minime addendi sunt errores virorum doctorum, quos plerumque legendis literis insveta for-

ma praeditis impares esse videmus. Cujus rei certissimo nobis argumento est, quod inscriptiones integras deorsum versas ediderunt. Atque hoc non solum Capello accidit (§. 209); sed illustri etiam Caylo (*VI. tab.* 19. *n.* 5), Bertolio (*ant. Aquil. p.* 339. *n.* 492), Johanni de Vita (*ant. Benev. I. app. p.* 61) et ipsi Winckelmanno (*catal. p.* 442) in exhibendo nomine ΣΟΛΩΝΟΣ. Quid? quod hodieque in Hersfeldae, urbis Hassiae, curia inscriptio videri potest per ignorantiam eorum, qui aedes reparaverunt sic deorsum versa (*relat. Gotting.* 1818. *ad n.* 23. *p.* 4. *ad n.* 83. *et ad n.* 207):



quae quamvis ab initio singulorum versuum mutila sit, si eam in

pristinum situm restitueris, legitur: (*p*)*acem*, *ve*(*r*)*itatem*, *et* (*i*)*v-sticiam diligite*. Digna omnino loco, quo jus dicitur, sententia. Ceterum haud negaverim potuisse fieri, ut literarum in amuletis inversioni nonnunquam superstitio quaedam subesset. Certe in antiquis Persarum libris mali daemonis nomen

NVWIHVHV

literis deorsum versis scriptum Hydeus (*de religione Persarum* c. 9. *pr. p. m.* 962) vidit.

Transpositarum autem literarum exempla sunt CABAΘΩ pro 205.
Σαβαωϑ, modo hoc nomen notissimum, neque aliud forsan verbum illius loco intelligendum sit: porro EICVYC pro *Ιεσους* (§. 22). Sed perperam DOΩNAI pro *Αδωναι* in gemma quadam (*Gorl.* 349. *Chiffl.* 19), quasi literae transpositae essent, huc retulerunt Chiffletius (*p.* 43) et Bellermannus (*III.* 6), quibus ignotum erat, literam A in illam formam D non semel transiisse (*Nov. op. dipl. tab.* 20) et Δ obtusis angulis ipsam hanc formam O induisse (§. 198). -- Interdum certae etiam legi subjectam fuisse literarum transpositionem in gemma videmus (*ap. Gorl.* 412. *Chiffl.* 67. *Montf. tab.* 164) ubi literae

IMX	hoc ordine	2. 1. 3.
HAA		2. 1. 3.

legendae sunt. Quod tamen transpositionis genus non tanti fecisset Chiffletius (*p.* 43), si veterum librariorum aliorumque similes

lusus (§. 220) cognitos habuisset. Quid? quod integros versus in lapidum titulis interdum transpositos esse Corsinus (*de notis Graecorum Diss.* 2. *p. XXII. sequ.*) et ante eum jam Fabrettus (*inscr. p.* 566. *n.* 42) docuerunt.

206. Omissarum denique literarum causae plures sunt; nimirum vel spatii brevitas, vel verae pronuntiationis incuria, vel studium voces ita formandi similiter ut desinant, id quod ingeniose observavit vir doctissimus Thorlacius (*opusc. III.* 22) ad hanc gemmae cujusdam inscriptionem: ΙΑΩ CΑΒΑΩ(ϑ) ΕΛΩΑΙ ΑΔΩΝΑΙ; cui adjungimus aliam a Chiffletio (56) exhibitam ΙΑΩ CΑΒΑΩ. Qua eadem de causa superfluam quoque additam literam interdum reperimus, ut in hoc Alexandri Tralliani (*L. II.*) „ἀλλ' ὁρκίζω σε το ὀνομα το μεγα Ιαωϑ Σαβαωϑ". Sunt tamen in quibus, quamvis metri necessitas absit, nihilominus CΑΒΑΩ legatur teste Bellermanno (*III.* 19), qui vero (*II.* 34) Wildei de gemmis librum (*tab.* 30. *n.* 115) parum accurate inspexisse videtur, quum duplex scribentis mendum in amuleto ibi edito exstare tradat, quorum ne unum quidem animadvertitur.

207. Inscriptionem ipsam nisi videris, (§. 550) vix discernere poteris, cui negligentia in effingendis literis tribuenda sit, utrum ipsi scalptori, an ei, qui exemplum evulgaverit. Documento sit gemma, a Capello (*n.* 73) inter Basilidianas edita, quibus tamen nullo modo adnumerari potest. En ipsam:



Ecquis jam erit qui verba haec interpretari possit? Sunt enim prorsus obscura: sive peccaverit ipsius gemmae scalptor, sive, quae mea est sententia, is cujus ope Capellus in delineandis literis usus fuerit. Ac primum quidem interpreti impedimentum affert scripturae directio. Haud enim, ut assolet, in orbem procedendo haec inscriptio legenda est: sed in versus distincta, ita ut, mulieris figura in tergum reposita, uterque versus sinistrorsum legendus sit, qui, dextrorsum scriptus, hic esset:

ΑΘΗΝΑΙ

ΑΙΑΩΙΟΝ.

Alterum impedimentum ex imperfectis quarundam literarum formis (§. 199. *sequ.*) nascitur. Λ enim, quae ter conspicitur, ne semel quidem Lamda est; sed A vel Δ; et pro ultima I ponenda erat P. Peropportune igitur nobis alia apud eundem Capellum gemma

(*n.* 16) occurrit, eadem imagine, eademque inscriptione praedita, qua inspecta et cum illa comparata jam sic legere licet: ΑΘΗΝΑΙ-ΔΙ ΔΩΡΟΝ. Athenais nomen proprium est (*Gruter* 581, 11. 1127, 7. *Ficoroni gemm.* 58) haud ignobile, quo altera ex duabus Sibyllis Erythraeis audiebat (*Salmas. ad Solin.* 79). - - De literis adhuc incognitis, cujusmodi in monimentis Aegyptiacis leguntur, superiori loco (§. 172. *sequ.*) disputavimus. De iis autem, quae in recentioribus, ut in gemma a Chiffletio (*n.* 46) edita, deprehenduntur non habeo dicere, nisi quod multas, quas alii pro veris literis, alii pro numerorum notis, accepere, signa astrologica esse repererim, de quibus infra (§. 276. *sequ.*) nobis erit agendum.

208. Sufficiant haec de singulis dicta literis. Verba quae iis conjunctis efficiuntur qui intelligere vult ante omnia ad versuum directionem, quae modo dextrorsum, modo sinistrorsum vergit, attendere debet. Sunt quidem, qui in varia hac directione nescio quid mirum reperire sibi videantur; adeoque argumenta etiam de diversarum scripturarum cognatione inde sumi posse credant. Qua de re quid ego sentiam alio jam pridem loco (*Bilder und Schr. I.* 107. 139. 141) professus sum. Sed rei peritiores parvi pendentes frequentem illam versuum directionis mutationem in eandem partem plerumque scripta legunt, in quam literae spectant, e. g. syllabam ΚΕΣ dextrorsum, sinistrorsum autem ΣΞΚ. Nec fore quemquam mihi persvadeo qui AMOR legere velit *Roma*, vel AMOЯ *Amor*. Utique difficilius legendi negotium est in iis scri-

ptis, quae paucis tantum literis constant, quarum figurae, in utram partem eas legeris, eaedem manent. Exemplo sint literae IIIA in numo Liparae insulae sinistrorsum legendae. Literas quidem AΛΦ in numis Tyriorum et Tripolitarum utro versas legeris, nihil refert, quia numerum DXXXI semper eundem efficiunt. Quas easdem literas in numo Caesareae urbis Palaestinae non nisi retrogrado ordine, quum nomen Flavia iis significetur, legere licet. Ceterum caveant sibi legentes, ne una alterave forte litera inversa (§. 212) totam inscriptionem perperam legant.

Non raro exempla etiam, quae in libris editis aeri incisa sunt, nobis imponunt. Neque enim unus idemque inscriptiones exscribendi modus artificibus fuit. Alii gemmam ipsam delinearunt, id quod Gorius (*inscr. Etrur. praef. p.* 28) se fecisse affirmat: alii, ut facilius labor procederet, imaginem cera expressam. Male quidem hi, nisi gemma annuli obsignatorii vicem gesserit, qui tamen usus ab amuletis omnino videtur abfuisse (*Caylus VI. p.* 69). Innumeros haec res peperit errores. Misere deformatae inscriptionis exemplum reperitur apud Capellum, qui gemmae cujusdam (*n.* 157) verba hoc pacto repraesentavit: 209.

ΦIC
NOX
IONX
VIMCVI.

in quibus ita propositis interpreti non satis cauto summam certe

molestiam excitavit. Gemma autem ipsa, Cassellis servata, quam infra interpretaturus sum, inscriptionem omnino aliam, hoc nimirum modo, habet:

ΛΙΩϹΛ
ΙΟΝΧ
ΝΟΥ
ΦΙϹ

Non igitur solum in illo Capelli exemplo inscriptio tota inversa conspicitur, sed versus etiam sinistrorsum delineati sunt. Nec Montfauconius inversam esse inscriptionem vidit; temere enim (*II. Tab.* 151) Capellum secutus (*p.* 361. *f.*) eam legi posse negat.

210. Contrarium nonnulli errorem commiserunt, quum ipsas ex annulis signatoriis gemmas delinearent. Illorum enim conditio ea erat, ut non nisi imago cerae impressa adpareret, gemmam autem annulo inclusam ipsam praeter possessorem nemo conspiceret. Multas inde perperam delineatas imagines apud Capellum videmus, quibus vel doctissimus Gesenius (*de inscr. Phoen. Gr. in Cyrenaica p.* 15), exempla prolaturus scripturae a dextra ad sinistram procedentis, se decipi passus est. Profecto enim imagines equorum una cum eorum nominibus, quas e Capellianis gemmis (41 et 45) excitat, nunquam, ut credere videtur, ad amuletorum genus pertinuerunt; sed in memoriam victoriae ab equis reportatae, quam addita docet palma, annulorum in gemmis, ut assolebat (*Mus. Flor. II. tab.* 11. *et* 20. *Vignol. col. Antonini p.* 320) inci-


sae fuere, quibus cerae impressis non sinistrorsum, sed dextrorsum NORICVS et IΛΑΡΟC, legi necesse est. Nec magis amuleti loco gemma (87) fuit, in qua ille, neglecta litera Φ, legit ΙΙΣΙΙИ pro nomine, quod legere debebat, ΝΙΚΙΙΦ(ορου). Etenim Nicephorus nomen viri proprium erat (*Marm. Oxon. f. p.* 119. *n.* 93. *p.* 109. *n.* 68. *Montf. suppl. V. tab.* 4. *Muratori III.* 1716. *n.* 8. 9. 10), quod Jovis cognomen (*Spanh. I.* 408) reges Syriae assumpserunt (*Hist. de l'acad. Tom.* 29. *p.* 209) deinde permulti etiam alii viri (veluti Nicephorus Gregoras) et nostri etiam annuli signatorii possessor, cujus nomen imagine insuper (§. 522. 523) significatur Mercurii aquilam adferentis. De reliquis, quas vir ille doctus laudat, inscriptionibus ΘΧΙ et ΦΕΡΟΥCΑ quid sentiamus infra suis locis commemorabimus. Haud igitur sine causa supra (§. 22) Capellum notavimus, quippe cujus libri index multos jam decepérit. Tantum enim abest, ut nullas nisi Basilidianas gemmas iste liber contineat, ut harum numerus omnium paucissimus sit, modo quae peculiaris Basilidianorum doctrina fuerit perspectum habeat, qui illas in examen vocare velit. - - Sed alia insuper res in dijudicanda literarum directionis causa observatu digna est. Interdum enim literae non nisi imaginum directionem sequuntur. Ita apud Buonarruotum (*tab.* 29. *fig.* 2) et Fabrettum (*p.* 277) equorum nomina sinistrorsum scripta videmus alia profecto nulla de causa, quam quod equi ipsi sinistrorsum sunt versi. Ita in diversis numis, nomine *Συβαριτων* signatis, (*Mem. de l'acad.* 26.

tab. ad p. 556) scripturae directio variat prout bovis imago sinistrorsum vel dextrorsum versa conspicitur.

211. Ceterum haud est quod dubitemus, non solum a Graecis olim sinistrorsum scriptum esse, id quod tam scriptores (*Pausan.* 5. 25. 5), quam numi (*Lanzi I.* 181) et lapides testantur, quamvis monimenti antiquitas inde minime probetur (*Eckhel. III.* 252); sed Latina etiam reperiri a dextra ad sinistram scripta. Cujus rei quum exempla enumerare longum sit (*Buonarruoti* 60. 210. *Tab.* 29. *n.* 2 *et Fabretti* 277. *Fuchs hist. Mog. II.* 78. *Montfauc. V. tab.* 22. *n.* 2. *Diar. Ital.* 556. *Nov. op. dipl. II.* 628. *Passerii lucern. I,* 25. *II. praef. VI. Olearii numoph. bracteator. p.* 20. *Murat. III,* 1688, 14) paucis afferendis contenti erimus, maxime ex inscriptionum in lapidibus exaratarum genere. Ita apud Molzhemium Lotharingiae oppidum in veteris sacelli aditu lapidi incisa (*I. H. Schmincke ad Eginhart. p.* 198) haec olim legebantur:

IꓤTƎꟼ ƧVMOᗡ

Pari modo exaratus est lapidis titulus, quem hoc loco subjungere placet:



Male legit Lupius (151) in ultimo versu: Annum diem. Nec Muratorius (*IV.* 1860, 10) barbaram hanc inscriptionem intellexit, quae, si quid video, sic legenda erit:

Elia Vincentia, que vixit annus XVI
et mesis II. cum virgini suum
que vixit ann. V diem minus.

Inscriptionis enim auctor dicere volebat: Aeliam Vincentiam eo loco sepultam esse, et vixisse quidem annos XVI et menses II. sed cum marito suo (§. 355) nonnisi annos V minus die uno. Miraberis sane servatam in marmore etiam incorruptam illam (§. 6) Latinae linguae castitatem!

Ad inversa ejusmodi scripta qui attenderant viri docti non 212. nunquam inscriptiones a se non intellectas imprudenter retrorsum legendo interpretari aggressi sunt. Exemplo sit Aringhius qui (*Rom. subt. II.* 123) e vitro antiquo imaginem in aes incisam exhibet viri ac mulieris, qui a Christo coronantur, his quidem verbis adscriptis: LVCIFER VIVAS CVM TVIS FELICITER ZESES SIRTCA. Quae quamvis apertae et notae sint acclamationes istis, qui nominati sunt, factae, Latina illa, Graeca haec; Aringhius tamen „*Lucifer*" et „*Zeses*" (§. 394) per *Christum* et *Jesum* explicare atque hujus astra coronatis illis imaginibus significari contendere maluit, ita ut ex voce SIRTCA, retrorsum ACTRIS lecta, verbum „Astris" (inserto nempe literis Latinis sigmate lunato Graeco) erueret! Ego vero *Sirtca*, ut sit pro *Sirtia*, pronuntiatione cor-

ruptum nomen mulieris, *Lucifer* autem viri esse persvasum habeo. Sirtius certe nomen apud Gruterum legitur; et Luciferi nomen satis notum est viris in historia ecclesiastica versatis. Exstat in aliis etiam monimentis (*Murat. II.* 1153, 10) quemadmodum Luciferae quoque feminae (*Fabretti* 565. *Lupi* 167). Sed paucae etiam literae retro versae tanto impedimento interdum fuerunt viris doctis, ut integram inscriptionem ne legere quidem potuerint. Profecto et Fabrettus (533) et Passerius (*II.* 253. *n.* 19), qui hanc inscriptionem



propter duas literas inversas sinistrorsum lectam nequidquam intelligere laborarunt, nullo negotio *ειη αιωνια*, Latine „*sit aeterna*," vertissent, si dextrorsum eam legissent. Denique monendi esse lectores videntur de literis junctis, vel uno charactere repraesentatis ne frustra in iis semper servatum ordinem requirant. Ɛ (*Begeri Cranae p.* 25), ut hoc exemplo utar, quamvis in eo P literam E praecedat, nihilominus EP*τιων* legendum est: et hoc charactere Ɛ, quem Heninius (*ap. Graev. X.* 783) non intellexit, modo TE, modo ET (*Pal. crit. I. p.* 172. 222) vel in una eademque inscriptione denotatur. Multo etiam minus in illis characteribus, qui monogrammatum nomine noti sunt, literarum ordinem veteres servarunt; quin etiam vel bis interdum literas legendas,

vel literae partem repetendam esse voluerunt. Quod si perspectum Donius (*p.* 541) habuisset, facile in lapide quodam incisum monogramma



legisset ORA PRO ME. P nempe in literae R superiori parte latet.

In amuletis legi etiam sinistrorsum scripta certum est; e. c. 213.
nomen Chnuphis (*Chifflet.* 74. *Capell.* 160. 182). Quo etiam modo non tantum Graeca sola in eis incisa (*Capell.* 89. *Spon misc.* 297) sunt; sed Hebraea quoque Graecis verbis mixta (*Chiffl.* 76). Hebraea mera tum sinistrorsum exarata reperiuntur (*Chiffl.* 30. *Capell.* 33), tum etiam dextrorsum (*Chifflet.* 35): ita ut certi quidquam ex sola versuum directione sumi nequeat, quippe quae nulla lege adstricta fuerit. Memoratu tamen digna amuleta sunt ea, in quibus versuum directio variat. In Iaspide Waldeccensi, quam infra proferemus, omnia dextrorsum inscripta sunt praeter formulam solemnem (§. 581) quae in directionem contrariam vergitur. Ad variantem hanc scripturae directionem qui non attenderunt, ne legere quidem, multo minus intelligere potuerunt quae sic exarata sunt. Ita Raspeus (556) hanc gemmae inscriptionem:

ΜΛΛΙЭ ƆЭΜЭƆ ΛΝΟΧ ƆΙΒΥοΝΧ ΛΊΧ

legit „*Clira Chnoubis Chona Semes Eilam*". Sed pro Chona omnino

legendum erat **Anoch**, quod Ego sonat tam Semitis quam Aegyptiis. Neque has similesque inscriptiones ad genus scribendi *βουστροφηδὸν* referri velim, quum ab iis, qui mixto illo ordine usi sint, non nunquam linguarum indolem spectatam esse videam. Exemplo sit gemma a Sponio (*recherch.* 124. *n.* 24. *sive in misc. erud. ant. p.* 16 *et Montf. II. Tab.* 125) edita, in cujus adversa facie Hori imago: in aversa autem haec legitur inscriptio:



Similem huic gemmam exhibet Montfauconius (*Tab.* 158) in qua uterque versus sic est exaratus:

ƆOИAꟼΩO

AΛΩNC

Ex imagine cera impressa delineatum hoc esse exemplar suspicor. Namquam Graecum nomen dextrorsum, Hebraeum sinistrorsum scribi oportebat, id quod a gemmae auctore apud Sponium revera factum esse modo vidimus. Verborum interpretationem infra tentabimus.

214. Sed ea praesertim in amuletis versuum directio mira videtur, qua verba quaedam, jam exhibita, iterantur retrorsum scripta, ita ut eadem vel dextrorsum, vel sinistrorsum legi possint. Hoc modo solemnia illa verba ABΛANAΘANAABA, de quibus (§. 581. *sequ.*) copiosius disseremus, gemmis saepe sunt incisa. Sed

in vulgaribus etiam scriptis simile quid reperiri aereum sigillum docet (*ap. Gor. in inscr. Etr. III.* 118), in quo exaratum videmus:

ALE. THESE. ESEHT. ELA.

Repetitis variato ordine septem vocalibus quae causa subesse videatur, alio loco (§. 254) exponemus.

Non nunquam columnae instar positas esse literas in ipsis marmoribus videmus (*Reines. p.* 956. *Donati suppl. ad thes. inscr. I.* 153, 2. *Cayl. V.* 117. *Marini Arval.* 238. 635. 829. 830). Atque hunc quoque modum gemmae interdum imitantur (*Chiffl.* 93. *Passer. I. Tab.* 187. 194. *Capell.* 148). Quin etiam in quibusdam earum inscriptionibus legendis ab ima parte incipiendum est, atque hinc sursum progrediendum, e. g. in gemma (*ap. Chiffl.* 10) 215.

Ω

I . A

et in alia (*ap. Capell.* 88):

ΕΥΗΜΕ
ΡΟΥ

Idem in numis observamus, quorum unum Begerus (*I.* 431) affert, in quo

NI
TH

legere jubet THNI. Esse etiam lapidum titulos in quibus integri

versus a nobis ita legi debeant, ut a posteriori incipientes ad superiores progrediamur, alio loco (§. 205) jam monuimus.

216. In nonnullis gemmis, quas infra exhibebimus, literae interdum huc illuc dispersae compareant, ut collectae demum sensum efficiant. Ejusmodi gemmam videre licet inter inscriptiones Etruriae (*I. Tab.* 10. *n.* 1. *et in Mus. Flor. II. tab. II.* 14. *n.* 5). Apparet in ea femina galeata cum alis et navis gubernaculo picta, dextra cornu copiae tenens, sinistra spicam: ita ut imago respondere videatur Fortunae quidem, sed cuinam haud facile est dictu. Fuisse enim permultas haec Plutarchi (*quaest. Rom. p.* 281) verba docent: „Omnium maxime Servius videtur Fortunae vim divinam extulisse, omnibusque eam inscripsisse actionibus. Non enim Fortunae duntaxat *bonae spei* (τυχης ευελπιδος), averruncae, blandae, primigeniae, et virilis, templa condidit; sed et Fortunae propriae (ιδιας, *Genium intelligo*) aedes est, et convertentis, et *bene sperantis* (ευελπιδος) et virginis (παρθενου. *Minervam intelligo*), cet.“ In illa igitur imagine praeter Fortunae insignia spicam ad Spem (cujus nomen adscriptum) refero; galeam autem ad Parthenon. Gorius quidem (p. LXVII) ΔΙΙμητηρ legere maluit: sed in ejusmodi monimentis conjicere licet, forte Ευελπιδης pro Ευελπιδος scriptum fuisse.

217. Ista literarum dispersione facta facile obscurantur scripta. Ita in gemma illa, quam Montfauconius (*II. tab.* 121) ex Maffeii libro, et Causeus (1. *tab.* 63) ediderunt, quamque in pagina, quae sequitur, lectorum ante oculos proposuimus, primam literam E vix

quisquam agnoverit, neque tritum illud (§. 597) εἱς ζευς Σαραπις legere poterit, nisi turbatam, maxime in nomine Σαραπις literarum ordinem probe correxerit, meliusque illas disposuerit.



218. Aliud exemplum haec gemma praebet



quam perperam inter Basilidianas evulgavit Capellus (*n.* 93). Videmus enim Mercurium, qui Bacchum infantem in coelum deportat (*Pausan.* 3, 19, 7. 5, 17, 1. 8, 3, 3. *Apollodor. L.* 3). Ad Dionysiaca mysteria spectare hoc monimentum colligere licet ex verbo MEMENTO ei inscripto, in quo altiorem sensum hic inesse arbitror, quam primo adspectu videri possit (*Cic. Tusc.* 1, 13), perinde atque in Graeco *μεμνησο*, quo Epictetus saepe utitur (*enchir. c.* 6. *ibique D. Snecan.*). Sunt praeterea gemmae, quibus idem Mercurii negotium repraesentatur absque omni inscriptione (*Mus. Flor. I.* 71. *Winckelm. catal. n.* 388. 389. *Rasp. Tab.* 30).

219. Non nunquam interpretem aliud incommodum turbat, literarum nimirum seriem in orbem describendi modus, satis ille quidem antiquus (*Pausan.* 5, 20, 1). Nisi enim literis signum inter-

positum sit, a quo incipiendam esse lectionem intelligamus; dubii saepe haesitemus necesse est. Expressit hanc dubitationem Ausonius (*in lud. sapient.*) versibus:

„Recte olim ineptum Delphicus jussit deus
Quaerentem, quisnam primus sapientum foret,
Ut in orbe tereti nomina eorum incideret.“

Quare haud mirum falsas passim reperiri monimentorum hoc pacto scriptorum interpretationes, veluti numi alicujus, in quo Wildeus (*p.* 196) ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙ ΤΥΤΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑ perperam legit pro ΤΥΤΟΣ ΑΥΓΟΚΡΑτωρ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙσαρ. Ita in alia gemma ab Augustino (*gemm. II.* 34) Maffeio, Montfauconio (*II. tab.* 148), Passerio (*I.* 155) et accuratius denique a Gorio (*Mus. Flor. II.* 78) edita; atque à Raspeo (*n.* 683) descripta incisa imago est leonis, apem vel muscam ore tenentis: in superiori autem parte septem sunt stellae, quibus singulis quaedam vocabula circumcirca adscripta leguntur. Quae quum totidem gyros efficiant vel coronas e literis compositas: haud sane mirum est, omnes virorum doctorum conatus in vocibus illis interpretandis adhuc vanos fuisse. Quoniam enim a qua litera inciperet lectio ignorabant; tam Augustinus (*II. p.* 61), quam Passerius (*II. p.* 186) ne legere quidem recte voces, nedum explicare potuerunt. Non nullas legit quidem melius Macarius (*ap. Chiffl. p.* 17), nec tamen intellexit magis. Neque ipse vocabula interpretari ausim: verum quoniam *septem* stellis adscripta sunt, eis planetarum nomina vel cognomina conti-

neri, lingua aliqua prolata mihi adhuc incognita, conjecerim. Sed illos perperam legisse minori certe negotio demonstrari potest. Edidit enim Capellus (49) gemmam operi quoque Montfauconii (*II. tab.* 161) insertam, in cujus adversa parte Sol quadrigis vectus conspicitur, in aversa autem inscriptio illa superiori loco (§. 202) a me exhibita exstat, cujus extremam partem, quia haud distincte in ora exarata est, omittere coactus eram. Jam vero, quum sex nomina eadem sint, quae stellis illis adposita videmus; omnino liquet, ne unum quidem vocabulum ab interpretibus illis recte fuisse lectum; patetque praeterea summa Passerii negligentia, qui quum hanc etiam gemmam (*II. p.* 272. *n.* 126) describeret, non viderit easdem ea voces contineri, quas alio loco (*II. p.* 186) perperam lectas Graece interpretari ausus erat.

220. Neque silentio hic praetereundum quod saepe observamus variatam scripturae directionem non nunquam ex solis scribarum artificiis vel ingenii lusibus pendere. Exemplum praebet haec, quam Montfauconius (*pal. Gr. p.* 337) edidit, inscriptio:

H
Y
E
Λ
ΥΟΕΘΚΕΥΡΕΜΑ
Λ
Ο
Θ
Η

Hoc nimirum modo eam legas, ut a media litera exorsus sursum progrediaris, deinde ab eadem litera sinistrorsum flectas, postea dextrorsum, denique deorsum. Similia in numis reperies (*Agostin. dial. I. et X. p.* 6. *sive* 282. *Rink de vet. num. pot. c.* 19. §. 10). Aliud librarii artificium nuper vidi, Guelferbytanam bibliothecam perlustrans. In fronte enim codicis, qui annales seculi VIII et IX complectitur, inscripta haec sunt:

ꝺ l c
e
b x i

nempe: *dei hec lex*. Pariter gemmae, quae sequitur, Graeca inscriptio (*vide veteris gemmae in museo Victorio explanat. p.* 12)



hunc in modum concinnanda est: IHCOY CΩCON ΛΕΟΝΤΑ ΔΕCΠΟΤΑ. *Δεσποτα* enim pro *δεσποτην* dictum, neque ad Jesum referendum esse, Byzantinae historiae gnaris persvasum erit. Atque illis exemplis multa, si attineret, alia addi possent (*conf.*

Novum op. dipl. III. Tab. 45. *Treschow tentam. descr. codic. Tab. IV*).

221. Illud insuper interpretibus impedimento esse solet, quod sine ulla verborum distinctione ejusmodi inscriptionum plurimae sunt exaratae. Quae continua literarum series quot et quantos jam pepererit errores legi potest apud philologos (*Paciaud. mon. Pelo-ponn. II.* 77. *Hagenbuch. epist. epigr. p.* (4) *et* 216 *sequ. Cuper. apoth. Hom.* 233. 234. 254. *Relat. Gotting.* 1793. *II.* 767, *alios*), illorumque exempla in hoc ipso libro (§. 374. 558. 559. 563. 567) passim obvia sunt. Nemo profecto unquam legisset apud Ciceronem „*philosophia aqua absumtam diu*", si verba „*philosophia a qua absum tam diu*" divisa fuissent (*Schmieder Anleit. zur Latinit.* 1797. *p.* 185). Atque hoc idem impedimentum viros doctos non nunquam prohibuit quo minus aliquam saltim lucem gemmarum inscriptionibus adferrent. In achate annulari Hesselius (*praef. ad Gudii inscr. pl.* *******) inter Solis et Lunae capita evidentibus literis incisa haec esse refert:


ΕΙΘΜΕΓΑ
CΘCW
ΖΕCΕ
ΛΕΥΚΙ
ΑΝΑΙ.

quorum tamen verborum quod nullum intellexerit causam quaerendam esse arbitror in inepta eorum divisione. Qua correcta equi-

dem lego: ΕΙ Θ(εος) ΜΕΓΑΣ Θ(εος), ΣΩΖΕ ΣΕΛΕΥΚΙΑΝ ΑΙ; atque Latine verto, vel „Es deus“, vel „Quandoquidem deus, magnus deus (es), serva Seleuciam semper“. Seleucis enim, nomen feminae proprium (*Murat.* 1173, 4) efferri Seleucia aeque potuit, atque a Seleucia, urbis nomine, Seleucis regio scribitur. Singula autem litera Θ deum significari (*Marini pap. dipl.* 341. *n.* 1. *Corsin. not. Gr. p.* 28) nulla indiget probatione. *Αι* denique pro *ἀει* non magis mirum est, quam *ἀίδιος* legi pro *ἀειδιος*. Sed saepe *αι* pro *αει* obvium (*Fabrett.* 592. *Corsin. p.* 5). Quod reliquum est comparari dictio illa potest cum apostoli (*ad Rom.* 8, 31) verbis: *Ει Θεος ὕπερ ἡμων, τις καϑ' ἡμον.* ... Qua autem faciliori ratione scite dividi possint verba, quae continua literarum serie scripta sunt, infra (§. 553) docebimus.

Praeter istas legendi difficultates si impedimenta fere omnia 222. concurrunt, veluti sermo a literis alienus et corruptus, insvetaque orthographia et falsa insuper verborum divisio; profecto Oedipo interdum opus est qui scripta nobis interpretetur. Ac neminem fore arbitror, qui quod (§. 558) affirmavi neget, omnino explicatu faciliora esse quae vulgaribus literis, quamvis antiquis, exarata sunt, et quae sermonem ad grammaticae leges compositum, ustitatamque orthographiam servarunt, quam obscura illa monimenta. In quibus legendis quantumvis saepe versati fuerint Boldettus, Muratorius, et in primis Buonarruoti, eorum tamen nullus inscriptionem, quae sequitur, intellexit. Corsinus enim (*not.*

Gr. p. 13) primus verum vidit. Qui quum ipsos literarum ductus exhibere neglexerit, hos equidem a Buonarruotio (*p.* 52) mutuatus hic subjungo:



Verba Latina quidem, sed Graecis literis scripta, haec sunt:

ΓΕΜΕΛΛΟ BENEMERENTI. BIΞIT ANNOC XL KOYN
Gemello benemerenti. Vixit annos, 40 cum
KOZOYTE COYA ANNIC VIIII ZOYΛIA
conjuge sua annis 9 Julia. - - Nomen hoc proprium, quovis modo id pronunciatum fuerit, in alia inscriptione iisdem literis est exaratum (*Murator.* 1238, 10). Observes velim in literarum formis M, quam Copticam vulgus putat, Ξ quae nostrae ζ simillima est, nisi *bizit* pro *bixit* (§. 387) scriptum esse statuere malueris; et literam S Latinam inter Graecas, quia in fine vocis (§. 186) *Annos* est. Notandi quoque numeri sunt Romani inter Graecas literas. Interpunctio denique omnino inepta reperitur.

223. Ad peculiarem amuletis conditionem respicienti quaerendum mihi videbatur, num forsan lateret in eis aliquod cryptographiae genus, praesertim quum idem illud non solum in libris scriptis sed in marmoribus quoque animadvertissem. Certe multa sunt quae primo quidem adspectu alia ratione explanari non posse vi-

deantur. Nonne quibusdam amuletorum inscriptionibus simillima sunt haec

ΕΖΑΘΦΒΥΕϚΑϚΠΒΑΧΠΑΧSϚΘΠΑΝΑΧ +

Attamen leguntur in libro scripto et sic reddita sunt a viro doctissimo, qui illa edidit (*I. M. A. Scholz bibl. kritische Reise p.* 126): *Εγραφη χειρι Κηρυκου διακονου.* Sed menda in exemplum illud irrepsisse apertum est. Reponendum enim pro prima Α et duabus Α episemon ϡ, quod non agnovisse sed cum Ϡ confudisse videtur qui libri subscriptionem exscriberet: deinde pro Latina S restituendum est episemon ϛ. Simillimum enim istud scribendi artificium est ei, quod Judaei ש״בּ-את appellant (*Buxtorf. lex. Chald. p.* 248. 249), nisi quod permutandae Graecae illae literae non duabus sectionibus constant ut Hebraeae, sed tribus. Clavis apud Montfauconium (*pal. Gr.* 336) quum imperfecta sit, meliorem hic trado. Scribitur enim

pro Α — Θ	pro Ι — ϙ	pro Ρ — ϡ
Β — Η	Κ — Π	Σ — Ω
Γ — Ζ	Λ — Ο	Τ — Ψ
Δ — ϛ	Μ — Ξ	Υ — Χ
Ε — Ε	Ν — Ν	Φ — Φ
ϛ — Δ	Ξ — Μ	Χ — Υ
Ζ — Γ	Ο — Λ	Ψ — Τ
Η — Β	Π — Κ	Ω — Σ
Θ — Α	ϙ — Ι	ϡ — Ρ

Videbis tria episemata literis esse inserta, ex his autem non nisi tres E, N, et Φ veram formam retinere, neque cum aliis commutari. Apud Montfauconium e substitutis in verarum locum literis desiderantur I et P, e veris Δ.

224. Atque in aliis etiam monimentis editis nullum cryptographiae genus quod mendis omnino vacaret me videre memini, neque hoc miror, quum qui id exscriberent scribendi rationem ipsi perspectam non haberent. Ita nec Wagenseilius lapidis, qui Ratisbonae est, inscriptionem intellexisse videtur, quum signa incognita, Latinis literis immixta, (*in Sota p.* 1088) „characteres Hebraicos rusticos" esse temere scribat. Est enim inscriptio sic explicanda:

A. D. MDXXX. III D. M. N. OBYT IN

Anno domini MDLXXX. III *die mensis Novembris obiit in*

DO 

deo puer ioan. iacobus kelderer

DIAC. RAT. . . . .

diaconi Ratisbonensis. cet. - - Clavis autem haec est:

akt	blu	cmv
hr	is	dnw
gqz	fpy	eox

Similes quidem claves ex aliorum scriptis (*Jan. a Porta de occult. lit. not. p.* 124. *Breithaupt ars decifr.* 25. *Schott magia IV.* 73) sunt notae, in quibus tamen hanc non reperies. Ordo enim, quo alphabetum in loculis dispergitur, pro arbitrio ejus, qui illo cry-

ptographiae genere utitur, variat, ideoque divinandus ab eo est, qui talia vult legere. Omnino incognita ista scribendi ratio Winckelmanno fuisse videtur, quippe qui in epistola, quam de rebus ex Herculano erutis scripsit, (*op. T.* 2. *p.* 50. §. 16) scripturam similem cum signis Sinicis compararet. Reperitur illa in picturis, quas impostor quidam minus peritis pro antiquis venditabat, hoc modo a Winckelmanno exscripta:



Sed frustra laboramus talia legere, nisi summa cum cura reddita fuerint: atque Winkelmannum hac in re minime accuratum fuisse ex inscriptionibus novimus, quas passim tradidit. Videant quibus illas picturas inspicere contigerit, num forsan in quinto charactere lineola superior addita sit. Quadrato enim duobus punctis munito litera M denotaretur per clavem a Schotto traditam,

a b	c d	e f g
h i	l m	n o p
q r	s t	v x z

modo signo, uno puncto addito; primum locum tribuas, duobus munito secundum; quod hic faciendum esse videtur, quum puncto destitutum ex omnibus nullum compareat. Quo facto jam legitur EMASDE, quod quidem nihili est. Restituta autem in quinto charactere lineola superiori legendum EMAS ME, quibus verbis venditor imperitum luserit emtorem.

CAPVT III.

De numeris mysterio vel superstitione insignibus.

225. Conspiciuntur in amuletis interdum literae, quibus verba nequidquam componere tentaveris. Cui rei quum variae subsint causae, aliae nobis adhuc obscurae, aliae jam sunt perspectae. Perspectum quidem habemus, literis etiam numeros exprimi. Quod quum in aliis scriptis, tum in amuletis etiam (§. 255. 299) observatur, in quibus tamen altior ut plurimum sub numeris sensus latet, de quo ut mox agere costituimus ita nunc quidem moneamus necesse est, interdum numeros versa vice pro literis, quin pro rebus etiam ipsis, a veteribus positos esse, maxime ab iis, quibus Pythagoreorum more sensum abscondere animus erat.

226. Atque hoc loco mentionem facere liceat Martiani Capellae, qui natione Afer dicendi quidem genere popularibus suis Appulejo et Tertulliano fere similis Latina lingua haud pura usus est, eximiam tamen et abundantem doctrinam in fictis Philologiae et Mercurii nuptiis prodidit, quam ego quidem saepe miratus sum. Sed docti hujus viri apud me existimatio sane adaucta est, quum observassem, Aegyptiacae etiam linguae ipsum nequaquam fuisse ignarum. Multi quidem fuerunt, qui ejus librum denuo se edituros et illustraturos promitterent; nemo autem omnium post Hugonem Grotium, qui laborem hunc suscipiens puer annorum XIV

erat, fidem solvit. Qui enim deinde duos tantum priores libros ediderunt, neque novi quidquam adtulerunt, neque ea quae obscuriora sunt intellexerunt. Nec fore credo quemquam, qui reconditum apud Martianum sensum ubique perspiciat, nisi aliquam Copticae (§. 229) linguae notitiam afferat. Quare „multa adhuc restare in ejus scriptis quae Delio notatore indigere videantur“ et Grotius (*in f. dedicat.*) observavit, et Fabricius (*bibl. Lat. III.* 218) repetiit. Saepenumero enim obscuritas consulto ab eo quaesita esse videtur, ita ut merito σκοτεινὸν cognomine appellari possit. Quo etiam factum est ut a philologis totus fere negligeretur, et tanto temporis spatio illorum ne unus quidem exstiterit, qui in interpretando hoc scriptore operam et studium suum collocaret. Difficilimos igitur locos eos, qui disquisitionem nostram spectant, si pro virili parte explicavero, gratiam apud viros eruditos me jam initurum esse confido, siquidem integrum Martiani librum denuo edere, additis variorum atque meis adnotationibus, jam pridem constitui.

Sunt quidem apud Martianum nomina quaedam propria, quae ille claris et distinctis literis minime perscripsit, sed adumbravit tantum quodam cabbalae genere usus, ita ut vera aenigmata proponeret. Missis autem eis, quae nemo non intelligit, ut ab initio libri primi (*p.* 2. *f.*) „reginam Memphiticam obsitam luctu perpetuo *nunquam* dum contenta (non tenta?) sit invenire“, quo loco Ovidium est imitatus (*metam. IX,* 629), et in ejusdem libri primi 227.

35

extremo (*p.* 22) „puerum ad os compresso digito salutari silentium commonentem", qui Harpocrates facile agnoscitur; missis, inquam, his ad librum secundum transeamus ubi (*p.* 25) noster Philologiam virginem inducit deliberantem „conducatne connubium (cum Mercurio)?" Id quod „ex nuptiali congruentia numero conquirit moxque nomen suum Cylleniique vocabulum (sed non quod ei dissonans discrepantia nationum, nec diversi gentium ritus pro locorum causis cultibusque finxere, verum illud quod nascenti ab ipso Jove siderea nuncupatione compactum ac per sola Aegyptiorum commenta vulgatum fallax mortalium curiositas asseverat) in digitos calculumque distribuit". Interjectam explicationem, quae, quum nimis longa sit, sententiam obscurat, uncis inclusi. Utriusque igitur nominis literas virgo in digitos calculumque distribuit (*conf. Salmas. de ann. clim. p.* 54), nempe numeris expressit et cabbalam exercuit. Minime vero in vulgari Mercurii nomine vel cognomine aliquo, sed in Aegyptiaco. „Ex quo", Martianus inquit, „finalem utrinque illam literam sumit, quae numeri primum perfectumque terminum claudit. Dehinc illud, quod in fanis omnibus soliditate cybica (l. cubi ac) dominus adoratur. Literam quoque, quam bivium mortalitatis asserere prudens Samius extimavit in loco proximo summit (sumit), ac sic mille ducenti decem et octo numeri effulserunt." Ex hoc igitur calculo nomen Mercurii Aegyptiacum, et quidem *sidereum*, quia idem ac mensis Aegyptiaci nomen est, eruendum prodit ΘΩΥΘ, quae lite-

rae veram ejus scribendi rationem continent, et numerum etiam conficiunt MCCXVIII. Sed singulas jam explanare studeamus. Utraque enim nominis extrema litera eadem Θ est, „quam", ait, „numeri primum perfectumque terminum claudere". Numerus enim novenarius extremus monadum earum terminum claudit, quum dehinc decades incipiant, sive ut ipse Martianus infra (*L.* VII *de enneade p.* 243) docet, „*primi versus* finem tenet" et paulo post addit „primus igitur versus est a monade usque ad enneadem." Perfecti autem eodem auctore numeri sunt illi, „qui partibus suis pares (*p.* 247), ut ter terna est novem. Enneas (*p.* 243) perfecta est et perfectior dicitur, quoniam ex triade, perfecta forma, multiplicata perficitur". - - Pariter Cornutus (*nat. deor.* 14. *p.* 157. *ap. Galeum*): „perfectus est novenarius, ut qui consistat ex semet ipso natus et videatur participare per quosdam numeros primum numerum propter suam perfectionem". - - Sed majoribus tenebris involuta videtur litera, quae sequitur, Ω. Descripsit eam, *quae sit illud, quod in omnibus* fanis soliditate cubica dominus adoretur. Equidem diu in hoc loco haesi, quem corruptum in voce *quod*, scilicet pro *quo* posita, esse ex eo arbitrabar, quod vocabulum *dominus* primo casu sequeretur. Postquam autem videram (*ap. Grot. in not. ad p.* 25) libros esse scriptos, in quibus legatur, „cubi ac"; sententiam intelligere mihi visus sum. Grotius quidem pro *dominus* legere maluit *domibus*, quia *fanis* praecesserit: sed eo major tautologia esset. Quare nihil mutandum censeo. Par-

ticula enim *ac* saepenumero pro *tanquam* sumitur ab optimis quibusque scriptoribus. Unde nunc persvasum habeo soliditatem illam cubi, quae in fanis tanquam dominus adoretur, aram esse. Omega autem cubum dicit Martianus, quia haec litera numerum octingentesimum exprimit, qui ad monades, ut mox videbimus, reductus, octonarius „omnium *cuborum*"; ut idem scriptor (*L.* VII. *p.* 242) cum Plutarcho (*in quaest. Rom. p.* 288. *et vitae Thesei extremo*) affirmat, „*primus* ac *perfectus* est". Samii sive Pythogorae denique literam Y esse, numerumque CCCC valere, nemo ignorat.

228. Sed pergit Martianus: „quos (numeros MCCXVIII) per novenariam regulam distribuens, minuensque per monades decadibus subrogatas in *tertium* numerum perita restrinxit. Suum (Philologiae) quoque vocabulum per septingentos viginti quatuor numeros explicatum in *quaternarium* duxit". Planus quidem calculus est literarum Φ (500) I (10) Λ (30) Ο (70) Λ (30) Ο (70) Γ (3) I (10) Α (1) nomen ejus constituentium, numerumque DCCXXIV exprimentium: sed quo modo hunc ad *quaternarium*, et illum ad *ternarium* restrinxerit diu me latuit. Novenaria regula Martiano (*L.* VII *de hexade p.* 240) est proportia arithmetica. „Nam arithmeticus" (numerus) inquit, „memoratur idem novenarius. Eodem enim numero superatur a duodecim, quo novenarius numerus superat senarium, id est tribus". Varro (*L. L.* VIII. *p. m.* 133) etiam „numeri antiqui" scribit, „habent *analogiam*, quod omnibus est una *novenaria*

regula". Sed solius analogiae ope ad illum finem nunquam pervenies. Equidem Martianum audiens, qui „monades decadibus subrogandas esse" ait, conjicio, non solum decades sed centurias etiam in monades plus vice simplici resolvendas esse, hoc fere modo: Primum Mercurii Aegyptiacum nomen praebet 1218, cujus numeri partes resolvendae sunt:

1200	in	12	
10	-	1	
8	-	8	
		21	

qui idem numerus iterum resolvendus

20	in	2
1	-	1
		3.

Quo facto illum ipsum habebis ternarium numerum. Pariter in Philologiae nomine numerus

724 =	700	resolvendus in	7
	20	- - - - - - - -	2
	4	- - - - - - - -	4
			13

iterumque numerus 13 = 10 resolvendus in 1

3	- - - - - - - -	3
		4.

Simili igitur modo, quo superiori ad ternarium numerum, hic

ad quaternarium pervenimus. Ita etiam supra litera Ω cubus dicebatur, licet numerum exprimat DCCC, cubumque octonarium contineat centies; sed ad monades numerus reductus semel eum continet. Quibus et Varronis et Martiani locis perspectis miror neque Kaestnerum (*Gesch. d. Mathem. I.* 619) neque Klügelium vel Mollweidem (*Math. p.* 181), ubi de probatione hac novenaria, ut vocant, (Gallis: „la preuve de neuf", Germanis: „die Neuner Probe") agunt, veterum meminisse. Hodie ea quidem, ut numero illo 724 utar, sic instituitur: 7 et 2 et 4 = 13: per *novenariam* probationem $^{13}/_{9} = 1^{4}/_{13}$. Numeri igitur fracti index, quo scilicet cardine res vertitur, est 4, idemque, quem voluit Martianus. Similiter in Mercurii numero $^{1218}/_{9} = 135\,^{3}/_{9}$ numeri fracti index ternarius est.

229. Multo facilius solvitur aenigma, quod precibus Philologiae ad Solem (*L. II. f. p.* 44) continetur his versibus:

> *„Octo et sexcentis numeris cui litera trina*
> *Conformat sacrum nomen".*

Licet enim Latine Sol etiam tribus literis scribatur, iisdem tamen numerus ille nequaquam conficitur. Sed Aegyptiacum Solis nomen, quod haud pluribus literis scribitur: Φ (500) Ρ (100) Η (8) exactum dat numerum DCVIII. Quo patet Grotii hujus loci explicationem, quam diligenti indagatione se invenisse scribit, aenigma solvi posse voce vel ΗΥΣ, vel ΥΗΣ, prorsus rejiciendam esse: licet Grandis (*in diss. philos. et crit. Par.* 1657. *p.* 171) de hac in-

ventione, quam quidem ex Grotii notis tantum compilaverat, admodum gloriatus sit.

Explicatu difficilior est locus (*L.* VII. *p.* 236), quo de Arithmetica sic loquitur: „quae mox ingressa septingentos decem et septem numeros, *complicatis in eos digitis* Jovem salutabunda surrexit. Tum Philosophia, ut Tritonidem propter adstabat, quid numero tali Arithmetica intulisset exquirit. Cui Pallas, proprio, inquit, Jovem nomine salutavit". - - Artem numeros digitis exprimendi, vario modo complicatis, veteribus usitatam fuisse, ipsa docet statua Jani (§. 236). Plura de hac re scire qui cupiat Bedam adeat (*de indigitat. Op. T. I. p.* 127. *et in Graevii thesauro XI.* 1699), Petronium (*Burm. p.* 669), Aventinum (*de abaco*) aliosque, quorum loci a Fabricio (*bibl. Lat. III.* 385) et Pitisco collecti sunt, quibus addas velim non solum Gyraldum (*oper.* 2. 853), sed inprimis etiam tabulas in aere incisas, quas Zornius (*bibl. ant. ad p.* 793) et Pierius (*in hierogl. p.* 384) exhibuerunt. 230.

Sed majoribus tenebris involutum illud nomen Jovis proprium est, quod Pallas ait numero DCCXVII exprimi. Quantumvis enim omnia istius dei nomina et cognomina, quum Graecis tum Romanis usitata, recensueris; nullum tamen erit, quod illo indicio significatum fuisse conjicere liceat. Quapropter equidem primum in Aegyptiacum Φϑας incidebam, quod numen deorum omnium, quos reverebantur, patrem et principem Aegyptii perhibebant (*Jabl. panth. I.* 44. 47. 48. *II.* 169). Nam sola in hoc nomine litera 231.

A cum H commutanda erat: quo facto Φ (500) Θ (9) H (8) Σ (200) exactum illum numerum conficiunt. Atque perfrequens illarum vocalium commutatio est, et eo facilius fieri potuit, quod a Graecis ipsis aliquando *Φϑαι* scriptum esse apud Jablonskium (*in opusc. I.* 381) videmus, a quo perperam correctum illud esse Sylvester de Sacy, vir summus, probe animadvertit (*Te Water ibi p.* 383. *not.*). Sed ad illam scribendi rationem ut confugerem minime necesse erat. Namque si verum est etymon, quod ex Agyptiaca lingua eruit Jablonskius (*opusc. I.* 381), nomen illud cum articulo Φ compositum a ΘΑϢ descendit, quod *„decernere, definire, ordinare, constituere"* significat. Id ipsum autem non solum cum prima vocali scribitur, verum etiam cum tertia ΘΗϢ, quod Jablonskius quoque agnovit, unde ΦΘΗϢ Graecis literis vix aliter scribi potuit quam ΦΘΗΣ. Atque haec ego divinaveram antequam Grotii (*ad p.* 236) interpretationem advertebam, qua hoc aenigmate *τὴν ἀρχὴν* intelligendam esse docet. Duo quidem impedimento esse videbantur quo minus hanc aenigmatis solutionem amplecti liceret: alterum, quod articulus arcessendus esset, ut numerus impleretur; alterum, quod Pallas dixisset, nomen in numero latere *proprium*, minime ergo appellativum. Sed quod *proprium* dicitur nomen Jovis explicari *peculiare* etiam potest, et nulla lege prohibebatur Martianus quominus et articulum suis aenigmatibus comprehenderet. Quibus perpensis nullus jam dubito victas dare manus, praesertim quum reliqua melius cum hac interpre-

tatione cohaereant, quam cum mea, quae documento esse potest, quam difficile sit, conjiciendo non labi. Maxime enim confirmat Grotianam sententiam Orphicum (*αποσπ.* 39. *Gesn. p.* 398. *et in hymn. v.* 7. *p.* 206) illud:

Εστιν δη παντων ΑΡΧΗ Ζευς.

Tum vero Martianus ipse eam corroborat, modo recte eum intelligamus. Illo enim ipso loco, quo (*L.* 7. *p.* 236) de numeris agit, in scenam prodire jubet Arithmeticam mulierem „quae a fronte primum *uno*, sed vix intelligibili radio candicaret: ex quo item alter erumpens quadam ex primo linea deflueret: dehinc tertius et quartus, tumque etiam *nonus*". Quibus verbis dilucide patet, primo radio monadem ab eo denotatam esse, sive *την ἀρχην*. Porro postquam Jovem ab illa salutatum esse dixerat numero DCCXVII, quo proprium Jovis nomen contineretur, ita pergit: „Ac tunc illi (Arithmeticae) radius *primus* emerserat, qui colliniatae lucis nitore porrecto *ipsius Jovis verticem luminavit*"; *monas* nimirum, id quod clarius etiam ex sequentibus colligitur, in quibus Martianus de monade agens (*p.* 238) „eam ante exstantia fuisse" scribit (*την ἀρχην*) „*hanc* igitur patrem (al. partem) omnium *Jovem rite esse memoratum*" et in extremo addit: (*monas*) „tamen rectius *Jupiter* nuncupatur, quod sit idem *caput* (*ἡ ἀρχη*) ac *pater* deorum".

Atque horum denique aenigmatum restat unum, quod interpretandum ne aggressus quidem Grotius est. Deos enim in concilium progressos Martianus describens (*L. I. p.* 19) inquit: „verum 232.

sator eorum *gressibus tardus* ac *remorator* incedit: *glaucoque* amictu tectus caput. Praetendebat dextra flammivomum quendam *draconem, caudae suae ultima devorantem* (conf. *Albric. c. I. in Munckeri myth. Lat. II.* 301), quem credebant *anni numerum nomine* perdocere. Ipsius autem *canities* pruinosis nivibus candicabat, licet etiam ille *puer posse fieri* crederetur. Ejus *conjunx grandaeva* corpulentaque mater: quamvis *foecunda* circumfusaque partubus, tamen *floridam discoloramque* vestem *herbida* palla contexuerat, in qua totus (totos?) gemmarum metallorumque *census* atque omnium *proventus* frugesque sationum *larga* admodum *ubertate* ferebant (ferebat?)" - - En locum sane interpretatu difficillimum. Animadverterit lector „satorem deorum Graecis quidem (*Diodor.* 1, 12 *ibique Homer. Il.* 4. 68. *Hesiod. op. et dies v.* 59. *theog. v.* 47) Romanisque scriptoribus (*Virgil. Aen.* 1, 254. 11, 725. *Phaedr.* 3, 16. 10. *Cicer. N. D.* 2, 25. *Valerio Sorano ap. Augustin. de civ. dei.* 7, 9.) esse Jovem; sed ipsius Jovis, aliorumque deorum quum pater Saturnus esset, quem Orphicus (*hymn.* 12) inde *Αἰθαλης μακαρων τε θεων πατερ ἠδε και ἀνδρων* alloquitur, hunc a Martiano intellectum esse ex iis quae sequuntur patet. Neque enim sine causa satoris nomine usus est qui lusisse videatur verbis *satoris* et *Saturni* (*Cic. nat. deor.* 3, 24. *Festus voc. Opima. Macrob. Saturn.* 1, 10). Atque gressibus tardus potuit dici propterea quod Saturnus planeta summus, indeque reliquis tardior cursum absolvit, prout Ausonius (*ecl.* 3) de planetis agens canit

„*Celsior his Saturnus tardior omnibus astris*".

Neque enim priscis ignota ejus κινησις νωθης erat (*Galei opusc. myth. p.* 94). Idem Saturnus a Graecis *Κρονος*, quasi χρονος, appellatus, inde videtur temporis particulam, annum nimirum, qui serpente in annulum coacto significetur, manu tenere. Atque hactenus bene processisse videtur interpretatio; sed reliqua cum hac minus cohaerere videntur. Namque Martianus „*anni numerum* ait *nomine doceri*". Quo autem nomine iste numerus significetur, utrum Saturni, an serpentis aliquo ambigitur. In quibusdam libris scriptis, quos Munichii vidi, legitur quidem *suo nomine;* sed in plurimis et optimis vocula *suo* abest. Atque horum nominum aliquod reperire, quod numero dierum, quibus annus constat, simul possit respondere, equidem frustra studui. Neque a glossatoribus, sani quidquam adlatum esse vidi. Hi enim hunc locum illustraturi scribunt: „τεζ dicitur Saturnus (T = 300. E = 5. Z = 60) et interpretatur (sic) *comedens, consumens*". Sed neque Z numerum repraesentat LX, neque si Ξ substitueris nomen illud intelliges. Equidem ad רח eos respexisse conjicio, sive ad חח, quo a Thalmudistis „*spiritum malignum, qui aufert*", denotari Buxtorfius (*p.* 2579) docet. At vero puras istas esse nugas quilibet perspiciet. Quumque nec Grotius, nec recentiorum quisquam, locum illustrarit; liceat mihi quid sentiam, proferre. Nimirum a recta via longe aberraret, qui certum hic numerum, ut in reliquis Martiani aenigmatibus, latentem quaereret. Graecis enim vocabulis χρονος et *Κρο-*

νος lusit, atque obscuritas locutionis latet in verbis *anni numero* pro *annorum numero.* Afris enim hoc proprium et familiare fuisse videtur, ut singulari pro plurali numero liberius uterentur. Ita Martiani popularis (*metamorph. IV. p.* 269. *Oudend.*) „immanis *ursae* numerum" pro *ursarum* etiam scripserat. Iam vero audiamus Ciceronem, qui (*N. D.* 2, 25) Saturnum, scribit, „eum esse voluerunt, qui cursum et *conversionem spatiorum* ac *temporum* contineret, qui deus Graece id ipsum nomen habet. *Κρονος* enim dicitur, qui est idem *χρονος*, id est, *spatium temporis*". (*add. Laurent. Lyd. de mensib.* §. 11. *p.* 110. *Roetheri*). Atque haec in animo habuit Martianus scribens, Saturnum „*anni numerum* (spatia temporum) *nomine* (*χρονου*) *perdocere*". Minime vero de numero dierum, quibus annus constat, cogitavit, de quo nunc, Martiano quidem dimisso, agamus necesse est.

233. Offendisse patres ecclesiae supra (§. 144) diximus in numero CCCLXV, quem in literis nominis Abraxas (§. 452) latere compertum quidem habebant, nec tamen veram hujus rei causam perspicere valebant. Dierum quidem omnium, qui annum conficiunt, summam illo significari, nemo non videt: sed praeter Jablonskium (§. 453) vix alium quemquam sibi persuasurum esse arbitramur, hujus nominis auctores non nisi dies eo numerare voluisse; praesertim quum paucioribus etiam literis idem numerus notari posset (§. 454). Quae quum ita sint, conjiciamus necesse est, altiorem sub ficto hoc nomine sensum latere, quem ego hunc esse credi-

derim. Dierum ille numerus quum unoquoque anno praeterlapso semper idem rediret, similis esse videbatur aevo vel mundo, aptusque adeo ad aeternum etiam numen repraesentandum, secundum eam fere rationem qua perelegantibus Manilius versibus (*I*, 522) canit:

„Omnia mortali mutantur lege creata.
At manet incolumis mundus suaque omnia servat;
Quae nec longa dies auget, minuitve senectus;
Nec motus puncto currit, cursusque fatigat.
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aspicient. Deus est, qui non mutatur in aevo".

Stabilem enim illum et perpetuum ordinem ab antiquissimis 234.
inde temporibus homines omnis fere aevi admirati sunt. „Oritur Sol", Ecclesiastes ex interpretatione vulgata (*I*, 5 et 6) scribit, „et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens gyrat per Meridiem et flectitur ad Aquilonem, lustrans universa: in circuitu pergit spiritus (al. ventus, aer) *in circulos suos revertitur*". . . Iisque fere verbis Maro (*Georg. II*, 402) „atque in se sua per vestigia volvitur annus". Aliam hujus symboli cum anno comparationem apud Martianum Capellam, qui Saturnum, dextra tenentem draconem caudae suae extrema devorantem descripsit, modo (§. 232) observavimus. Quid? quod Graecum *ἐνιαυτός*, quod annus in se ipsum quasi revertatur, gyrum etiam significare videtur.

235. Sed ad gnosticos propius ut accedamus audiendi sunt Platonici. Ex quibus Jamblichus (1, 17. *p.* 29) „coeleste corpus" inquit „valde est cognatum deorum immateriali substantiae. Nam ut est illa una, sic hoc est simplex: illa indivisibilis, hoc quoque indivisibile: illa immutabilis, hoc invariabile. Quod si quis deorum actiones uniformes esse asseveret, sane et hoc corpus unam habet *circulationem*: quin imo imitatur deorum identitatem et vitam divinam; illam *aeterno suo motu*, quo currit secundum eadem, ad eadem, eodem modo, juxta eandem rationem et ordinem; hanc autem vita illa sua, quae est omnibus corporibus coelestibus naturalis". Deum etiam, qui inest in mundo, oracula Chaldaica (*ap. Cleric. v.* 212. *p.* 321) appellant aeternum, infinitum, juvenem et senem, *gyro similem* (ἑλικοειδῆ)".

236. Sed profecto neutiquam gnosticorum recens inventum illud numeri CCCLXV mysterium fuit. Orpheum eo jam delectatum esse Lactantius (1, 7. *p.* 25) tradit. Quod et ante eum Justinus martyr (*apol. maj. p.* 104) retulerat, sed illi numero CCCLXV substituto hoc CCCLX. Pariter apud Romanos, Macrobio (*Saturn. I.* 9) et Laurentio Lydo (*mens. Jan. p.* 144) testibus, Jani simulacrum fingebatur manu dextera CCC, et sinistra LXV numerum tenentis: sed Plinio (34, 7. *p.* 645) referente in ejusmodi a rege Numa olim dicatae statuae digitis non nisi numerus CCCLV significatus erat, dierum nimirum, quibus annus tunc temporis constabat (*Salmas. ad Solin. p.* 4. *Macrob. Saturn. I,* 13. *Censorin. c.* 20. *quamvis Plu-*

tarchus Numae jam annum 365 *dierum p.* 71 *f. tribuat*). Sed non uno modo anni spatium determinatum esse viri docti (*Graev. thes.* 8, 206. 402. *et* 11, 1699 *not.*) docuerunt. In Jani autem statua numeri qua ratione digitis expressi fuerint Janus a Porta (*de occult. lit. not. I,* 11. *p.* 46) perspexisse sibi visus est. Usurpatam enim fuisse a veteribus computandi per digitos rationem et in vulgus notum est, et nos supra (§. 230) monuimus. Atque Aegyptii quum primi annum CCCLXV diebus constare invenerint; veri etiam simile est, ab iis primum hunc numerum superstitiose observatum fuisse. Cujus ipsius rei vestigia adhuc deprehenduntur apud Plinium, qui (19, 1, 2. *p.* 155) „in Rhodiorum insula ostendi" refert „in templo Minervae Aegyptii quondam regis, quem Amasin vocent, thoracem, in quo CCCLXV filis singula fila constent, quod se expertum prodiderit Mucianus ter consul, sed parvas tantum ejus reliquias illo tempore superfuisse experientium nempe injuria". Osymandyae praeterea circulum aureum, ambitu CCCLXV cubitorum, (*Diodor. I.* 49.) non est quod in eruditorum memoriam revocem (*Mem. de l'acad.* 14. *p.* 337. 343). Sed illud sane mirum, Mexicanos, a noto olim orbe vel remotissimos, annum jam habuisse CCCLXV dierum (*Mem.* 16. *p.* 239). Lepidam praeterea Talmudistae afferunt causam cur in nomine Satanae non nisi numerus CCCLXIV lateret, scilicet uno tantum expiationis die in anno manus ipsi ligatos esse (*Mem.* 9. *p.* 47). Sed articulus addendus erat השטן, ut ille numerus compleretur.

237. Isto autem numero celebrior etiam septenarius olim fuit. De cujus virtute et praestantia subtiliter in primis disseruerunt Varro (*ap. Gellium III,* 10), Macrobius (*somn. Scip. I,* 6), Philo Judaeus (*de mundo. Oper. p.* 20), Clemens Alexandrinus (*Strom. VI. p.* 683 *sequ. ed. Colon. et p.* 291 *ed. Comel.*) Censorinus (*de die nat. c.* 7) Laur. Lydus (*de Saturni p.* 74 *sequ.*) Martianus Capella (*L. II. p.* 26. *L. VII. p.* 241) Jablonskius (*panth. proleg. LI - LIX*) Gedike (*vermischte Schr. p.* 32) Wayen (*de numero septenar.* 1696. 8). Aliorum praeter hos ea de re qui disputarunt magna copia excitata est a Simone (*lex. hebr. h. v.*) et Creuzero nostro (*Symbol. I.* 436. *III.* 386). Illum etiam numerum praecipue religionibus aptissimum a Pythagora dictum esse Appulejus (*metam.* 11, *p.* 753 *Oudend.*) tradit. Quorum ex disputationibus verosimile fit hujus numeri venerationem a septem planetarum cultu originem traxisse. Quid enim de alio fonte deliret Tertullianus (*de anima. c.* 37), ab ipso audias licet. Aegyptios, quidem, quibus maxima coeli cura fuerit (*Seneca nat. quaest.* 7, 3. *p.* 794), primos fuisse qui ad corpora coelestia adtenderent, jam pridem viris doctis visum est (*Scalig. ad Manil. Lugd. Bat.* 1600. *p.* 28) tum ob determinanda et crescentis et decrescentis Nili tempora, tum propter facilitatem sub coelo sereno observandi sidera, quibus magnam vim ac potestatem sensim consveverant attribuere. Chaeremon etiam aliique Aegyptiorum scriptores, Porphyrius (*epist. ad Anebon. ap. Jamblich. et Euseb.* 3, 2, 4. *p.* 92) refert, „nullos alios

agnoscunt deos, quam quae vulgo *errantia sidera* nominantur, et ea quae Zodiacum implent. - - Quibus adjiciunt suas illas in decanos sectiones, horoscopos, quique *fortes ac robusti* duces nuncupantur, quorum non modo nomina (§. 329) sed etiam *morborum* et *calamitatum curationes* Almenichiacis eorum continentur." Apollonii Rhodii scholiastes (*Eckhel doctr. num. IV.* 71) duodecim illos in Zodiaco deos, ait, ab Aegyptiis vocatos esse consiliarios, *planetas vero* lictores. Ita vertunt Graecam vocem *ῥαβδοφόρους:* male, me quidem judice. Quum enim sceptra ab initio non nisi baculi essent, et vox *ῥαβδος* tam baculum quam sceptrum significet; illam vertere debebant sceptra ferentes. Ridiculum certe statueret, qui planetis, quos deos nominatos esse modo legimus, et reges (§. 240), anteponere Zodiaci signa vellet.

Solem omnesque daemones ab Aegyptiis in navigio constitutos fuisse nemo nostrum ignorat (*Galeus ad Jambl. p.* 289, *ibique Porphyr. de antro nymph. c.* 10. *p.* 12 *et Euseb. III. p.* 115. *quib. adde Plutarch. de Isid. p.* 364. *Clem. Alex. strom. V. p.* 566. *Epiphan. haer.* 66. §. 9. *p.* 626. *Cuper. in Harp. p.* 14. *Casaub. in Athen.* 790. *Zoegam de Obelisc. Hugii myth.* 255); id quod imaginibus etiam in monimentis incisis confirmatur (*Capell.* 59. 62. *Chiffl.* 59. 96. *Rasp. Tab. VIII. Montfauc. II. Tab.* 142. 158. *Suppl. II. post. tab.* 43. *Mus. Florent. I.* 57. *Caylus VI. Tab.* 14. *n.* 2. *Pocock. itin. I. Tab.* 42), ex quibus nonnulla in hoc ipso libro repraesentabimus. Eundem morem et Zabios secutos esse olim observavi (*Bilder und* 238.

Schr. II. p. 74). Cujus igitur rei quum haud immemor esset Martianus Capella (*L.* 2. *p.* 45) eo loco, quo Philologiam in Solis circulum ascendere fingeret „navem" descripsit „totius naturae cursibus diversa cupiditate moderantem - - cui nautae *septem*, germani tamen, suique consimiles praesiderent. In prora felix (al. *felis*) forma depicta Leonis in arbore, Crocodili in extimo videretur." Quibus septem germanis Grotius quidem septem hebdomadis dies significari vult, alii *planetas* intelligendos esse docuerunt. Ceterum Pignorius (*mens. Is. p.* 55) ex Juvenalis carmine (*Sat.* 15. *v.* 44) colligit, septenarium numerum Aegyptiis jam sacrum fuisse. Atque Arabum quoque de eo superstitionem Moellerus Gothanus (*in Catal. M. S. tor. P.* 1. *app. p.* 13) doctis suis annotationibus illustravit.

239. Apud Graecos Pausanias in Laconicis (3, 20, 9) septem pilas se vidisse refert, quibus errantium septem stellarum signa denotari addit. Quem quidem locum Begerus ante oculos si habuisset; septem illas aras in Romano Mithriaco symbolo (*spicil. p.* 99) insculptas perperam non interpretatus esset. Romae etiam in omnium conspectu positi erant septem planetae. Circum enim describens Laurentius Lydus (*excerpt.* 12. *p.* 10) „Pyramis" inquit „est in medio stadio. Pyramis autem Solis est, quoniam umbra caret ejusmodi ara; - - et supra pyramidem arae sunt très, Saturni, Jovis, Martis; infra Veneris, Mercurii et Lunae."

240. Planetas quoque intellexerat jam Orphicus (*hymn.* 6, 7) Scaligero interprete (*opusc.* 160) in versibus

Aptantes divinum itiner mortalibus primis
Septenumque tribuni castrorum aerivolgi.

Sed illam potentiam et imperium eis potius adscribebant veteres, a quibus planetae inhabitarentur (§. 95. 98. 480). Unde Maimonides (*ap. Hydeum. p.* 128) Sabios, ait, adiisse, ac sua etiam aetate adire, angelos et planetas ut mediatores, quos *septem* minores *reges* esse putent in luminosis illis corporibus *habitantes*. Item Appulejus, modo is libri (*de nat. deor. in Op. II. p.* 302. *Bipont.*) auctor fuerit, Trismegisti verba referens „septem" inquit „sphaerae, quae vocantur erraticae habent *οὐσιάρχας*, id est, suos principes, quam fortunam dicunt et *εἱμαρμένην*, quibus immutantur omnia lege naturae stabilitate firmissima et sempiterna agitatione variata" (§. 243). Quae quidem omnia adeo vulgata erant, ut a Syris planetae non nunquam simpliciter *septem illi* vocarentur (A. Hahn. *Bardesanes gnostic. p.* 70. 71).

Sed diversae naturae has stellas esse, alias dextras, alias sinistras (*Theodoti ecl. in Fabr. bibl. Gr.* 5. *p.* 173) eodem fere modo sibi persvaserunt homines, quo Hieronymus (*in Esaj. c.* 13) docet „dexteras virtutes esse eorum angelorum, qui ad bona mittantur, sinistras autem eorum, quibus ad puniendum tradamur." Pariter Chaldaei ex septem planetis duos esse beneficos, totidem maleficos, reliquos tres medios et promiscuos affirmaverant (*Plutarch. de Is.* 370. *Sext. Empir.* 343). Quos secuti alii (*Serv. ad Georg.* 1, 335) disertis verbis ex quinque planetis duos noxios Martem 241.

et Saturnum appellarunt, duos bonos Jovem et Venerem, Mercurium vero talem, qualis illorum aliquis ei jungeretur, unde etiam hunc deorum fingi ministrum, quod eorum obtemperaret potestati. Similiter Cicero Jovis planetam (*in somn. Scip. ed. Zell. p.* 127. 128) hominum generi prosperum et salutarem, Martium autem rutilum horribilemque terris dixit. Unde et Manetho (1, 139) eundem sic compellat *Ἄρες, Ἄρες, κακοεργέ*. Idemque cognomen Saturnum meruisse lapidis titulus (*in Donati suppl. I. p.* 55) docet dicatus SATVRNO DEO MALO.

242. Romanis haec etiam sidera erant (*Manil. I.* 804. *et III.* 89)

> „*Quae coelum terramque intervolitantia pendent,*
> *Saturni, Jovis, et Martis, Solisque: sub illis*
> *Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus*
> - - *hae* „*stellae septem laeduntve juvantve.*"

Quare illos quoque superstitiosa de magno numeri *septenarii* discrimine opinio cepit (§. 237. 252). Id quod potissimum patet ex Ciceronis (*de R. P.* 6, *p.* 125) verbis in somnio Scipionis: Aetas tua quum *septenos octies* solis anfractus reditusque converterit, *duo hi numeri*, quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur, circuitu naturali summam tibi *fatalem* conficient" cet. Adde Macrobium (*somn. Scip. I,* 5 *sequ.*) qui copiosius atque uberius haec verba est commentatus, multis ex Platonica philosophia adlatis.

243. Mundi potentes esse planetas quum vulgo crederent, factum

inde est, ut eos etiam invocarent. Ita Manetho (*apotelesm. I. v.* 203 *ex Jacobi Gronovii versione*) jubet:

„(Sacra) *fac Saturno et Marti, et Mercurio, et Veneri,*
Et Jovi, et Lunae, et Soli regi.
Hi enim dominantur diis, dominantur et hominibus
Marique et fluviis omnibus impetuosis, ventisque,
Ac frugiferae terrae et perenni aëri.“

Ita etiam Apollo (*Euseb. V. c. 7. §. 15. p.* 202):

„*Mercurium ac Solem simul appellare memento*
Luce sacra Soli: tum Lunam, ubi venerit ejus
Nota dies: Saturnum exin, natamque Dione,
Vocibus arcanis (§. 113), *quas maximus ille magorum*
Septisonae rex reperit, notissimus idem
Omnibus.“

Unde et Apollonius Tyaneus dicitur (*Philostr. III,* 13. *p.* 148) septem annulos quos ab Jarcha septem stellarum nominibus cognominatos accepisset, singulos singulis diebus gestasse, distinguens eos juxta dierum nomina. Aliam distinctionem observat Hippocrates (*Stephani theol. Hipp. C.* 5. §. 5. *Fabr. bibl. Gr. XIII.* 223) scribens: „signorum autem coelestium siderumque quum quis gnarus peritusque fuerit, sic provideto, et diaetam statuito, diisque supplicato, quum bona videris, Soli, Jovi coelesti (§. 241) cet. quum vero contraria, diis haec avertentibus.“

Quae autem famoso illo septenario numero continentur, ea 244.

sive cum Salomone septem columnas domus dei (*proverb.* 9, 1), sive cum Zacharia (4, 10) septem oculos, qui discurrant in omnem terram, sive cum Samothraciis septem Cabiros (*Euseb. praep. c.* 7. §. 10. *p.* 39. *Hugii Mythos p.* 200), sive cum Chaldaeis septem dei radios (*Julian. imp. Orat.* 5. *Oper. p.* 172), sive cum cabbalistis et apocalypseos auctore (*Rhenferd. oper. p.* 33) septem Sephiroth spiritusve throno adstantes, sive cum gnosticis septem archontas coelorum (*Epiphan. haer.* 40. §. 2. *p.* 292), aut sanctam hebdomadem (*Irenaeus I. c.* 30. §. 10. *p.* 111), vocaveris; omnia haec ab iisdem planetis repetenda erunt. Atque adeo in sanctissimo Judaeorum templo septem candelabri ramos fuisse loco septem planetarum Josephus (*ant. III*, 6. §. 7. *p.* 137), Philo Judaeus (*in Mose L.* 3. *Op. p.* 669) et Clemens Alexandrinus (*strom. V. p.* 563) docent (*conf. Fabric. bibl. Gr. III.* 456). Mitto ceteras de septenario numero Judaeorum opiniones (*Buxtorfii synag. c.* 1. *p.* 32). Certe a remotissimis inde temporibus communem hominibus hanc superstitionem fuisse, antiquissimum illud poema de mundi creatione septimo die completa satis arguit. Quod qui ad verbum, non ut verus sensus poscebat (*Clem. Alex. Strom. VI. p.* 684), explicare voluere Judaei, derisui fuerunt Romanis, maxime Rutilio in hisce versibus (*itin. I*, 391):

Septima quaeque dies turpi damnata veterno
Tanquam lassati mollis imago dei.

245. Legitur praeterea per totum fere sacrum codicem iste septe-

narius numerus (*Gen.* 4, 24. 7, 2. *Exod.* 2, 16. 25, 37. 37, 23. *Levit.* 8, 33. 12, 2, 5. 14, 9. 25, 4, 8. *cet.* *Num.* 19, 4, 14, 16, 19. 23, 1, 14. *Deuter.* 25, 1. 16, 3, 9, 15. 31, 10. *Jos.* 6, 4, 6, 8, 15. *I. Sam.* 6, 1. *II. Reg.* 4, 35. 8, 1, 3. *II. Paral.* 29, 21. *Tob.* 12, 15. *Job.* 2, 13. 42, 8. *Proverb.* 9, 1. *Jes.* 4, 1. 11, 15. *II. Maccab.* 7, 1. *Matth.* 15, 34, 36. *Luc.* 2, 36. *Act.* 6, 3). Quid mirum et gnosticos hoc tramite perrexisse, quum in apocalypsi memoratas quoque viderent (*I*, 4, 11) septem ecclesias, (12) septem candelabra, (4) septem dei spiritus, (16) septem stellas, (*IV.* 5) septem lampadas, (*V.* 1) septem sigilla, (*V.* 6) septem cornua et septem oculos, qui essent septem dei spiritus, (*VIII.* 2) septem angelos et septem tubas, (*XII.* 3) capita draconis septem et in capitibus diademata septem, (*XVII.* 1) septem phialas, (*XV.* 1) septem plagas, *XVII.* 9) septem capita, septem montes, et septem reges, (*XI.* 13) denique septem millia hominum.

De isto autem numero superstitionis originem ex hominum 246.
animis sensim excidisse equidem minime nego, quamvis superstitio ipsa ab antiquissimis inde temporibus eadem permanserit et septenarius semper sanctus quasi et potentissimus habitus fuerit. Atque hoc non poetarum solum carminibus, sed factis etiam demonstrari potest in omnium fere populorum historia obviis. Ita Aegyptiis festa erant, quae *septimo* demum die finito cessabant (*Juven. sat.* 15, *v.* 44): iidemque bovem femellam sub solstitium hibernum *septies* circa templum circumducebant (*Plutarch. de*

Isid. p. 372). Ab Arabibus foedus pactumve ineuntibus *septem* lapides sanguine inunctos fuisse Herodotus (3, 8) jam refert. Apud Apollonium Rhodium (*Argon. p.* 216) Medea *septies* Hecaten advocat, *septiesque* aqua corpus abluit. *Septies* similiter Naaman in Jordane se lavat (2 *Reg.* 5, 10, 14). In expiatione peccati septies sanguine vituli adspergi sanctuarii velum Moses jubet (*Levit.* 4, 6. 16, 14). In purificatione leprae *septem* apud Judaeos usurpantur aspersiones (*Levit.* 14, 7); *septiesque* altare aspergitur (8, 11). Qui deae Syriae sacerdotem Gallum mortuum sepelierant sodales per *septem* dies a templo abstinebant (*Lucian. de dea Syr. Tom.* 9. *p.* 128). In illo, cujus mentionem (§. 243) fecimus, oraculo Apollo monuerat „magna quemque deum ac *septena* voce vocabis". In quo quemadmodum Ostanem (*Plin.* 30, 1, 2) *τον βασιλεα της ἑπταφθογγου* appellari a quibusdam contenditur, ita Sarapin *ἑπταγραμματον* dici (*ap. Hesych. et Pharor.*) legimus. Pariter magica verba *septeno* murmure prolata esse non solum poetae docent (*Val. Flacc. Argon.* 7, 464); sed Lucianus, qui hominum superstitiosa facta semper explodit (*philopseud.* 12. *T.* 7. *p.* 261), etiam Babylonium inducit *septem* pronuntiantem nomina sancta: atque ejusdem rei memor idem paulo post (*c.* 33. *p.* 286) Memnonis statuam oraculum *septem* reddidisse versibus fingit. Cui adjungere denique juvabit Laurentium Lydum, qui (*mense Decembr. in f. p.* 298) haec habet: *Σαβαωθ, του δημιουργου· οὑτω γαρ παρα Φοινικων ὁ δημιουργικος ἀριθμος ὀνομαζεται.* Quae quo melius intelligamus, alius

ejusdem scriptoris locus (*mense Mart.* §. 38. *p.* 204) adeundus erit, ubi scribit: *Σαβαωθ δε πολλαχου λεγεται, οἱον ὁ ὑπερ τους ἑπτα πολους, τουτεστιν ὁ δημιουργος.* Namque primum locum solum qui legerit, facile eo adduci poterit, ut credat, Lydum confusis Hebraeis cum Phoenicibus (§. 110), septem dies respexisse, quibus mundus conditus a Judaeis fertur; praesertim quum viderit, inter veteres etiam Hebraeorum librorum interpretes fuisse, qui שבע non Sabbatum, sed Septimum verterent (§. 478). Sed posterior Lydi locus ad Chaldaeos utique nos ablegat. Quum enim Sabaoth sive Demiurgus dicatur, qui sit super *septem* polos; hoc Chaldaeorum doctrinam in mentem nobis revocat, quorum in oraculis (*v.* 182. *ap. Cleric. p. m.* 318) haec leguntur:

Ἑπτα γαρ ἐξωγκωσε πατηρ στερεωματα κοσμων
Τον οὐρανον κυρτῳ σχηματι περικλεισας.

Et licet me non fugiant, quae Psellus ad hunc locum de mundis compluribus, empyreo uno, tum aethereis, materialibus, et denique sublunari commentatus est: versus tamen, qui proxime in oraculis sequuntur, semper *septenarii* planetarum numeri nos admonent.

Quo quidem numero ab omnibus fere venerato factum etiam est, ut in monimentis, quae supersunt, septem planetarum imagines quam saepissime inciderentur; maxime autem in gemmis (*Pignor. mens. Is. n.* 2 *et* 3. *Gorlaeus* 336. 360. 499. 505. *Augustin. II. Tab.* 33. 34. *Capell.* 144. 188. *Chifflet.* 7. 12 *et ex iis Mont.* 247.

fauc. Liceti hieroglyph. s. schem. gemm. p. 224. *Passer. I.* 22. 32. 33. 54. 61. 144. 150. 157. *Gorii mus. Florent. II. Tab.* 78. 89. *Rasp. n.* 501 *et Tab.* 21. 28. 35. 36. *De Wilde gemm.* 165. *ad p.* 156).

248. Sed cave ubicunque septem stellas videris illico eas pro planetis habeas. Non nunquam enim Triones eis significari numus docet L. Lucreti (*ap. Patin. famil. Rom.* 160. *Beger. thes. II.* 561); in quo imaginis auctorem septem stellis Triones, iisque familiae cognomen, exprimere voluisse, adscriptae insuper literae TRIO manifesto declarant. Non nunquam et potissimum si cum Luna septem stellae sunt conjunctae, totum hae coelum excelsum significant, ut in numis (*Spanh. II.* 127), praesertim eo, qui in consecrationem Augusti est cusus (*ap. Biaeum Tab.* 49 *f.*); quem ipsum respicere videtur Petronius (*c.* 30. *p.* 113), ubi, Trimalchionem ridens, istum eadem Lunae et septem stellarum imagine gloriari fingit. Ita enim illum, in quo Burmannus haeserat, locum intelligo.

249. Neque Christianos in imaginibus suis abstinuisse a septem planetis pingendis monimentum testatur (*in Creuzeri symb. tab.* 7) in quo Christus et Jonas cum Sole deo, deaque Luna, et *septem* stellis, miro modo juncti comparent. — Sunt quidem viri docti, qui septenario numero non nisi multitudinem significari contendant: sed minus recte illi quidem, quoniam nullo idoneo argumento fulta ista opinio est, neque causa perspicienda cur eo ma-

xime numero, nec quinario vel quolibet alio, ad notandam copiam homines ab initio usi fuerint.

Atque haec praemittenda erant, quo melius intelligerentur 250.
quae de literis, signorum loco positis, ex instituto nostro (§. 225) nunc sunt dicenda. Quarum literarum explicatio modo facilis est, modo difficilior. Facillima, quum septem vocales una comparent. Unde miror Gruterum earum sensum omnino non assecutum esse. Is enim laminam illam (§. 158) auream edens, „nugas has esse" ait „viri forsan jocosi, qui posteros riserit, dum quaererent, quid sibi vellent septem illae vocales". Ego vero, quod pace manium viri doctissimi dictum sit, solas vocales scriptas esse haud miror: miror inter spurias a Grutero esse rejectam inscriptionem, in lamina *aurea* exaratam, et in *sepulcro* repertam. Diversum a meo de hac inscriptione judicium fert Del Rio, qui (*magic. disquisit. VI,* 2, 1, 1. *p.* 923) „prudenter", inquit „(hoc amuletum) a Grutero inter supposititia relatum: ut quod inter legitimia vetustatis monumenta, immo inter bonae frugis inscriptiones legi non merebatur: nisi forte censeas omnia sigilla et characteres *magicos*, quia veteris aevi, et typis et luce donari debere. Justius *stygiae paludi immergantur.* Utinam ita fieret, nec quisquam talibus hodie animum addiceret!" Ecce hominis summam quidem pietatem — sed haud minorem etiam imbecillitatem, qui *magicum* esse statuerit monimentum vix ulla alia de causa quam quod non intelligeret literas ei inscriptas.

251. Illae enim septem vocales in permultis gemmis incisae reperiuntur (§. 158. 220. 252. 254. *Gorl.* 327. *Capell.* 124. 183. *Chiffl:* 1. *Fabrett. p.* 534. *Spon. p.* 124. *n.* 25. *Montfauc. II. Tab.* 166. *f. Rasp. n.* 443. 538). Id quod monere haud superfluum videtur: namque Passerius (*II.* 253. *n.* 22) septem illas vocales in gemma (*ap. Fabrett. p.* 534. *n.* 2) quantumvis distincte incisas, legit AEΝΙΟΥΣ, vocatque nexum literarum *ineptum*, quas literas ipse *inepte* legerat. Sed interdum septem vocales ita sunt deformatae ut ab imperitis vix agnosci possint, veluti in gemma a Raspeo (*n.* 288) descripta literae: ΑΗΗΙΘΥΩ (*conf.* §. 198), ex quibus, qui alia ratione sensum eruere voluerit, profecto oleum et operam perdet.

252. Neque erat, quod Galeotti (*ad Ficoronii gemm. lit.* 86) insculptum in hac gemma



juvenem, intuentem cippum, Graecis literis ornatum, illico Pala-

medem esse diceret. Clypeus enim, quem tenet, tutelae est symbolum, et in cippo inscriptae sunt tritae illae vocales, quarum septenarii numeri superstitione detentos etiam fuisse Romanos supra (237. 242) monui, cuique rei documento praeterea est historia, quam Ammianus Marcellinus (29. *ed. Lindenbr. p.* 423) enarrat: „Visum enim fuisse," ait, „adolescentem in balneis admovere marmori manus utriusque digitos alternatim et pectori, *septemque vocales* literas numerasse, ad stomachi remedium prodesse id arbitratum; quem, in judicium tractum, percussum esse gladio." - - Sed quod magis mirum Nicolaus Myrepsus medicus idemque scriptor Christianus seculo XIII fere exeunte eum, qui thymiama quoddam conficiat, „proferre jubet hasse vocales: Α Ε Η Ι Ο Υ Ω" (*Fabricii bibl. Gr. XIII.* 7)!

Ea autem de septenarii numeri virtute superstitio quum a pla- 253.
netis, ut modo (§. 237) vidimus, originem duxerit; recte inde colligitur, septem illis vocalibus quoque planetas significari. Id quod Barthelemy egregie docuit (§. 288). Vicem igitur sustinent literae istae numerorum, quibus planetae designentur. Quaerenti autem, cur non primae alphabeti septem literae, sed vocales solae, loco numerorum usurpatae sint, vulgaris de sphaerarum harmonia opinio in mentem veniat necesse est. Vocales enim literae ad cantum vel musicam magis sunt aptae quam consonae. Accedit, quod in Graecis literis vocales utique nec plures, nec pauciores sunt, quam planetae, quorum singulos singulis etiam vocalibus olim de-

notatos fuisse infra (§. 288) demonstrabimus. Latini contra quum quinque tantum vocales haberent, primis septem alphabeti literis in musica usi esse videntur. In illo enim de harmonia libro, qui Isidoro (*Op. T. VII. p.* 24) a quibusdam tribuitur, haec legimus: „A terra usque ad firmamentum coelestis musica mensuratur. Ad cujus exemplar nostra inventa affirmatur. In terra namque Γ gamma, in Luna A, in Mercurio B, in Venere C, in Sole D, in Marte E, in Jove F, in Saturno G ponitur; profecto mensura musicae artis invenitur."

254. Quum igitur septem planetae literis A, E, H, I, O, Y, Ω, notarentur, in quibus planeta A primum locum teneret, ne ceteros iratos haberent qui ita scribebant, vices interdum septies mutarunt, ita ut omnes deinceps primum locum semel occuparent. „Manifestum enim damnum nobis provenit" inquit Jamblichus (5, 21. *p.* 137) „si quem ex superis praetermittimus inhonoratum." Hinc effusa Dianae ira in Oeneum regem (*Diodor.* 4, 34. *Ovid. met.* 8, 281. *Apollodor. I. p. m.* 33. *Hygin. fab.* 172) et Admetum (*Apollod. I. p.* 51); hinc Junonis in Peliam (*Id. p.* 53. *Hygin. fab.* 13); hinc Liberi Patris in Orpheum (*Hygin astr.* 2, 7. *p.* 371); hinc Martis quoque in Lapithas (*Virgil. Aen.* 7. 304). Illam igitur ordinis mutationem non in Gruteriano solum amuleto (§. 158), sed in aliis etiam factam esse observavimus, ut in eo, quod infra integrum proferemus, hoc autem loco non nisi aversam ejus faciem exempli gratia subjicimus:

ΑΕΗΙΟΥШ
ΕΗΙΟΥШΑ
ΗΙΟΥШΑΕ
ΙΟΥШΑΕΗ
ΟΥШΑΕΗΙ
ΥШΑΕΗΙΟ
ШΑΕΗΙΟΥ

Atque nunc demum nos intelligere nobis videmur, quid sibi velint apud Martianum Capellam (*L.* 2. *p.* 45) alternatae literae. Philologia enim virgo postquam planetarum sphaeras omnes transierat „juxta ipsum extimi ambitus murum annixa genibus ac tota mentis acie coartata, diu silentio deprecatur; *veterumque ritu* vocabula quaedam - - numeris varia sono ignota jugatis, *alternatisque literis* inspirata veneratur verbis *intellectualis* mundi *praesules* deos, eorumque *ministros sensibilis sphaerae potestatibus* venerandos" (§. 240).

Alia autem vocalium ratio, si quid video, est in amuleto perantiquo (*Fund-Grub. des Orients III.* 84 *f.*), cujus in adversa facie insculpta sunt hieroglyphica Aegyptiorum signa: in aversa autem septem vocales sic dispositae: 255.

ΪΕΟVΩΗΪΑΗΑΪΗΩVΟΕΪ.
ΪΕΑΗŌVΗΩΩΑΗV̈ΟΕΪ.
ΟΗΩΆΟΕVΟΪΗΟVVΗ.
ΙΩΕΗΟΑV̈ΑΕΗV̈ΩV̈Ω.
ΙΟVΕΗΗΩΑΩΟVΟΪΩΟ.
ΗΕΩΩΪΩΩΟVΩΗΗΪΟΪ.

Quae qui perspexerit facile sibi persvadebit, non posse referri monimentum istud ad solam septenarii numeri venerationem. Saepe enim eadem vocalis litera repetitur, neque septem una serie unquam in eo comparent. Quodsi illum numerum solum in animo habuisset auctor; profecto sex versibus septimum etiam addidisset, id quod in aliis amuletis (§. 158. 254) factum esse videmus.

256. Ac mihi quidem persvasum est, notas has esse musicas. Neque enim ulla ad hunc usum aptiora esse signa arbitrabantur, quam septem vocales, quarum numerus non solum lyrae septichordae, in Aegyptiorum monimentis (*Kircheri Oedip. II.* 2. *p.* 129) conspicuae, respondebat; sed conveniebat etiam apprime cum Pythagoreorum de planetarum sonis (*Macrob. somn. Scip.* 2, 1. *sequ. Consorin. c.* 13) sententia: quam et versus exprimunt, quos ex Ephesii Alexandri carmine desumtos Heraclides (*in allegor. Homeri p.* 426. *opusc. Galei*) ita exposuit:

Omnes harmoniam reddunt concentibus unam
Dum sonitus edunt distantes limite certo
Atque lyram pulsant septenis ordine chordis.

Qua lyra Macrobio (*Satrurn:* 1, 19) docente „praestat intelligi tot sphaerarum coelestium motus quibus Solem moderatorem natura constituit" (*Orph. hymn.* 7. *v.* 9. *et* 33, 16). Orphei quoque lyram, Lucianus (*astr. Tom.* 5. *p.* 219) minime veram, sed symbolum fuisse contendit septem planetarum, quibus vir ille sapiens omnia moverit. De septem vocalibus, quae quum planetis, tum lyrae

chordis, adscribebantur, plura suo loco (§. 288) adferamus: nunc monuisse sufficiat, fuisse quidem qui Saturno gravissimum, Lunae vero acutissimum sonum tribuerent (*Gesner. ad Orph. hymn.* 33. *v.* 17. *p.* 226); sed prorsus contrarium a pluribus statutum esse. Ita enim comparatam sphaerarum harmoniam sibi finxerunt philosophi, ut quanto remotior esset planetae orbita, tanto celeriori ille cursu raperetur. Quo factum est ut Saturno (literae ω) sonum acutissimum, Lunae autem (literae α) gravissimum adscriberent (*Voss. nat. art.* 3, 20, 3. *Op. III. p.* 89), sive rauciorem, ut Martianus Capella (*L.* 1. *p.* 11) scribit. Ita enim Cicero (*de re publ.* 6, 5. *p.* 128. *ed. Zellii*): „quam ob causam summus ille coeli stellifer cursus, cujus conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono: gravissimo autem hic lunaris atque infimus: nam terra nona immobilis manens ima sede semper haeret, complexa medium mundi locum (*conf. orat.* 3, 45). Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, *septem* efficiunt distinctos intervallis sonos, qui *numerus rerum omnium fere nodus* est: quod docti homines nervis imitati atque cantibus, aperuere sibi reditum in hunc locum." Quae septem planetis a Cicerone additur octava sphaera ea aplanes est et proprie coelum nominatur (*Macrob.* 2, 4). Septenarium autem chordarum numerum ad planetas *deos* spectasse, ex multa quoque colligi potest, quam Lacedaemonii Timotheo Milesio irrogaverant, quod septem citharae, sive lyrae (*Cuper. apoth. Hom. p.* 30), nervis plures addidisset (§. 290. *Pau-*

san. 3, 12, 8). Attamen Pythagoras, quum septem illis chordis nondum absolutum vel perfectum esse videret concentum sive diapason, octavam adjecisse fertur (*Voss. l. c.*). Poetice quoque sphaerarum illam harmoniam descripserunt Dionysius poeta (*memoir. de l'acad.* 5. *p.* 187) et Martianus Capella (*L.* 1. *p.* 11).

257. Sed ad pervetustum illud redeo amuletum (§. 255), in quo ut vocales literas pro notis musicis habeam eo magis adducor, quod signa quaedam diacritica quibusdam literis tum superscripta, tum in iisdem etiam omissa video, ita ut omnino variantis moduli notas esse conjicere liceat. Nec qui in aliis amuletis, infra proferendis, conspicitur crescens vel decrescens vocalium numerus explicari poterit, nisi musicas notas illis significari mecum statueris.

258. In caeremoniis sacris artem musicam non solum a Christianis nostra aetate adhiberi, quamvis hunc artis usum Arnobius (*adv. gent. L.* 7. *p.* 237) adhuc riserit; sed ab aliis etiam inde ab antiquissimis temporibus (*Niederk de adorat. p.* 96. 243. *sequ. Pollux* 1, 38. *p.* 26. *Lucian. de saltat.* 16. *Tom.* 5. *p.* 133) adhibitam esse, rituum historia docet. Celeberrima sunt nomina Lini, Orphei, Musaei, aliorum, quos viros deorum in honorem hymnos composuisse Clementi Alexandrino facile concedimus: quum vero idem (*admon. ad gent. p.* 3) scribat „illos deceptores fuisse, qui praetextu musicae artificiosis quibusdam praestigiis homines ad corruptelas *daemoniace* incitarint,“ et tamen paulo post (*p.* 4) „Davidem *daemones* musica expulisse;“ in diverso hoc judicio equi-

dem solitam, et Christianis doctoribus fere peculiarem illam, iniquitatem agnosco.

259. Cum musica sacris adhibita comparari non solum potest ficta illa sphaerarum harmonia (§. 256); sed quòd in antiquioribus etiam Hebraeorum libris (*Job.* 38, 7. *Psalm.* 19) legitur „deum a stellis laude celebrari.“ Haud igitur mirum gnosticos ea statuisse, qualia Marcum finxisse Irenaeus (*I,* 14, 7. *p.* 73) tradit, his verbis placitum ejus proponens: „atque hae virtutes (*δυναμεις*) omnes simul inter se connexae tinniunt ac laudibus eum, a quo productae sunt, efferunt.“ Nec erat, quod blaterare his verbis gnosticos pius pater animadverteret. Haud enim scio, an magis etiam Clementem Alexandrinum blaterasse statuendum sit, qui (*strom. VI. p.* 684) „alia est ratio“ scribit „quando *septenarius* glorificaverit *octonarium* et coeli coelis enarrant gloriam dei“! Quam absurda praeterea sunt quae idem, vir quamvis doctissimus (*str.* 6. *p.* 656) de numero trecentorum Abrahami servorum disputat? Sed haec apud ipsum si lubet legere licet.

260. Ab Aegyptiis supremum numen jam septem vocalibus (*δια των ἑπτα φωνηεντων*) celebratum et loco tibiae vel citharae harum literarum sonum, ob svavitatem vocis, quae in illis inesset, auditum fuisse, Demetrius Phalereus, aut quisquis alius auctor est libri *περι ἑρμηνειας*, refert (*Jablonsk. panth. proleg. LV. Opusc. I.* 409. *Mem. de l'acad.* 41. *p.* 519). Quae quidem magis etiam confirmat Nicomachus Gerasenus, seculi secundi scriptor, tradens: „theur-

gicos, quum colerent numen aliquod, invocasse illud sonis, *qui consonas non haberent*" (§. 418, *et Jabl. in panth.*). Serapidem etiam, Aegyptiorum deum, quum *κατ' ἐξοχην* (deum) septem literarum (§. 246) vocari legimus; profecto majus quiddam in hac appellatione inesse quam jocum Plautinum, omnes mecum sentient, qui alia etiam nomina *Ἀνουβις*, *Χνουβις*, septem constare literis animadverterint. Conferendus enim cum illis septem sonis in Aegyptiorum sacris cantari solitis omnino locus est apud Porphyrium (*de abstin. p.* 324 *et ap. Euseb.* 3, 2, 4. *p.* 94), ubi legimus: „in apertione sancti Sarapidis (*ἐν τῃ ἀνοιξει του ἁγιου Σαραπιδος*) adhuc usque per ignem et aquam cultus exhibetur. Qui enim hymnos canit, et aquam guttatim fundit, et ignem praemonstrat, in limine stans patria Aegyptiorum voce (*φωνῃ*) deum excitat (*ἐγειρει*)" (*conf. Schmidt. de sacerd. Aeg. p.* 165. *Spanheim.* 2. *p.* 63). Pariter Clemens Alexandrinus (*strom.* 6. *p.* 633) Aegyptiorum pompam solemnem describens „in sacris caeremoniis" inquit „primus procedit cantor, ex musica symbolum afferens" (*conf. Montf. II. tab.* 116). Atque idem ille est, qui in Graeca quadam inscriptione (*Raoul-Rochette notic. sur quelque antiqu. p.* 12) *ἱεροφωνος του κυριου Σαραπιδος* dicitur. Nec non Appulejus similem pompam (*metam.* 11. *p.* 772) describens addit: majorum antecantamenta votorum sequebantur dicati magno Serapi tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram (*Cuper. Harpocr.* 142) *familiarem* templi deique modulum frequentabant."

Sacrificantes quoque sacerdotes in templis Aegyptiorum gravi et venerando vultu cantasse refert Clemens (*paedag.* 3, 2. *p.* 216). Illud denique Maronis (*Aen.* 6, 645)

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris s e p t e m discrimina vocum

ad septem illos sonos et lyrae Aegyptiacae chordas spectare videtur. Diodorus enim (4, 26) Orpheum, quem ipsum ab Aegypto oriundum quidam (*Pausanias* 6, 20, 8) tradunt, *„in Aegyptum* profectum multa didicisse, ita ut inter Graecos omnes tum initiationum et theologiae peritia, tum poematum et melodiarum artificio, praestantissimus haberetur."

261. De harmonia septem vocalibus designata, Horapollo etiam (*L. II. n.* 27) verba facere videtur, ad quae Caussinus (*Symbol. Aeg. p.* 54) „vix conjecturae ansam," ait, „auctorem reliquisse." Locus enim hic est: *Γραμματα ἑπτα ἐν δυσι δακτυλοις περιεχομενα ΜΟΥΣΑΝ, ἢ ἀπειρον, ἢ μοιραν, σημαινει;* quae perperam interpretes sic vertere mihi videntur „literae septem duobus inclusae digitis *Musam, inexpertum,* aut fatum significant." Primum enim pro *inexpertum* equidem *ἀπειρον infinitum* sive *aeternum* interpretari malim. Deinde nec *Musam* quamlibet intelligendam esse arbitror, quia, quum singulari numero vox efferatur, *μουσικη κατ' ἐξοχην*, neutiquam alia ars notatur. Me igitur interprete trium istorum verborum unoquoque illa de planetarum indole opinio significari et confirmari videtur.

262. Quibus omnibus consideratis et perpensis egregie errasse arbitror Gesnerum, quum in commentatione „de laude dei per septem vocales et septem spiritus apocalypticos“ (*Commentar. Gotting. I.* 245) contenderet, Graecos septem illis vocalibus scripsisse ΙΕΗΩΟΥΑ (*p.* 254) ita ut iis nomen intelligeretur notissimum, Jehova. Miror enim eum non vidisse nomine sic composito plures ex illis literis jam non vocalium nomine venire posse, qua de re alibi (*Bild. u. Schr. II.* 117) disserui. Anachronismus certe palaeographicus in hac doctissimi viri assertione deprehenditur. Nemo quidem ignorat, Graecis characterem Η olim fuisse notam aspirationis: nec fore credo quemquam qui neget, Graecos diphthongo ΟΥ aliquando usos esse, ut Romanae V, vel Hebraeae ו, sonum exprimerent (§. 416). Quo vero tempore hoc fecerunt eo profecto Graecorum nemini in mentem venire potuit, literam Η adhuc pro aspirationis signo habere. Jam pridem enim antiquata haec hujus literae vis ac potestas erat, quippe quae vocalem tum significabat. Magis etiam miror a Bellermanno eam nominis scriptionem probari. Ille enim ipse prae ceteris (*II.* 39. *sequ.*) ex scriptoribus tam ecclesiasticis quam profanis dilucide demonstraverat, יהוה Graecis literis constanter scriptum fuisse ΙΑΩ, Latinis IAHO, eamque veram inde ab antiquissimis temporibus Hebraei nominis pronuntiationem fuisse. Qui quidem quum sibi ipse parum constans (*I.* 37) jam ante Alexandrinos hoc nomen septem literis ΙΕΗΩΟΥΑ scriptum fuisse observat, velim sane indicasset ubi et a

quibus hoc esset factum. Sed a Gottingensibus fortassis ipse in errorem se induci sivit.

Frustra etiam Gesnerus (*p.* 252. 254) Eusebii (11, 4, 6. *p.* 519) 263.
verbis nititur, quae perperam interpretatur, quum sensus eorum non nisi hic sit: Graeculos, quum compertum haberent, Hebraeis quatuor elementis יהוה nomen dei exprimi, quod *ineffabile* sit; septem suis vocalibus, quum (sine consonis literis) ipsae quoque *ineffabiles* essent, nomen dei similiter exprimere voluisse (§. 418). Nulla hic de ordine vocalium, quo Gesneri conjectura potissimum nititur, mentio fit. Neque dixisset, opinor, Eusebius, „Graecos septem vocalibus nomen, quod *voce explicari non posset*, exprimere voluisse" si *Jehova* iis scriptum fuisset.

Nec majus praesidium nactus est Gesnerus (*p.* 253) a versibus, 264.
quos ab Eusebio (*p.* 520) mutuatus est:

Ἑπτα με φωνηεντα θεον μεγαν, ἀφθιτον αἰνει
Γραμματα, τον παντων ἀκαματον πατερα.
Ἐιμι δ' ἐγω παντων χελυς ἀφθιτος, ἡ τα λυρωδη
Ἡρμοσαμην διvης οὐρανιοιο μελη.

Quae quum Latine adverbum sonent:

„Septem me vocales deum magnum immortalem
Literae (laudant), totius universi indefessum patrem.
Sum autem ego testudo (*lyra*) universi aeterna, quae *lyricos*
Concinnavi *rotationis coelestis modulos*;"

apertum jam et manifestum est, poetam non nisi sphaerarum

harmoniam cantasse, et ne cogitasse quidem de literis quibus nomen Jehova conficiatur; sed septem illas vocales ipsi fuisse planetas, coelestis harmoniae sonos edentes. Quodsi ex septem vocalibus, quae tam frequentes in monimentis et apud poetas legimus, semper esset Jehovae nomen colligendum; profecto dubito an fieri possit, ut illa monimenta et scriptores unquam intelligantur.

265. Non magis vera rectave ratione usus est vir doctissimus, quum septem spiritus, quos somniaverat apocalypseos auctor, nominis Jehova literas esse (*p.* 258. 261) nobis persvadere conaretur. Illum enim scriptorem, qui Judaeorum cabbala et gnosticorum doctrina totus imbutus erat, non nisi planetas et, a quibus regerentur, angelos intellexisse, capitis tertii versus primus manifeste docet. Neque enim septem spiritibus adjunxisset *και τους έπτα άστερας;* nisi hunc verborum sensum in mente habuisset.

266. Attamen in sola illa Gesneri conjectura, quantumvis male fulta ac debili, tota inhaeret alia viri gravissimi Michaelis commentatio (*Commentar. Gott. I.* 367) de Jehova ab Aegyptiis culto, cujus cultus Aegyptiaci nulla praeterea vestigia apud veteres exstant. Ut enim demus, ab iis nomine Jao deum appellatum esse, id quod nemo quisquam probare poterit, nonne hoc dei nomen ab aliis compluribus gentibus etiam usurpatum fuisse constat? Nonne Liber Pater et Sol nomine Jao (§. 463. *sequ.*) appellabantur? Nonne ipsum Jovis nomen, et Mauritaniae regum (Juba) simillimum est illi, praesertim si ad Samaritanam *του* יהוה pronuntiationem atten-


derimus? Nonne pseudo-prophetae suum etiam deum Jehova (*I. Reg.* 22, 11) appellarunt? -- Sed simili errore ei, in quem duumviri illi inciderunt, alios quoque scriptores lapsos esse legimus (*in bibl. philol. Gotting.* 1775. *T.* 3. *p.* 69. *sequ.*).

Nec ternarius numerus a nobis silentio praetereundus est, si- 267.
quidem in gemmis, infra proferendis, literarum ter repetitarum (§. 274) rationem nemo intelliget, nisi perspecta demum superstitione, quae in hoc etiam numero insignis fuit. Plutarchus (*de Is. p.* 374. *Sympos.* 9, 3. *p.* 730) Cornutus (*ap. Gale p.* 157) Ansonius (*Ed.* 11) et Martianus Capella (*L.* 7. *p.* 239) perfectum, Marbodaeus (*ab init.*) sacrum hunc numerum appellant; Chaldaica etiam oracula a verbis *παντι ἐν κοσμῳ λαμπει τριας* incipiunt (*Cleric. p.* 305). Atque multis praeterea disseruerunt de eo Macrobius (*in somn. Scip.* 1, 6) Laurentius Lydus (*die Mart. p.* 52. *Roetheri*) Natalis Comes (1, 10) Bossius (*ap. Salengr. II.* 1415) aliique, quos supra (§. 237) laudavi. Pythagoream quidem de numeris doctrinam (*Sext. Empir.* 3, 18. *p.* 164, *et* 10, 4. *p.* 674) hoc loco omnem exponere longum est: sed ejus rei vestigia quum in monimentis quoque compareant; ex iis exempla quaedam, quibus ternarius ille numerus celebratur, proferre lubet. Gemmam hanc:



40

Wildeus (*n.* 145) evulgavit, sed minime quae ea continentur intellexit. Scilicet (*p.* 131) non nisi Deltoton agnoscens frustra versus Manilii exscripsit. Quaenam enim, quaeso, gallo gallinaceo cum Deltotono res fuerit? Lucianum potius adire debebat, qui (*in gallo s. somn. T. 6. p.* 288 *sequ.*) Pythagorae animam in gallinacei corpus descendisse finxit. Jam vero nemini non nota Pythagoreorum doctrina est, qua (*Cic. acad.* 4, 37) „omnia ex numeris proficisci" docuerunt. Atque ex ipsius Pythagorae sententia Plutarchus (*symp.* 9, 3. *p.* 738) ternarium numerum appellat perfectum, quippe qui *ἀρχην και μεσον και τελος* comprehendat: quae eadem apud Aristotelem (*de coel.* 1, 1) et Laurentium Lydum (*die Mart. p.* 56. *et mens. Apr.* 44. *p.* 210) legi addique possunt quae de tripode Pythagoreo, Delphis in Apollonis templo posito, viri docti contulerunt (*Hesych. v. τριου*). Haud igitur dubitandum, quin in gemma nostra Pythagoras gallinaceo, ternarius autem numerus triangulo denotatus sit, praesertim si *προμηκους τριγωνου* meminerimus, de quo Platonis doctrina (*Diog. Laert. L.* 3. *p.* 228. *Casaub.*) in Pythagoream transiit. Atque haec gemmae interpretatio alio quoque monimento confirmatur. Lucernae enim a Causeo (*in mus. Rom.* 5, 24) vulgatae impositam videmus figuram, in qua quamvis „sanctissimam trinitatem" cum Causeo non agnoscamus, omnino tamen Pythagoream illam sententiam, qua omnia (*παντα*) ex tribus monadibus (*monas ter est repetita*) nasci docebatur (*Diog. Laert. in Plat. p.* 231 *et in Pyth. p.* 582). Figura haec est:



Chaldaica oracula loco laudato agentia de triade ἧς μονας ἀρχει pariter addunt. Idem etiam illud Aristotelis (*l. c.*) το παν και παντα τοις τρισιν ὡρισται in mentem veniat necesse est. Praeterea haud scio, an in literis ΠΑΝΤΑ certo ordine dispositis mysterium lateat. Sunt enim quinque, et Plutarchus (*de Is. p.* 374) refert „a πεντε manasse παντα, qua voce (*conf. eund. de EI. p.* 389. 390) universum intelligi. Siquidem inscripta vox illa in orbe est, quo *universum* denotari Ocellus Lucanus (*c.* 1. *ap. Gal. p.* 514) docet. De altera autem figura circulo subjecta Laurentius Lydus (*die Mart. p.* 58) scribit „Pythagoreos triadem in numeris, *triangulum* in figuris ponere elementum generationis *universi.*" Atque inter terna-

rium et quinarium numeros nexus quidam manifestus adparet in notissimo illo pentagono, quod aeque in numis (*Eckhel* I. 65. *II.* 476. *Agostin. dial.* 5. *p.* 149) atque in gemmis (*Gorl. I.* 192. *II.* 429. 459. 554. *Chifflet.* 77. 103. 134. *Capell.* 212. *Montf. II.* 160. 169. *Casal.* 51. *Causeus I. p.* 10. *Salengr. III.* 66. 68. *Kircheri prodrom. Copt.* 227. *sive in Oedip. III. tab. ad p.* 434. *n.* 8.) saepenumero obvium est. Quod licet recentiorum aliquis in arte symbolica pro mannum tegumento perridicule habuerit; eruditorum tamen neminem fugit a Pythagoreis, vel Pythagora ipso illud originem trahere. Etenim recte Lucianus (*de salut.* 5. *Tom.* 3. *p.* 290) id esse ait „triplex *triangulum* sibi implexum *quinque* descriptum inclusumque lineis, cui symbolo Pythagoreos sanitatis nomen indidisse." Atque ex additis verbis extremis facile nunc explicari haec gemma potest:



quam Gorlaeus (*I.* 192) ex annulo quodam depictam edidit. Quodsi enim serpentis caudam ore tenentis symbolum, de quo infra disseremus, probe intellexeris, nullo negotio in illis imaginibus verba, quasi literis perscripta essent, leges ὑγίαινε ἀεὶ, sive semper

vale: quae apta et digna omnino sententia erat, quae in cera annulo signatorio signata ad amicos transmitteretur.

Sed ad ternarium numerum et superstitiosam de eo opinio- 268.
nem ut redeamus hujus in ipso usu loquendi vestigia deprehenduntur (*Plutarch. de Is. p.* 365). Ita invaluit, ut felicissimi a Graecis *τρισευδαιμονες*, a Latinis *ter beati terque felices* appellarentur, quemadmodum infelicissimi *τρισάθλιοι*. Festive hinc Plautus, omnes istas locutiones ridens inducit Pseudolum (*Act.* 2, *Sc.* 4) „Jo io io" exclamantem „te te te tyranne, te rogo, qui imperitas Pseudolo, quaero: quoi ter trina triplicia tribus modis tria gaudia artibus tribus ter demeritus dem laetitias de tribus fraude partas, per malitiam et per dolum et falaciam in libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo." - - Poetas nimirum omne superstitionum genus, quod ipsorum aetate vigeret, vivis coloribus descripsisse constat. Quumque magicum quoddam mysterium in illo numero inesse sibi vulgus persvasisset; in fabellis, quibus magicae artes exponuntur, semper fere ejus mentio fit. Ita ad Theocriti similitudinem Virgilius (Aen. 4, 510) de Didone canit

Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

Quam in *triviis* etiam adesse ideo fingebant poetae (*Theocrit. Idyll.* 2). Similiter Horatius (*carm.* 3, 22, 3):

Ter vocata audis adimisque letho Diva Triformis.

Hinc verba Medea „*ter* dixit placidos facientia somnos" quibus so-

piret draconem,

Qui crista linguisque tribus praesignis et uncis
Dentibus horrendus custos erat arietis aurei

ut est apud Ovidium (*metam.* 7, 153). Hinc Circe apud eundem (14, 387)

Ter juvenem baculo tetigit: tria carmina dixit.

Hinc idem ille de Cerere (*fast.* 4, 550)

Triptolemum gremio sustulit illa suo
Terque manu permulsit eum: tria carmina dixit.

Hinc illa veneficae apud Virgilium (*ecl.* 8, 73) verba:

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco.

et porro

Necte tribus nodis ternos Amarilli colores.

Hinc similia nutricis facta (*Cir.* 371):

Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila: ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo: numero deus impare gaudet.

Pariter Tibullus (1, 2, 54):

Ter cane, ter dictis despue carminibus.

Atque lepida hujus ritus exstat imitatio apud Lucianum (*Necyom.* 7. *T.* 3. *p.* 10), ubi magus *ter* ejus, quem ad inferos deducit, os adspuit. *Ter* quoque apud Appulejum (*metam.* 2. *p.* 161, *Oudend.*)

propheta, mortuum resuscitaturus, herbulam ori admovet. Quo quidem numero etiam omina repetita certiora videbantur. Unde Ovidius (*metam.* 10, 452):

Ter pedis offensi signo est revocata: ter omen
Funereus bubo letali carmine fecit.

Quid? quod in sacra etiam facienda de ternarii numeri efficacia opinio irrepsit. Ab Aegyptiis hymnos, quibus sacra sua celebrassent, *ter* repetendos fuisse Jablonskius (*panth. I. p.* 20) docuit. Orpheus (*Argon.* 957) catulos *ternos* sacrificabat. Manethone (*ap. Porphyr. de abstin.* 2, 55) teste Junoni *tres* vituli immolabantur, in quorum locum totidem imagines cereas Amosis substitui jussit. Salaminae homo *ter* aram circumductus immolabatur (*idem* 54). A Judaeis festum *ter* quotannis celebrabatur (*Exod.* 33, 14), et *tribus* vicibus quotannis sacerdotibus dona offerenda erant. In sacris Mutae deae, ut belle poeta (*fast.* 2, 572) canit 269.

Sacra facit Tacitae: vix tamen ipsa tacet;
Et digitis tria tura tribus sub limine ponit.

Similiter Faliscus (*poet. minor. T.* 1. *p.* 277):

. . . . fontes
Sancte tuos ter quisque vocant, ter pinguia libant
Tura foco.

Ruriculae etiam, preces facturo Ovidius (4, 777) praecipit:

. . . . . Haec tu conversus ad ortus
Dic ter, et in vivo prolue rure manus.

Superstitiosum proinde ritum mense Majo media nocte qui perragit (5, 435) is *ter „manus puras fontana perluit unda."* Atque in omnibus sacris lustricis hic numerus religiose videtur esse servatus. *Ter* quotidie sacerdotes Aegyptiorum purificationis causa lavabantur (*Porphyr. de abst. p.* 317). Ita illa etiam poetarum, ut Ovidii (*metam.* 7, 261):

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat;

et Tibulli (*I*, 5. 11):

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro
Carmine quum magico praecinuisset anus
Ipse procuravi, ne possent saeva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.

et Valerii Flacci (3, 441):

Ter tacitos egere gradus: ter tristia tangens
Arma simul vestesque virum, lustramina ponto
Pone jacit - -

et Statii (*Theb.* 4, 465):

Ter circumacta pyras sancti de more parentis
Semineces fibras et adhuc spirantia reddit
Viscera - -

et Virgilii (*Aen.* 6, 229)

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi et ramo felicis olivae;

apud quem inferiori etiam loco (6, 506) Aeneae verba:

. . . *et magna Manes ter voce vocavi.*

In remediis igitur ad avertenda mala excogitatis nemo mirabitur eundem adhibitum ternarium esse numerum. Sic erucae omnes ut exstirpentur, femina purgationibus menstruis laborans „*ter* circum areolas et sepem ducitur horti" (*Columella* 10, 362. *p.* 767). Ad panos sanandos plurimum referre experti (*Plin.* 26, 10, 59.) affirmarunt „si virgo imponat nuda, jejuna jejuno, et manu supina tangens dicat: Necat (negat) Apollo pestem posse crescere, cui nuda virgo restinguat: atque ita retrorsa manu *ter* dicat, *totiesque* despuant (§. 36) ambo." „Eadem etiam ratione *terna* despuere deprecatione," idem Plinius (28, 4, 7) scribit, „in omni medicina mos est, atque ita effectus adjuvare: incipientes furunculos *ter* praesignare jejuna saliva - - extranei interventu, aut si dormiens spectetur infans a nutrice *terna* adspui (*conf. Persius* 2, 31. *sequ. Petron. c.* 131 *et doct. interpret. p.* 621. *Theocrit. Idyll.* 6). - -. Sextus Placitus (*de medicina ex animal. c.* 11) hoc etiam tradit remedium: „Vermes qui sub lingua rabidi canis inveniuntur, iis excisis et circum arborem sterilem *ter* latis et datis, qui ab eo morsus fuerit, sanabitur." Pariter ferunt, inquit Plinius (29, 4, 26) „vespertilionem, si ter circumlatus domui vivus per fenestram inverso capite infigatur, amuletum esse." 270.

Ne vero quis credat plebis tantum imbecillitatem hac superstione occupatam fuisse, legat quae Plutarchus (*in Fabio p.* 176) refert: „Fabium Maximum vovisse spectacula in quae impenderentur 333 271.

sestertia, ac denarii 333, cum denarii *triente*, - - nec facile dictu esse cur hunc potissimum numerum statuerit, nisi quod *ternionis* naturam hic praedicare voluerit, quod is numerus et perfectus natura sit, et inter impares primus, in eoque multitudinis initium, et primae differentiae, omniumque numerorum elementa eo contineantur." Livius quidem (22, 10) idem narrans factum paululum differt in pretio; sed numerum aeque superstitiosum tradit, nempe „aeris 33333 $\frac{1}{3}$," (*conf. Xyland. ad h. l.*). Atque praeter insigne hoc in viro etiam celeberrimo de numero *ternario* superstitionis exemplum Plinius (28, 2, 4) aliud de Caesare affert: „Ferunt," inquit, „illum dictatorem post unum ancipitem vehiculi casum semper ut primum consedisset, id quod plerosque nunc facere scimus, carmine *ter repetito* securitatem itinerum aucupari solitum."

272. Nec ternario numero simpliciter adhibito contenti aliis numeris eum augebant. Ita apud Ovidium (*metam.* 14, 58) legitur „*ter novies* carmen magico demurmurat ore:" et Stolo apud Varronem (*de R. R.* 1, 2, 27. *p.* 159) remedium contra podagram hoc tradit: „Quum homini pedes dolere coepissent qui tui meminisset, ei mederi posse: Ego tui memini, medere meis pedibus. Terra pestem teneto. Salus hic maneto in meis pedibus. Hoc *ter novies* cantare jubet." Similiter Marcellus Empiricus (*c.* 11. *p.* 87): „Ad aurem ejusdem partis, de qua per narem sanguis fluit dici oportet *ter novies σοχσοχαμ συχυμα.*" Suum enim novenario numero inde

ab Homeri temporibus honorem quoque fuisse ex supra (§. 227) adlatis satis patet.

Atque eodem tramite, quod pudet, perrexerunt Christiani. 273.
Audias velim ex eis Nicolaum Myrepsum (*in Fabric. bibl. Gr. XIII,* 6) haec praecipientem: „ubi radicem herbae Senecionis extraxeris, dic: Pater noster, Credo in unum deum, et Ave gratiosa, usque ad finem *ter!*". Qui idem lunaticos ab ortu Lunae usque ad ejus defectum daemonio vexatos liberat medicina data „dicat autem is qui bibit τρὶς ἅγιον. Quid? quod Ausonius (*Idyll.* 11), postquam permulta de ternario numero superstitiosa tradiderat, hoc tandem versu concludit:

Ter BIBE. Tres numerus super omnia, TER DEVS VNVS!

Balsamum etiam „in ecclesia Romana gravibus exorcismis et *trina* expiatione ad crucis modum facta, lustratur, *novies*que cum multo murmure genu *ter* flexo salutatur, Ave sanctum oleum, *ter* Ave sanctum chrisma, *ter* Ave sanctum balsamum: atque hujus ope et praestantia non solum exturbari creditur daemonium, sed ejus loco etiam substitui spiritus sanctus" (*Wierus de praestig. daemon. L. V. c.* 21. *f. Op. p.* 415). Vide nunc an sit

„una superstitio cunctis, haud concolor error."

Qua quidem superstitione ignorata vix quemquam futurum 274.
esse (§. 267) dixi, qui causam ter repetitae in inscriptionibus literae, ubi semel eam ponere suffecisset, perspiciat. De gemmis, in quibus tres K conspiciuntur, disseremus infra. In formula

Bαιν χωωωχ, de qua suo loco, Ω ter repetitur. In gemma quadam (*ap. Passerium III.* 220) voci, quam pro notissimo illo *IχΘυς* habeo, tres YYY pro una insertae sunt. Ex quibus omnibus mihi persvadeo, literam, licet ter repetita sit, semel tantum interpreti plerumque esse accipiendam (*conf. tamen* §. 617).

275. Ex Pythagorea de numeris doctrina quaedam superiori loco (§. 267) jam attuli. Hoc unum, quod ad gemmas aliquando illustrandas forsan conducere possit, addere lubet: numerorum quosdam diis esse dicatos, a veteribus tradi scriptoribus. Ita Porphyrius (*de sacrific. p. m.* 307. *et de abstin. II.* §. 36. *p.* 167.) „Pythagorei" scribit „circa numeros lineasque versati ex his etiam diis consecrabant, quum alium quidem numerum Minervam, alium Dianam, alium Apollinem appellarent: nec non Justitiae alium, alium Temperantiae nomine nuncuparent: et simili modo in figuris quoque et descriptionibus uterentur." Paulo clarius Plutarchus (*de Isid. p.* 354. *f.*) „ego vero" inquit, „sentio, quod Pythagorei unitatem appellant Apollinem; binarium Dianam, septenarium Minervam, primum cubum Neptunum, convenire cum eis, quae fixa sunt in templis (Aegyptiorum) atque adeo aguntur et pinguntur;" et paulo post (*p.* 381): „Pythagorei numeros quoque et figuras appellationibus ornaverunt deorum. Nam triangulum aequalium omnium laterum nominaverunt Minervam e vertice natam et Tritogeneiam, quia tribus perpendiculis eductis e tribus angulis suis dividitur. Vnitatem vocabulo Apollinis affecerunt; duplum

ejus Dianae, videlicet binarium; eundem binarium Contentionem et Audaciam vocaverunt; ternarium dignati sunt Justitiae titulo," cet. Quae si forsan cum gemmae alicujus inscriptione non conveniant, adire licet Martianum Capellam, qui (*L. VII. p.* 238 *sequ. et I. p.* 15) alia, et quidem hac ratione numeros distribuit: Monadem Jovi, diadem Junoni, Triadem Dianae, Tetradem Mercurio, Pentadem Mundo, Hexadem Veneri, Heptadem Palladi, Octoadem Cybelae, Enneadem Marti, et Decadem Jano. Servius contra (*ad Georg. I,* 277) quinarium numerum ait Minervae esse consecratum. Conferendus praeterea est Laurentius Lydus (*de diebus* 3. *p.* 40 *sequ. de mensib. p.* 208. *sequ.*).

CAPVT IV.

De signis quum astrologicis tum aliis.

In amuletis literae ipsae interdum vice signorum funguntur, qua de re supra (§. 225. 250 *sequ.*) jam egimus. Vera autem signa tum literis immixta, tum seorsum posita comparent. Quae sunt literis immixta ea in locum omissae alicujus literae interdum substituta esse videntur. Ita in amuleto quodam ex museo Marci Milesii a Kirchero edito (§. 600) loco soni OY globus alatus inscriptioni est insertus. Ejusdem rei aliud exemplum lamina ar- 276.

gentea (§. 10 *et in extr. h. op.*) praebet, in cujus versu octavo in verbo: CEPOYA pro litera Θ Solis quidem signum (§. 298) apparet, inversum tamen hoc modo ᑭ.

277. Praeter haec, quae literarum loco immixta esse diximus, alia signa vel astronomica sunt, vel adhuc inexplicabilia, superstitiosa certe (§. 334). Et astronomicorum quidem sicut in numis (*Wilde num. sel. p.* 101. *Vaillant de colon.* 330. *Barthelemy Mem. de l'acad. des inscr. XLI. p.* 501), ita etiam in gemmis amuletisque obviorum exempla satis multa exstant, quibus non solum planetarum et Zodiaci figurae ipsae exhibentur, sed adumbrata etiam earum species. Solis figura capite radiato, manu flagellum tenentis quam saepissime comparet (§. 566. *Chifflet. Tab. I. Capell. n.* 49. 71. 77. 155. *Passer. I. tab.* 2. 33. 35. 39. *al.*). Ita integra etiam conspicitur Veneris imago (§. 279. *Passer.* 75), Mercurii (*Chifflet.* 85. *Capell.* 7. 38. 68. 76. 87. 93. 94. 195. 198. 222. *Passer.* 89. 92. *sequ.*), Lunae (*Chifflet.* 87. *Passer.* 61) Saturni (*Passer.* 1), Jovis (*Chifflet.* 84. *Passer.* 7 *sequ.*), et Martis (*Chifflet.* 82. *Capell.* 1. 88. *Passer.* 101. 183). - - Eorundem planetarum et sola capita (§. 281. 296. 318), et breviata signa reperiuntur Jovis (§. 299. *Chifflet.* 84. 88. *Capell.* 7), Martis (§. 279. 296. 401. *Chifflet.* 76. 79. *Passer.* 33) Veneris (§. 279. 296. *Chifflet.* 79. *Capell.* 2. 7. 18. 55. *Montfauc. Suppl. I. Tab.* 47. *n.* 5. *Passer.* 33), Mercurii (*Montf. cit. Chifflet.* 85), Lunae (*Capell.* 22. 39. 62, 78. 84. 99. 142. 185. *cet. Passer.* 51. *sequ.*). Quarum quidem planetarum figu-

ris ut a diis ipsis distinguerentur plerumque stella addita est (*Mem. de l'acad.* 41. *p.* 502).

Singulorum in Zodiaco signorum pariter tam imagines, quam emblemata exhibentur, ut Arietis (§. 298. 401. *Passer.* 13. 154. 155) Tauri (§. 279. *Capell.* 2. 8. *Passer.* 144) Geminorum (*Capell.* 1) Cancri (*Chifflet.* 48. 87. 88. *Capell. n.* 7. *Passer.* 145. 146. 154) Leonis (§. 298. *Chifflet. n.* 40. *Capell. n.* 8. 90. *Passer.* 33. 147. *sequ.*) Librae (§. 279. *Capell.* 2. *Passer.* 13) Scorpionis (*Chifflet.* 88. 115. 116. *Passer.* 101. 145. 157 *sequ.*) Sagittarii (§. 281. 299. 334. *Chifflet.* 84. *Passer.* 34) Capricorni (*Cap.* 8. *Passer.* 155. 161. *sequ.*) Aquarii (*Capell.* 1. 8. 164) Piscium (*Capell.* 2. 7. *Chifflet.* 88. *Passer.* 145). - - Solam Virginem me nondum reperisse mirarer, nisi suspicari liceret, Cererem, quae saepe obvia est, confundi non nunquam cum Virgine. Neque hujus signum in eis desideratur gemmis, in quibus integer Zodiacus exprimitur (*Gorlaeus I.* 53. 104. *II.* 144. 423. 432. 494. *Chifflet.* 81. 82. 83. *et p.* 61. *Capell.* 39. *Kircheri Oedip. II. P.* 2. 214. *Causei mus. Rom. I.* 37. *Liceti gemm.* 196. *Raspe tab.* 17. *f. Passer. I. praef.* 1. *et tab.* 17. *Montfauc. I. Tab.* 10. 41. 64. 215. *II. Tab.* 60 *et* 170. *Suppl. I. Tab. post.* 2. *Tab.* 3. *et post.* 17. *Suppl. II. Tab.* 42. *Mus. Florent. II.* 88. *Belii literat. Hunno-Scyth. tab.* 4. *Pierres grav. d'Orleans I. tab.* 49. *p.* 210. *Tab.* 96. 97. *Memoir. de l'acad. des inscr. XXVI ad p.* 475. *XXXVI. ad. p.* 11.) quibuscum numi comparandi sunt (*Martorelli theca calam. p.* 344. *Du Choul relig. Rom. p.* 49. 63. 278.

Montf. I. Tab. 10. *II. Tab.* 15. *n.* 11. *Mus. Flor. IV.* 66. *Salengre III.* 132. *Spanheim I.* 690. *Vaill. num. max. p.* 93. *Mem. de l'acad. des inscr.* 41. *Tab. ad p.* 522, *unde etiam in Creuzeri symb. Tab.* 6. *n.* 12. *Kirch. Oedip. III.* 248. *Spon voy. I.* 447. *n.* 4. *Wheler num.* 64) et calendarium rusticum (*Gruter.* 138. *Boissard. III.* 140. *Graev. thesaur. VIII.* 20), aliaque monimenta (*Graev. thes. V,* 747. *Boldetti p.* 500. *Bartoli sepolcri Tab.* 22).

279. Ac certe gemmas interpretaturi, qui astrologicarum rerum ignari sunt, saepe frustra laborabunt, nec verum imaginum sensum capient. Sic Montfauconium, qui tot prisci aevi reliquias tractaverat, ad hanc a se (*suppl. I. Tab.* 47. *n.* 5) editam gemmam



omnino dubius haec adscripsit verba (*p.* 128): „Aenigma est, ad cujus intelligentiam pertingere nequimus. Nuda Venus stat supra

decumbentem taurum. - - Ante tauri caput aves duae visuntur sese mutuo osculantes et pone taurum duae quadrupedes animantes id ipsum agentes. Supra Venerem duo characteres sunt, queis uti solent ad planetas et signa coelestia indicanda. - - - Cur haec signa? an, ut indicentur eae anni tempestates, queis maxime animalia coire solent? At etiamsi ita res esset, quid significaverit illa Venus tauro insistens: nisi forte dicatur per taurum hic Lunam significari, ut in Mithriacis anaglyphis," cet. - - Haec ille! qui, si aliquam astrologiae notionem habuisset non adeo a vero aberrasset. Namque omnes in gemma imagines ab astrologorum et poetarum somniis petitae sunt. Hasta, quam Venus manu tenet, Martis est, eaque Venus, quam armatam dicunt, pingitur: quod quo certius ab interprete agnosceretur, dua horum planetarum signa super imposita sunt, Martis alterum, alterum Veneris. Quae quidem signa in gemmis (*Chifflet.* 79. *Passer.* 33. *Wilde.* 175. 186) quam saepissime consociata, quin etiam una figura sic ♀♂ videmus juncta (*Mus. Flor.* 2, 13, 4), ita ut illa poetae (*Claudiani Magn.* 24) de Marte et Venere verba

Aurati delubra tenent communia templi


nobis succurrant. - - Taurus autem Zodiaci signum est, et sicut in alia gemma Solis domus in Leone repraesentatur (§. 298), ita in hac Veneris in Tauro domicilium effingitur. Hujus planetae enim duae sunt domus Taurus et Libra (§. 282) quas in aliis quoque monimentis (*Molinet. tab.* 31. *n.* 12. *et* 13. *Mem. de l'acad.* 41.

tab. ad p. 22. *n.* 4 *et* 10) videre licet; ac ne dubitares, utrinsque signum in inferiori gemmae parte incisum est. Animalibus denique sese osculantibus amor mutuus sive reciprocus significatur, quo etiam libra spectare potest, cui non absimilis binarum avium forma est: nisi illis significari cum physicis (*ap. Laur. Lyd. mense Apr.* 44. *p.* 210) malueris vernum tempus. Ceterum ex pluribus argumentis de remota hujus gemmae aetate dubitare licet.

280. Eadem astrologiae ignorantia Molinetum (*p.* 120. *II.*) induxisse videtur, ut Arietis signo in gemma, quam infra (§. 401) producemus, mensem Martium significari arbitraretur. Etenim quum in superiori ejusdem gemmae parte Martis signum conspiciatur, illud in inferiori parte signum Arietis primam Martis domum repraesentare rectius conjeceris. Altera hujus planetae domus Scorpius est, quam alia ejusdem musei (*n.* 6. *ej. tab.*) gemma conspiciendam praebet. - - Difficilius in gemma quadam (*Winckelm. cat. p.* 91. *n.* 393) explicantur Mercurii imagini adstantes ab altera parte Aries, ab altera Scorpius. Illum quidem fidelem Mercurii comitem esse nemo ignorat (*Apiani inscr.* 422. *Velseri op.* 367. *Mus. Pio-Clem. IV. Tab.* 4. *Vaillant. num. aer. I.* 199. *Pignor. mens. Isiac. p.* 22. *Montf. V.* 166. *Mem. de l'acad.* 32. *tab. ad p.* 262. *Beger. thesaur. III.* 448. *Ej. spicil. ant.* 35) vel quia deus ille arietis mollitie delectari (§. 593) et prae ceteris greges tueri existimaretur (*Pausan.* 2, 3, 4) vel quia Criophorus pestem avertisse diceretur (*Id.* 9, 22, 1). Sed Scorpii, quem in alia etiam gemma (*ap.*

Chifflet. 116) una cum Ariete Mercurio additum esse videmus, argumentum vix intelligitur, quoniam ab ambiguo vocis Nepae sensu ortum esse videtur. „Nepa" enim Festus ait „Afrorum lingua sidus quod *Cancer* appellatur, vel, ut quidam volunt, *Scorpius.*" Cancri autem tutelaris deus ipse Mercurius est (§. 324) et cum Cancro permutatus Scorpius hinc recte huic deo tribuitur. Winckelmannus vero harum rerum immemor ad Macrobium confugit et Mercurio Solem repraesentari conjicit, Scorpio autem vim Solis! - - Non magis astrologiae peritum Gorium fuisse infra (§. 293) videbimus.

Neque hoc loco silentio praetereunda gemma haec est 281.



quia tot torsit viros vel doctissimos (*Mem. de l'acad. I.* 279. *Montfauc. II. p.* 244. *ad tab.* 99). Verum ejus sensum tandem perspe-

xit Passerius (*II. p.* 80) eumque secutus Martorellius (*p.* 328), suppresso tamen illius nomine. Incisi nimirum in hoc monimento praeter Solem et Lunam crescentem sunt quinque planetae minores, in quibus Iupiter ad exemplum Ammonis corniger est pictus. Solis imago dubia, siquidem magnam illam stellam, quam pro Sole equidem accipio, alii pro Zodiaci signo, Sagitarii capiti impositο, forsan habere malint. At vero Solem omnino abesse vix statuere licet. Nam globulus supra Saturnum pro Sole haberi nequit, quia ad minorem illum planetam spectat, id quod alia gemma (*ap. Passer. n.* 2) docet, in qua idem globus Saturno pariter est impositus, sive ut eo significaretur, hunc planetam omnium altissimum esse, sive aliam cum Passerio (*II. p.* 44) causam statuere malueris. Clarius quam Sol et Luna capita minorum planetarum distinguuntur. Sunt enim scriptores (*Arat. phoenom. Antw.* 1553. *p.* 304. *Cic. Arat. v.* 227. *Macrob. somn. Scip.* 2, 10. *Horapoll.* 1, 13. *Hygin.* 2, 42. *p.* 415. 4, 15. *p.* 485. *Manetho* 2, 14. *Seneca nat. qu.* 7, 3. *conf. Sext. Empir. V. p.* 343), qui planetarum numerum quinarium (§. 287) efferant, Solem et Lunam in eorum censum neutiquam referentes. Qui denique in medio positus Sagittarius minime, quod Passerio (*p.* 82) visum est, Saturnum telo petit: nam quoquo modo versus planetarum unum vel alterum ut adspiceret necesse erat, unde fortuitus hic ejus situs videri debet. Melius Martorelli (*p.* 329) Sagittarium censet sidus natalitium fuisse ejus qui gemmam incidendam curarit pariter atque Augu-

stum thema suum nota Capricorni vulgasse (§. 135) vidimus. Quanti enim Romani genethliacen fecerint ex scriptoribus, praesertim historiae Augustae, patet.

Sed eorum commodo prospiciens, quos taedet longius ex va- 282.
riis multorum librorum locis quae huc pertinent operose conquirere, equidem ex veterum scriptis tabulas quasdam composui, quarum alteram de Zodiaci signis infra (§. 520) dabo, alteram de planetis hac pagina versa videbis. Atque in ea Latinis planetarum nominibus bina adjunximus Graeca, quorum priora nomina sunt ipsorum planetarum (*Censorin.* 13), posteriora proprie deorum (*Eratosth.* 43). Illa quidem Isidorus (*etym.* 3, 71, 20) recte Graeca, Firmicus autem (2, 3) et Laurentius Lydus (*m. Mart. p.* 184) Aegyptiaca esse tradunt, sive Graecos Alexandriae degentes Aegyptiorum nomine appellarint, sive illa nomina ex Aegyptiaca lingua in Graecam translata esse significare voluerint. Diversa sane fuisse Aegyptiaca et Graeca ex Achillis Tatii (*Petav. uran.* 136) verbis patet, licet nomina ipsa non pronuntiarit. Quae Kircherus (*prodr. Copt. c. 5. p.* 147) prodidit non vera Aegyptiorum sunt, sed ex variis linguis mixta. Chaldaica autem planetarum nomina Buxtorfius (1034) nos edocuit, quibuscum Kircheri Chaldaica conveniunt, praeterquam quod ab eo Sol nomine שמש dicitur. Reuchlinus autem (*cabb.* 71) inter שמש, luminare magnum, et חמה, Solis sphaeram (?), distinguit. Planetarum Arabica nomina apud Kircherum et Persica apud Reimarum (*ad Dion. Cass. p.* 123) reperies.

Planetarum nomina	Planetarum signa	Vocales literae quibus planetae significantur, tradente Porphyrio.	Vocales literae quibus planetae significantur, tradente L. Lydo.	Lyrae chordae planetis comparatae.	Quaenam musae planetas amplectantur?	Metalla iisdem signis, quibus planetae notata.
SATURNUS. Φαινων. Κρονος. שבתי	♄	Υ aliis Ω	Ι	Ω Ὑπατημεσων. Suprema mediarum.	Polymnia.	PLVMBVM. Μολυβδος.
IVPITER. Φαεθων. Ζευς. צדק	♃	Ω aliis Υ	Ω	Υ Παρυπατη μεσων. Supremae mediarum proxima.	Euterpe.	FERRVM. Σιδηρος.
MARS. Πυροεις. Ἀρης. (Θουρος) מאדים	♂	Ο	Ο	Ο Λιχανος μεσων. Indicis mediarum.	Erato.	MET. MIXT. Ἠλεκτρος.
SOL. Ἡλιος. חמה	☉	Ι	Η	Ι Μεση. Media.	Melpomene.	AVRVM. Χρυσος.
VENVS. Φωσφορος. Ἀφροδιτη. נוגה	♀	Α	Ε	Η Τριτη συνημμενων. Tertia conjunctarum.	Terpsichore.	AES. Χαλκος.
MERCVRIVS. Στιλβων. Ἑρμης. כוכב	☿		Α	Ε Παρανητη συνημμενων. Penultima conjunctarum.	Calliope.	STANNVM. Κασσιτερος.
LVNA. Σεληνη. לבנה	☽		Υ	Α Νητη συνημμενων. Infima conjunctarum.	Thalia.	ARGENTVM Ἀργυρος.

Colores planetis tribui soliti.	Sortium in planetis loci.	Membra corporis quibus planetae praesunt.	Planetarum dona.	Numeri eis dicati.	Angeli planetis praepositi.	Planetarum domicilia in signis Zodiaci horumque	
						signa.	nomina.
Nigrum. Μελαν.	Νεμεσις.	Auris dextra. Splen et Fel.	Humor.	3. 9. 15. 45.	קפריאל	♒ ♑	Aquarius et Capricornus.
Candidum vel Clarum Λαμπρον.	Νικη.	Auris sinistra et Hepar.	Temperantia.	4. 16. 34. 136.	צדקיאל	♐ ♓	Sagittarius et Pisces.
Rubrum. Κιῤῥον.	Τολμα.	Hepar et Nares.	Sanguis.	5. 25. 65. 325.	סמאל	♈ ♏	Aries et Scorpio.
Lucidum Διαυγη.	Δαιμων.	Caput, Spiritus et Oculus dexter.	Spiritus.	6. 36. 111. 666.	רפאל	♌	Leo.
Varium. Ποικιλον.	Ερως.	Nares.	Voluptas.	7. 49. 175. 1225.	ענאל	♉ ♎	Taurus et Libra.
Luteum. Ωχρον.	Αναγκη.	Os. Lingua et Manus.	Ingenium et Lingua.	8. 64. 260. 2080.	מכאל	♊ ♍	Gemini et Virgo.
Aerinum. Αέρωδη.	Τυχη.	Oculus sinister.	Corpus.	9. 81. 369. 3321.	גבריאל	♋	Cancer.

gentea (§. 10 *et in extr. h. op.*) praebet, in cujus versu octavo in verbo: CEPOYA pro litera Θ Solis quidem signum (§. 298) apparet, inversum tamen hoc modo ⚲.

277. Praeter haec, quae literarum loco immixta esse diximus, alia signa vel astronomica sunt, vel adhuc inexplicabilia, superstitiosa certe (§. 334). Et astronomicorum quidem sicut in numis (*Wilde num. sel. p.* 101. *Vaillant de colon.* 330. *Barthelemy Mem. de l'acad. des inscr. XLI. p.* 501), ita etiam in gemmis amuletisque obviorum exempla satis multa exstant, quibus non solum planetarum et Zodiaci figurae ipsae exhibentur, sed adumbrata etiam earum species. Solis figura capite radiato, manu flagellum tenentis quam saepissime comparet (§. 566. *Chifflet. Tab. I. Capell. n.* 49. 71. 77. 155. *Passer. I. tab.* 2. 33. 35. 39. *al.*). Ita integra etiam conspicitur Veneris imago (§. 279. *Passer.* 75), Mercurii (*Chifflet.* 85. *Capell.* 7. 38. 68. 76. 87. 93. 94. 195. 198. 222. *Passer.* 89. 92. *sequ.*), Lunae (*Chifflet.* 87. *Passer.* 61) Saturni (*Passer.* 1), Jovis (*Chifflet.* 84. *Passer.* 7 *sequ.*), et Martis (*Chifflet.* 82. *Capell.* 1. 88. *Passer.* 101. 183). - - Eorundem planetarum et sola capita (§. 281. 296. 318), et breviata signa reperiuntur Jovis (§. 299. *Chifflet.* 84. 88. *Capell.* 7), Martis (§. 279. 296. 401. *Chifflet.* 76. 79. *Passer.* 33) Veneris (§. 279. 296. *Chifflet.* 79. *Capell.* 2. 7. 18. 55. *Montfauc. Suppl. I. Tab.* 47. *n.* 5. *Passer.* 33), Mercurii (*Montf. cit. Chifflet.* 85), Lunae (*Capell.* 22. 39. 62, 78. 84. 99. 142. 185. *cet. Passer.* 51. *sequ.*). Quarum quidem planetarum figu-

ris ut a diis ipsis distinguerentur plerumque stella addita est (*Mem. de l'acad.* 41. *p.* 502).

Singulorum in Zodiaco signorum pariter tam imagines, quam emblemata exhibentur, ut Arietis (§. 298. 401. *Passer.* 13. 154. 155) Tauri (§. 279. *Capell.* 2. 8. *Passer.* 144) Geminorum (*Capell.* 1) Cancri (*Chifflet.* 48. 87. 88. *Capell. n.* 7. *Passer.* 145. 146. 154) Leonis (§. 298. *Chifflet. n.* 40. *Capell. n.* 8. 90. *Passer.* 33. 147. *sequ.*) Librae (§. 279. *Capell.* 2. *Passer.* 13) Scorpionis (*Chifflet.* 88. 115. 116. *Passer.* 101. 145. 157 *sequ.*) Sagittarii (§. 281. 299. 334. *Chifflet.* 84. *Passer.* 34) Capricorni (*Cap.* 8. *Passer.* 155. 161. *sequ.*) Aquarii (*Capell.* 1. 8. 164) Piscium (*Capell.* 2. 7. *Chifflet.* 88. *Passer.* 145). - - Solam Virginem me nondum reperisse mirarer, nisi suspicari liceret, Cererem, quae saepe obvia est, confundi non nunquam cum Virgine. Neque hujus signum in eis desideratur gemmis, in quibus integer Zodiacus exprimitur (*Gorlaeus I.* 53. 104. *II.* 144. 423. 432. 494. *Chifflet.* 81. 82. 83. *et p.* 61. *Capell.* 39. *Kircheri Oedip. II. P.* 2. 214. *Causei mus. Rom. I.* 37. *Liceti gemm.* 196. *Raspe tab.* 17. *f. Passer. I. praef.* 1. *et tab.* 17. *Mont. fauc. I. Tab.* 10. 41. 64. 215. *II. Tab.* 60 *et* 170. *Suppl. I. Tab. post.* 2. *Tab.* 3. *et post.* 17. *Suppl. II. Tab.* 42. *Mus. Florent. II.* 88. *Belii literat. Hunno-Scyth. tab.* 4. *Pierres grav. d'Orleans I. tab.* 49. *p.* 210. *Tab.* 96. 97. *Memoir. de l'acad. des inscr. XXVI ad p.* 475. *XXXVI. ad. p.* 11.) quibuscum numi comparandi sunt (*Martorelli theca calam. p.* 344. *Du Choul relig. Rom. p.* 49. 63. 278.

Montf. I. Tab. 10. *II. Tab.* 15. *n.* 11. *Mus. Flor. IV.* 66. *Salengre III.* 132. *Spanheim I.* 690. *Vaill. num. max. p.* 93. *Mem. de l'acad. des inscr.* 41. *Tab. ad p.* 522, *unde etiam in Creuzeri symb. Tab.* 6. *n.* 12. *Kirch. Oedip. III.* 248. *Spon voy. I.* 447. *n.* 4. *Wheler num.* 64) et calendarium rusticum (*Gruter.* 138. *Boissard. III.* 140. *Graev. thesaur. VIII.* 20), aliaque monimenta (*Graev. thes. V,* 747. *Boldetti p.* 500. *Bartoli sepolcri Tab.* 22).

279. Ac certe gemmas interpretaturi, qui astrologicarum rerum ignari sunt, saepe frustra laborabunt, nec verum imaginum sensum capient. Sic Montfauconium, qui tot prisci aevi reliquias tractaverat, ad hanc a se (*suppl. I. Tab.* 47. *n.* 5) editam gemmam



omnino dubius haec adscripsit verba (*p.* 128): „Aenigma est, ad cujus intelligentiam pertingere nequimus. Nuda Venus stat supra

decumbentem taurum. - - Ante tauri caput aves duae visuntur sese mutuo osculantes et pone taurum duae quadrupedes animantes id ipsum agentes. Supra Venerem duo characteres sunt, queis uti solent ad planetas et signa coelestia indicanda. - - - Cur haec signa? an, ut indicentur eae anni tempestates, queis maxime animalia coire solent? At etiamsi ita res esset, quid significaverit illa Venus tauro insistens: nisi forte dicatur per taurum hic Lunam significari, ut in Mithriacis anaglyphis," cet. - - Haec illel qui, si aliquam astrologiae notionem habuisset non adeo a vero aberrasset. Namque omnes in gemma imagines ab astrologorum et poetarum somniis petitae sunt. Hasta, quam Venus manu tenet, Martis est, eaque Venus, quam armatam dicunt, pingitur: quod quo certius ab interprete agnosceretur, dua horum planetarum signa super imposita sunt, Martis alterum, alterum Veneris. Quae quidem signa in gemmis (*Chifflet.* 79. *Passer.* 33. *Wilde.* 175. 186) quam saepissime consociata, quin etiam una figura sic ♉♂ videmus juncta (*Mus. Flor.* 2, 13, 4), ita ut illa poetae (*Claudiani Magn.* 24) de Marte et Venere verba

Aurati delubra tenent communia templi


nobis succurrant. - - Taurus autem Zodiaci signum est, et sicut in alia gemma Solis domus in Leone repraesentatur (§. 298), ita in hac Veneris in Tauro domicilium effingitur. Hujus planetae enim duae sunt domus Taurus et Libra (§. 282) quas in aliis quoque monimentis (*Molinet. tab.* 31. *n.* 12. *et* 13. *Mem. de l'acad.* 41.

tab. ad p. 22. *n.* 4 *et* 10) videre licet; ac ne dubitares, utriusque signum in inferiori gemmae parte incisum est. Animalibus denique sese osculantibus amor mutuus sive reciprocus significatur, quo etiam libra spectare potest, cui non absimilis binarum avium forma est: nisi illis significari cum physicis (*ap. Laur. Lyd. mense Apr.* 44. *p.* 210) malueris vernum tempus. Ceterum ex pluribus argumentis de remota hujus gemmae aetate dubitare licet.

280. Eadem astrologiae ignorantia Molinetum (*p.* 120. *II.*) induxisse videtur, ut Arietis signo in gemma, quam infra (§. 401) producemus, mensem Martium significari arbitraretur. Etenim quum in superiori ejusdem gemmae parte Martis signum conspiciatur, illud in inferiori parte signum Arietis primam Martis domum repraesentare rectius conjeceris. Altera hujus planetae domus Scorpius est, quam alia ejusdem musei (*n.* 6. *ej. tab.*) gemma conspiciendam praebet. - - Difficilius in gemma quadam (*Winckelm. cat. p.* 91. *n.* 593) explicantur Mercurii imagini adstantes ab altera parte Aries, ab altera Scorpius. Illum quidem fidelem Mercurii comitem esse nemo ignorat (*Apiani inscr.* 422. *Velseri op.* 367. *Mus. Pio-Clem. IV. Tab.* 4. *Vaillant. num. aer. I.* 199. *Pignor. mens. Isiac. p.* 22. *Montf. V.* 166. *Mem. de l'acad.* 32. *tab. ad p.* 262. *Beger. thesaur. III.* 448. *Ej. spicil. ant.* 55) vel quia deus ille arietis mollitie delectari (§. 593) et prae ceteris greges tueri existimaretur (*Pausan.* 2, 3, 4) vel quia Criophorus pestem avertisse diceretur (*Id.* 9, 22, 1). Sed Scorpii, quem in alia etiam gemma (*ap.*

Chifflet. 116) una cum Ariete Mercurio additum esse videmus, argumentum vix intelligitur, quoniam ab ambiguo vocis Nepae sensu ortum esse videtur. „Nepa“ enim Festus ait „Afrorum lingua sidus quod *Cancer* appellatur, vel, ut quidam volunt, *Scorpius*.“ Cancri autem tutelaris deus ipse Mercurius est (§. 324) et cum Cancro permutatus Scorpius hinc recte huic deo tribuitur. Winckelmannus vero harum rerum immemor ad Macrobium confugit et Mercurio Solem repraesentari conjicit, Scorpio autem vim Solis! - - Non magis astrologiae peritum Gorium fuisse infra (§. 293) videbimus.

Neque hoc loco silentio praetereunda gemma haec est 281.



quia tot torsit viros vel doctissimos (*Mem. de l'acad. I.* 279. *Montfauc. II. p.* 244. *ad tab.* 99). Verum ejus sensum tandem perspe-

xit Passerius (*II. p.* 80) eumque secutus Martorellius (*p.* 528), suppresso tamen illius nomine. Incisi nimirum in hoc monimento praeter Solem et Lunam crescentem sunt quinque planetae minores, in quibus Iupiter ad exemplum Ammonis corniger est pictus. Solis imago dubia, siquidem magnam illam stellam, quam pro Sole equidem accipio, alii pro Zodiaci signo, Sagitarii capiti imposito, forsan habere malint. At vero Solem omnino abesse vix statuere licet. Nam globulus supra Saturnum pro Sole haberi nequit, quia ad minorem illum planetam spectat, id quod alia gemma (*ap. Passer. n.* 2) docet, in qua idem globus Saturno pariter est impositus, sive ut eo significaretur, hunc planetam omnium altissimum esse, sive aliam cum Passerio (*II. p.* 44) causam statuere malueris. Clarius quam Sol et Luna capita minorum planetarum distinguuntur. Sunt enim scriptores (*Arat. phoenom. Antw.* 1555. *p.* 304. *Cic. Arat. v.* 227. *Macrob. somn. Scip.* 2, 10. *Horapoll.* 1, 13. *Hygin.* 2, 42. *p.* 415. 4, 15. *p.* 485. *Manetho* 2, 14. *Seneca nat. qu.* 7, 3. *conf. Sext. Empir. V. p.* 345), qui planetarum numerum quinarium (§. 287) efferant, Solem et Lunam in eorum censum neutiquam referentes. Qui denique in medio positus Sagittarius minime, quod Passerio (*p.* 82) visum est, Saturnum telo petit: nam quoquo modo versus planetarum unum vel alterum ut adspiceret necesse erat, unde fortuitus hic ejus situs videri debet. Melius Martorelli (*p.* 529) Sagittarium censet sidus natalitium fuisse ejus qui gemmam incidendam curarit pariter atque Augu-

stum thema suum nota Capricorni vulgasse (§. 135) vidimus. Quanti enim Romani genethliacen fecerint ex scriptoribus, praesertim historiae Augustae, patet.

Sed eorum commodo prospiciens, quos taedet longius ex va- 282.
riis multorum librorum locis quae huc pertinent operose conquirere, equidem ex veterum scriptis tabulas quasdam composui, quarum alteram de Zodiaci signis infra (§. 520) dabo, alteram de planetis hac pagina versa videbis. Atque in ea Latinis planetarum nominibus bina adjunximus Graeca, quorum priora nomina sunt ipsorum planetarum (*Censorin.* 13), posteriora proprie deorum (*Eratosth.* 43). Illa quidem Isidorus (*etym.* 3, 71, 20) recte Graeca, Firmicus autem (2, 3) et Laurentius Lydus (*m. Mart. p.* 184) Aegyptiaca esse tradunt, sive Graecos Alexandriae degentes Aegyptiorum nomine appellarint, sive illa nomina ex Aegyptiaca lingua in Graecam translata esse significare voluerint. Diversa sane fuisse Aegyptiaca et Graeca ex Achillis Tatii (*Petav. uran.* 136) verbis patet, licet nomina ipsa non pronuntiarit. Quae Kircherus (*prodr. Copt. c.* 5. *p.* 147) prodidit non vera Aegyptiorum sunt, sed ex variis linguis mixta. Chaldaica autem planetarum nomina Buxtorfius (1034) nos edocuit, quibuscum Kircheri Chaldaica conveniunt, praeterquam quod ab eo Sol nomine שמש dicitur. Reuchlinus autem (*cabb.* 71) inter שמש, luminare magnum, et חמה, Solis sphaeram (?), distinguit. Planetarum Arabica nomina apud Kircherum et Persica apud Reimarum (*ad Dion. Cass. p.* 123) reperies.

Planetarum nomina	signa.	Vocales literae quibus planetae significantur, tradente Porphyrio.	L. Lydo.	Lyrae chordae planetis comparatae.	Quaenam musae planetas amplectantur?	Metalla iisdem signis, quibus planetae notata.
SATURNUS. Φαινων. Κρόνος. שבתי	♄	Υ aliis Ω	Ι	Ω Ὑπατημεσων. Suprema mediarum.	Polymnia.	PLVMBVM. Μολυβδος.
IVPITER. Φαεθων. Ζευς. צדק	♃	Ω aliis Υ	Ω	Υ Παρυπατη μεσων. Supremae mediarum proxima.	Euterpe.	FERRVM. Σιδηρος.
MARS. Πυροεις. Ἀρης. (Θουρος) מאדים	♂	Ο	Ο	Ο Λιχανος μεσων. Indicis mediarum.	Erato.	MET. MIXT. Ἠλεκτρος.
SOL. Ἡλιος. חמה	☉	Ι	Η	Ι Μεση. Media.	Melpomene.	AVRVM. Χρυσος.
VENVS. Φωσφορος. Ἀφροδιτη. נוגה	♀	Α	Ε	Η Τριτη συνημμενων. Tertia conjunctarum.	Terpsichore.	AES. Χαλκος.
MERCVRIVS. Στιλβων. Ἑρμης. כוכב	☿		Α	Ε Παρανητη συνημμενων. Penultima conjunctarum.	Calliope.	STANNVM. Κασσιτερος.
LVNA. Σεληνη. לבנה	☽		Υ	Α Νητη συνημμενων. Infima conjunctarum.	Thalia.	ARGENTVM Ἀργυρος.

Colores planetis tribui soliti.	Sortium in planetis loci.	Membra corporis quibus planetae praesunt.	Planetarum dona.	Numeri eis dicati.	Angeli planetis praepositi.	Planetarum domicilia in signis Zodiaci horumque signa.	nomina.
Nigrum. Μελαν.	Νεμεσις.	Auris dextra. Splen et Fel.	Humor.	3. 9. 15. 45.	קפריאל	♒ ♑	Aquarius et Capricornus.
Candidum vel Clarum Λαμπρον.	Νικη.	Auris sinistra et Hepar.	Temperantia.	4. 16. 34. 136.	צדקיאל	♐ ♓	Sagittarius et Pisces.
Rubrum. Κιῤῥον.	Τολμα.	Hepar et Nares.	Sanguis.	5. 25. 65. 325.	סמאל	♈ ♏	Aries et Scorpio.
Lucidum Διαυγη.	Δαιμων.	Caput, Spiritus et Oculus dexter.	Spiritus.	6. 36. 111. 666.	רפאל	♌	Leo.
Varium. Ποικιλον.	Ἐρως.	Nares.	Voluptas.	7. 49. 175. 1225.	ענאל	♉ ♎	Taurus et Libra.
Luteum. Ωχρον.	Αναγκη.	Os. Lingua et Manus.	Ingenium et Lingua.	8. 64. 260. 2080.	מכאל	♊ ♍	Gemini et Virgo.
Aerinum. Αερωδη.	Τυχη.	Oculus sinister.	Corpus.	9. 81. 369. 3321.	גבריאל	♋	Cancer.

283. Quoniam autem in amuletis antiquis planetarum nomina Hebraeis literis nunquam scripta sunt, sed vel Graecis, vel Latinis; scire omnino refert, quomodo Semitica illa nomina a Graecis Romanisque literis suis expressa fuerint. Illud discimus ab Epiphanio (*haer.* 16. §. 2. *p.* 34); hoc a *Beda* (*Op. I.* 372), quos secutus nomina in tabulam retuli, quae sequitur, ubi tamen in Lunae nomine, quod AABANA est apud Epiphanium articulum omisi et pro LIBALA apud Bedam LIBANA scripsi.

Planetarum nomina			
Latina.	Semitica scripta literis		
	Hebraeis.	Graecis.	Latinis.
Saturnus.	שבתי	ΣΑΒΗΘ.	SABBAI.
Jupiter.	צדק		SEDECH.
	בעל	ΒΑΑΛ.	
Mars.	מאדים		MADEI.
		ΟΚΜΩΛ.	
Sol.	חמה שמש	ΗΜΑ. ΣΕΜΕΣ.	HAMA.
Venus.	נוגה		NOGA.
		ΣΕΡΟΤΑ et ΛΟΤΗΔ.	
Mercurius.	כוכב	ΧΩΧΕΒ.	COCAPH.
		ΟΧΜΟΔ.	
Luna.	לבנה ירח	ΑΒΑΝΑ. ΙΕΡΕΕ.	LIBANA.

Ignota illa Martis, Veneris et Mercurii nomina viri docti quidem (*Petav. ad Epiph. p.* 34) Semiticae linguae ope interpretari conati sunt: sed parum successit illis labor. Ac fieri etiam potuit librariorum mendis ut corrumperentur. Ita Martis ΟΚΜΩΛ et Mercurii ΟΧΜΟΔ nomina similia esse videntur. Alia denique Martis et Mercurii nomina, illius *Azizi*, hujus *Monimi*, Julianus imperator memoriae mandavit (*Op. p.* 150. 154); et *Bochartus* (*geogr. sacr. p.* 736. 812) explicare tentavit. Quod quum Semiticarum linguarum ope fieri posse vir doctus sibi persvaserit; contra tamen monendum esse videtur illud Monimi non solum pluribus scriptoribus nomen esse proprium (*Euseb. praep.* 4, 7, 16. *p.* 157. *Fabric. bibl. Gr. II.* 364. 365), ex quibus Syracusanum quendam civem Diogenis et Cratetis discipulum fuisse perhibeant (*Diog. Laert. in Monimo*); sed Graeca etiam voce *μονιμος stabilem* significari. Cui igitur Mercurii cognomini haud scio an forte lux adferri possit iis, quae ad Martianum Capellam in codice Monacensi (a me litera E signato) glossa habet. Martianus enim quum (*I. p.* 10) Mercurium planetam, fidelem Apollinis comitem „*remorata* statione *consistere*" dixerat, scholiasta haec adnotavit „radiis enim Solis confixus *stare* videtur *immobilis*, et tunc *stationarius* dicitur" (*conf. Isidor. de nat. rer. c.* 22. §. 3. *Op. VII. p.* 35). Martis autem illud nomen *αζιζος* vix Graece explicari poterit.

Planetarum ordo, qualem hic descripsimus incipientes a Saturno, vulgaris est (*Cic. de R. P. ed. Zell. p.* 127. 128. *Albric. in my-* 284.

thogr. Lat. Munkeri II. 301 *sequ.*); idemque ex quorundam sententia variat (*Plutarch. de placit. philos. II,* 15. *p.* 889), modo transpositis inter se Veneris et Mercurii signis (*Seldeni op. I.* 413); modo collocatis iisdem supra Solem (*Kirch. prodr. Copt.* 268), quae Platonis et Aristotelis opinio erat (*Stobaei eclog. phys. p.* 51. 54). Cujus diversae opinionis rationem Macrobius (*somn. Scip. I.* 19) explanavit. Cicero, Solem medium tenere locum scribens, Aegyptios secutus est. „Iis enim," Achille Tatio (*Petav. Uran. p.* 136), teste, „quartus planeta est Sol, quem Graeci sextum numerant." (*Conf. Plutarch. et Euseb.* 15, 50, 47. *p.* 846). Julianus etiam imperator (*orat. IV. p.* 135) de Sole haec scribit: „*media* quoque statio (ejus) ex se ipso medio; velut regis collocati, *ex medio,* quem *inter vagas et errantes stellas* habet, *ordine* ac *situ.*" Unde et Ausonius: (*Edyll.* 20. *f.*)

In medio residens complectitur omnia Phoebus.

A Chaldaeis quoque Sol dicitur μεσεμβολησας πυρ (*Orac. v.* 195). Ab hoc planetarum ordine omnino diversus est dierum ordo, de quo mox (§. 304) accuratius disputaturi sumus. Sed illo quidem manente alii a Luna incipiunt uti Servius, qui (*ad Georg. I.* 33) ordinem his verbis describit: „primus circulus a terra Lunae est, secundus Mercurii, tertius Veneris, quartus Solis, quintus Martis, sextus Jovis, Saturni ultimus." Incipit enim a planeta qui nobis est proximus; pariter atque Isidorus (*Op. VII. p.* 23) et Martianus Capella (*L. II. p.* 41–44) qui Philologiam in coelum ascendere fingens a Luna incipere coactus erat; quamvis alio loco (*L.*

I. p. 6) planetarum circulos amnium imagini comparans contrarium ordinem secutus erat. Astrologi denique diversis hominum aetatibus aliquem ex planetis praeficientes a Luna incipiunt. Rationem affert Ptolemaeus (*L. IV. c.* 9. *p.* 71. *f.*) hanc: „quia hic ordo a primis annis et a sphaera nobis affiniori, scilicet Lunari, sumit exordium, et in extremis annis ad ultimam planetarum sphaeram, quae Saturni dicitur, explicatur." In infantia igitur dominatur Luna; in pueritia Mercurius; in adolescentia Venus; in juventute Sol; in virili aetate Mars; in senectute Jupiter; in senio denique Saturnus." Quam quidem opinionem uberius etiam explanat Poclus (*de anim et daem. p. m.* 253. *ed. Lugd.* 1549).

Post planetas memorandus est polus, cujus tamen vocis non una eademque est significatio. Alia enim ratione polorum nomine extremae axis partes intelliguntur (*Cleomed. circ. theor. I. p.* 103. 125. *Proclus de sphaera, ab init. Geminus in elem. astr. ap. Petav. in Uran. p.* 13. *Mart. Capella p.* 45. 275. 276), unde et Cicero (*N. D.* 2, 41) 285.

Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus

canit. Sed alia ratione, quum vox illa monente Varrone (*de L. L.* 6. *p.* 73) a *πολεω, verto,* descendat, Horatius (*epod.* 17, 77), aliique Romanorum poetae, coelum ipsum illo nomine designant, et Censorinus (13) polum definiendo explicat „summum coelum, ubi signa sint;" Ciceroque ipse alio loco eum „summum coeli

stelliferum" appellat (§. 256) quemadmodum Plinius (2, 22) „circulum descriptum in duodecim animalium effigies," quem Macrobius (*somn. Sc.* 2, 4) „proprio nomine *coelum* dici" docet. - - Tonus autem, nomine ab arte musica quaesito intervallum inter duos orbes dicitur (*Plin.* 2, 22). In quorum spatiorum magnitudine definienda Isidorus quidem (*Op. VII. p.* 25), si mendum in nomine Saturni pro Signifero correxeris, cum Plinio, reliqui autem non omni ex parte consentiunt, prout ex tabula hic subjecta perspici potest:

Spatia	Ex sententia			
a	Plinii.	Censorini.	Hygini.	Martiani.
Terra ad Lunam..............	1	1	1	1
Luna ad Mercurium..........	1/2	1/2	1/2	1/2
Mercurio ad Venerem.........	1/2	1/2	1/2	1/2
Venere ad Solem............	1 1/2	1 1/2	1/2	1 1/2
Sole ad Martem..............	1	1	1 1/2	1/2
Marte ad Jovem..............	1/2	1/2	1	1/2
Jove ad Saturnum...........	1/2	1/2	1/2	1/2
Saturno ad Signiferum.......	1 1/2	1/2	1/2	1 1/2
Summa...........	7	6	6	6 1/2

Nec mirum tantopere inter se discrepare doctrinas illorum, qui frustra musicam cum mathesi conferre tentarint, siquidem omnino alia ratio est mensurae intervallorum, quae sunt inter sonos mu-

sicos, et eorum, quae inter corpora coelestia statuuntur: ut dudum ante Martorellium (341) monuerat Jacobus Milichius (*ad Plin. II.* 22. *p.* 166), atque ipse olim Pythagoras (*Censorin. c.* 10. *p.* 21) animadverterat.

Terram in mundi medio sitam (*Strabo L.* 15. *p. m.* 816. *Cleomedis circul. theor. I. p.* 121. *Isidori op. VII. p.* 62 *Diog. Laert. in Plat. p. m.* 231 *in Pythag. p. m.* 583) eamque, quasi circuli centrum (*Macrob. somn. Scip.* 1, 19) immobilem esse (*Varro ap. Augustin. de civ. dei* 7, 24. *Cic. orat.* 3, 45), plurimorum (*Timaeus Locr. c.* 3. §. 1. *Homeri vit. in Galei opusc. p.* 324 *f. Hygin astr.* 1, 8. *p.* 353 *de limitib. p.* 171 *Goesii. Mart. Cap. L.* 6. *p.* 191. 195. *L.* 8. *p.* 274. *Heraclid. ap. Gal. p.* 489), ita Judaeorum etiam (*Millii diss. sel. p.* 61) fuit sententia, nec non poetis (*Stat. Theb.* 8, 309. 312) celebrata, a quibus „firmum atque immobile mundi robur rerumque media" praedicatur. Quapropter in gemmis infra (§. 318) videbimus eam inter planetas in medio collocatam esse. Eademque de causa quasi immobilis Cybele sedens pingitur. Sed miramur Ciceronem (§. 256) et Plinium (2. 5, 4) qui in eodem sint errore, quem a Platone, jam sene, et Pythagoreis detectum fuisse Plutarchus (*in Numa p.* 67) docet. Nam prius de terra Platonem quoque statuisse, οὐσαν δ' ἐπι του μεσου κινεισθαι περι το μεσον Diogenes Laertius refert. 286.

Signa planetis adposita eadem sunt, quibus et nunc utimur, 287.
et quibus gemmas, paucas si exceperis, olim signatas esse (§. 279.

296. 299) videmus. Ex iis autem, quae in libris scriptis reperiuntur (*Cangii gloss. Gr. II. f. in not. Selden. in Op. II. 2. p.* 1536. *Waltheri lex. dipl.* 451), Salmasius (*ad Solin. ed. I. p.* 1235 *sequ.*) docuit, minime, quod plurimorum opinio fert, ea, sicut nunc, ita ab initio signa fuisse, qualis illorum in Zodiaco (§. 321) conditio esset; sed ex breviatis Graecis quinque (§. 281) planetarum nominibus, quae paucis literis olim scripta fuerint, in signa sensim abiisse. In Jovis planeta aperta quidem res est, neque audiendi, qui ex vulgari ejus figura ♃ sceptrum extorquere conentur. Antiquiori enim forma Ƶ (§. 299) *Ζευς* notabatur. Pariter quod hodie Saturni explicamus signum ♄ olim Ƙ (*Κρονος*) erat. Vulgare Martis quoque signum ♂, quamvis minus reprehendendi sint, qui nunc hastam cum clypeo conjunctam in eo videant, sensim tamen a nominis *Θουρου* literis originem traxisse, antiquior haec figura ♂ testatur. Et quod plerumque pro speculo habetur (*Visconti mus. Pio-Clem. II. p.* 146) Veneris signum ♀ (§. 279) olim hisce formis ♀, ♀, ♀ (§. 193) litera nimirum Φ (*Φωσφορος*), notatum est. Mercurii denique nota ☿ ex antiquiori ☿ (*Στιλβων*) emanavit. In quo licet S cum T conjuncta Latina esse videatur, rei periti tamen eandem Graecis cum Romanis communem fuisse (§. 186. 222) non ignorant. Minime igitur Mercurii planetae nota ab initio caduceum repraesentabat.

288. Vocales literas, quibus planetae aeque ac lyrae soni significantur, Barthelemy (*mem. de l'acad.* 41. 516) primum a gnosticis

ex Irenaei loco (1, 14, 7. *p.* 72) repetierat. Deinde mutandae sententiae (*Oeuvr. div. II.* 425) Porphyrius ei auctor fuit, quamvis et hujus lectio non ubique certa sit (*Commentar. Gotting. I.* 251). Quibus tertius addendus Laurentius Lydus est (*die Solis* 2. *p.* 38) haec referens: „omnes rythmi a planetarum motu pendent. Saturnus enim melo Dorio (*conf. Mart. Cap. p.* 44), Jupiter Phrygio, Mars Lydio, et reliqui reliquis ad sonum vocalium ex Pythagorae sententia moventur. Mercurii enim stella rythmum A, Veneris E, Solis H, Saturni I, Martis O, Lunae Y, et Jovis Ω efficiunt." Sed mendum his inesse suspicor, veriorque mihi illa videtur dispositio, quae in tabulae notrae columna ex vocalibus lyrae nervis adscriptis facta est. Mire enim cum ea congruit Martiani Capellae traditio, quippe qui (*L.* 9. *p.* 319) Mesen notari litera I doceat: quae eadem litera, media inter septem vocales, ad medium quoque inter planetas Solem (§. 284) repraesentandum omnino est apta.

Omnibus igitur illis scriptoribus inter se collatis hoc quidem patet, septem vocalibus, quum lyrae chordas, tum etiam planetas, notatos fuisse: sed quaenam vocales his singulis assignatae fuerint ob aliam aliorum expositionem adhuc dubium videri potest. In solo Marte, qui litera O designetur, omnes consentiunt, in reliquis variant. Neque hoc miramur qui observavimus ne ordinem quidem planetarum omnibus eundem fuisse, et ad quaestionem utrum gravior sonus Lunae, an Saturni sit (§. 256) scriptores dissentire. Hoc praeterea notatu dignum est Martem eun- 289.

dem tam in coelo quam in hebdomadis diebus tertium constanter locum occupare. Quam vulgares autem, et fere generales istae de sphaerarum harmonia nugae fuerint, ex Clemente Alexandrino patet, quippe qui, inter patres facile doctissimus, nihilominus (*strom.* 6. *p.* 684) doceat: „coelorum figuras sensiles literas esse vocales; ipsum enim dominum A et Ω dictum!"

290. Lyrae inventionem, sive citharae, unum enim idemque instrumentum fuisse contendunt (§. 256), alii aliis tribuerunt (*Homer. hymn. in Mercur.* 46. 51. 241. *Horat. carm.* 3, 11, 3. *Virgil. Aen.* 6, 646. *Hygin. astr.* 2, 7. *p.* 372); quatuor autem, quos in ea fuisse quidam tradunt, nervis Amphion (*Pausan.* 9, 5, 4) post similem, sed irritum Timothei Milesii conatum (§. 256) tres addidisse contra Homeri fidem fertur. Quos quidem ex Pythagorae sententia Vossius (*nat. art. III.* 20. *Op.* 3. *p.* 89) descripsit eorumque sonos Martianus Capella (*L.* 9. *p.* 319) recensuit: sed moneamus necesse est nomina chordarum, quae Veneri et Mercurio attribuuntur, a nobis esse transposita (§. 282). Pythagoras enim chordas illas hoc pacto disposuerat:

♀ παραντητη συνημμενων.

☿ τριτη συνημμενων.

A cujus opinione quatenus discesserit Ptolemaeus idem Vossius demonstravit. Vocales autem literas adscripsimus ex nostra, quam (§. 288) modo proposuimus, sententia.

291. Musas Martianus Capella, ut erat ingeniosus, cum planetis contulit. Harmonia enim coelestis tam his, quam illis, tribuitur,

musarumque ductori musica. Quoniam autem musarum novenarius numerus cum septenario planetarum vix componi poterat, Capella (*L.* 1. *p.* 11) „Uraniae stellantis mundi sphaeram tribuit extimam, quae acuto raptaretur sonora tinnitu;" Thaliae terram, „in ipso florentis campi ubere," ac reliquis denique septem planetas. Quibus et illam hominum opinionem (§. 256) confirmat, qua ducti credebant, sphaeras, quo magis remotae a terra essent, eo acutioren sonum edere. Uraniae autem ille ideo *„stellantis mundi sphaeram extimam"* adscripsisse videtur, quod nominis etymon respiceret, unde et Ausonius (*Eid.* 20) *„Urania coeli motus scrutatur et astra"* canit. Verbis denique usus *„florentis campi ubere"* quibus Thaliae locum definit, vocem *θαλεῖν* in mente habuisse videtur. Quibuscum conferenda sunt quae in opusculo „de harmonia et coelesti musica," quod Isidoro (*Op. VII.* 25) adscribitur, ita efferuntur: „Philosophi musas IX finxerunt, quia a terra usque ad coelum IX consonantias deprehenderunt, quas homini naturaliter insitas invenerunt."

Metallorum nomina ex Cangii glossario Graeco (*ad calc. p.* 16) exscripsimus. Quoniam autem in iis tradendis dissentiunt scriptores, fierique potuit, ut amuletorum auctores sententiam alii aliam respicerent; equidem cunctas ex variis scriptis (*Cangii et Agrippae, Celsi ap. Orig. p.* 290. *Bedae in Op. I.* 372, *et Kircheri in Oedip. II.* 2. 36. 179) haustas una tabula ad communem usum complexus sum, quae jam sequitur: 292.

Signa.	Cangius p. 16.	Celsus, p. 290.	Cangius 17 et Agrippa.	Beda I. 372.	Cangius p. 8. et 9.	Kircher. p. 179.	Kircher. p. 36.
♄	Plumbum Μολυβδος.	Plumbum. Μολυβδος.	Plumbum.	Coloris *ferrei.*	Plumbum. Μολυβδος.	Plumbum.	Plumbum.
☉	*Aurum* Χρυσος.	Aurum. Χρυσος.	Aurum.	Coloris aurei.	Aurum. Χρυσος.	Aurum.	Aurum.
☾	Argentum. Ἀργυρος.	Argentum. Ἀργυρος.	Argentum.	Coloris argentei.	Argentum Ἀργυρος.	Argentum	Argentum
♂	Met. mixt. Ἠλεκτρος.	Numismatis mixti. Κερκστου νομισμ.	Ferrum.	Coloris aerei.		Ferrum.	Ferrum.
☿	Stannum. Κασσιτερος.	Ferrum. Σιδηρος.	Argentum vivum.	Coloris plumbei.	Stannum. Κασσιτερ.	Cuprum.	Argentum vivum.
♃	Ferrum. Σιδηρος.	Aes. Χαλκος.	Stannum.	Coloris electrei.		Aes.	Stannum.
♀	Aes. Χαλκος.	Stannum. Κασσιτερος.	Aes s. Cuprum.	Coloris stannei.	Aes. Χαλκος.	Stannum.	Cuprum.

Qui ex prioribus columnis perspicitur metallorum ordo ceteris antiquior esse videtur, et ad eum disputatio nostra redibit infra (§. 308).

293. Colores deinde secundum Valentis (*ap. Salmas. de ann. clim.* 620) opinionem dispositos planetis adscripsimus: namque in diversas partes hujus etiam rei abierunt interpretes (*Kircher. Oed. II.* 179 *sequ. et ap. Salmas. l. c.*). Bedae quidem verba ad metallorum magis quam ad planetarum colores referenda esse arbitrati sumus. -- Sortibus septem inter planetas locos assignavimus, Salmasio (*p.* 129) duce, qui tamen in eo errare potuit, quod τυχην (*p.* 128)

semper *bonam* designari contenderet, quae ne deae quidem, illo nomine insignis, conditio semper erat. Macrobius certe (*Saturn.* 1, 19. *f.*), qui sortes ab Aegyptiorum diis praestitibus repetit, τυχην docet Lunam esse, „quia corporum praesul sit, quae *fortuitorum varietate* jactentur:" quamvis dissimulare nolim ab astrologis bina luminaria majora dici felicia. Quod apud Pausaniam (6, 2, 4) obvium est Antiochensium Τυχης ἀγαλμα Viscontius quidem (*mus. Pio-Clem.* 3. *p.* 256) jubet *Genii* simulacrum vertere: sed nolim viro quantumvis harum rerum perito temere adsensum praeberi. Quamvis enim Pausanias non docuerit, qua forma fuerit illud simulacrum; Viscontius tamen urbis imaginem, mulierem nempe turritam rupi insidentem, cujus ad pedes Orontes fluvius emergit, audacter intellexit. Notissima quidem imago illa (*Eckh. III.* 272. 275. 289. 290. *Vaillant. num. aer. II.* 24. 25), cui in numis (*Eckh.* 304) etiam adscriptum legimus: *Genio Antiocheni* (sic) et *Genio civitatis;* quare miramur, tabulae Peutingerianae, quae Munichii (1824) edita est, doctissimum interpretem hanc non agnovisse, sed (*p.* 19) Antiochiam pro matre dei et Orontem, quamquam vase aquam effundit, pro Jesu Christo accepisse. Sed Pausaniam ad illam urbis imaginem spectasse prorsus incerta Viscontii conjectura, eaque ne verisimilis quidem est, quum ille της Τυχης simulacrum magna cum religione παρα των ἐπιχωριων coli addiderit, quod factum esse in urbis, aut, si mavis, urbis genii imagine vix credibile est. *Deam* autem *Fortunam* ipsam ab Antio-

chensibus cultam fuisse patere videtur ex gemmis, in quarum prima (*ap. Capell. n.* 104), quam nemo adhuc observavit, quia ab harum rerum ignaris inter Basilidianas est relata, ipsius Antiochiae et Orontis fluvii imagini ab altera parte adjuncta *Fortuna Dea*, ab altera imperator Antiochiam coronans conspiciuntur. In altera gemma (*in mus. Flor. II. tab.* 18. *n.* 2 *et ap. Augustin. II.* 31) Fortunae deae inscriptio addita AVΞEI TVXH ANTIOXEWN certe in genium non quadrat, quippe quem crescere nemo unquam dixerit. Sed ad sortes illas ut redeamus, paucos inter viros doctos earum memores esse exemplum docet Gorii, qui (*inscr. Etr. I.* 62) lapidis titulum (*ap. Fabrett. p.* 709. *n.* 307) in quo astrologicae tantum artes deprehenduntur, minime de *dea* Nemesi, sed de *sorte*, cujus locus est in Saturno, interpretari debebat.

294. Corporis humani membra singula singulis planetis, Julio Firmico (2, 10) nobis praeeunte, assignavimus. Veteres enim quum Solem oculo dextro, sinistro autem Lunam comparaverint (§. 312); verisimile est, non cabbalistas solum hoc imitatos esse (*Reuchlin. de arte cabbalist. p.* 71); sed facile etiam fieri potuit, ut ab astrologis deinde ampliata illa collatio in reliqua quoque corporis membra transferretur. Aliis quidem, sed non minoribus nugis gnosticos delectatos esse legimus. Irenaeus enim (1, 14, 3. *p.* 69) et Epiphanius (*haer.* 34, 5) tradunt, istos in corporis humani partes literas Graecas ita distribuisse, ut capiti adscriberent Α et Ω, collo Β et Ψ, humeris et manibus Γ et Χ, pectori Δ et Φ,

diaphragmati E et Y, dorso Z et T, ventri H et Σ, femoribus Θ et P, genibus I et Π, tibiis K et O, talis Λ et Ξ, et pedibus M et N. Sed cave haec vel illa confundas cum physicorum veterum sententia, qua, Democrito (*ap. Gyrald. op. p.* 15), teste, diis ipsis consecratas esse docebant singulas corporis partes. Quod idem confirmat Servius (*ad. Aen.* 5, 607) addens, Memoriae aurem, frontem Genio, dextram Fidei, et genua Misericordiae esse dicata. Atque ad illa spectare videntur Athanasii (*contra gent. p.* 9) haec verba: „Nonnulli partes ipsas corporis humani in deorum numerum retulerunt, easque singulas, ut caput, humerum, manum, pedem, cet. non satis habentes cultum exercere suum circa corpus integrum." Sed plura de corporis humani membris infra (§. 326), ubi de Zodiaci signis agitur, observabimus.

Istis quidem nugis missis jam animum vertamus necesse est ad 295.
alias, nempe nexum illum qualem inter planetas et metalla corporisque humani partes ab astrologis fictum esse videmus. Ita enim docet Agrippa (*de occ. phil. L.* 1. *c.* 47. *p. m.* 66) annulos, qui amuletorum loco sint, esse conficiendos: „quando videlicet stella aliqua ascendat fortunata, et a Luna feliciter adspecta vel sibi conjuncta, tum debeamus lapidem herbamque huic stellae subditam accipere, atque annulum ex metallo huic stellae conformi fabricare, et in eo lapillum infigere." Unde Vossius (*idolol. II,* 34 *f.*) „eo fascinatores" inquit, „solent attendere, ut metallo cuique proprium inscribant characterem, quemadmodum et cui corporis parti

applicent laminam sic inscriptam. Quare opinio eis est, tum demum se consequi a planeta quod expetunt, si convenientis metalli laminam cum proprio charactere convenienti corporis membro alligarint.“ Physicas enim causas huic rei subesse putabant. Unde Justinus martyr, aut quisquis alius responsionum ad orthodoxos auctor fuerit (*quaest.* 24. *p.* 405), ut multum interesse ostenderet inter mirabilia a Christo facta et ab Apollonio „hunc fuisse,“ scripsit, „virum naturalium virium peritum et rerum, quae in eis sunt, tum repugnantiae, tum cognationis scientem; unde ejusmodi scientiae effectus edentem non divina potestate id fecisse. In omnibus enim effectibus opus ei fuisse congruentis materiae assumtione.“ Quo etiam factum est ut Abgaro in supposititia ad Christum epistola miraculo esset, quod hic sine ullius materiae ope homines sanasset verbo (*Fabric. cod. apocr. I. p.* 317).

296. Atque etiam nunc amuleta sunt, in quibus ejusmodi superstitionis vestigia exstant. Cujusdam, enim annuli, quem Gorlaeus (*I. Tab.* 54) primus depinxit, alii (*Chiffl.* 79. *Montf.* 169 *f. Passer. I.* 33. *Monatl. Unterred.* 1696. *p.* 143. *Ebermayer. n.* 432. *Causeus* in mus. Rom. S. I. *Tab.* 38) repetierunt, pala aurea est, annulus argenteus, aere et ferro ab utroque latere admixtis. Et palae quidem incisa imago advertitur, qua licet septem planetas denotari cum Causeo dixeris, eorum tres tamen stellis tantum expressi sunt; Sol autem et Luna, simul cum Veneris et Martis signis clarius comparent. Imago enim haec est:



Quam si contuleris cum tabula nostra videbis apta imaginibus quatuor metalla fuisse electa, gemmamque totam astrologicam esse, nec nisi inscitia Reuschii (*ad Ebermayerum p.* 210) Basilidianis tributam. Plura ejusdem generis exempla haberemus si viris doctis, qui imagines publicarunt, placuisset materiam vel metalla non solum palae sed etiam annuli describere.


Planetarum dona tabulae nostrae inseruimus secundum Isidorum (*etym.* 5, 30, 8. *Op. III.* 220) ex cujus verbis alii scriptores (*Servius. ad Aen. XI.* 52. *Beda op. II.* 55) videntur esse corrigendi. 297.
Arabibus praesertim persvasum esse tradit Petrus Arlensis (*ap. Chiffl. p.* 125), planetas mirabilia efficere, Saturnum bonorum acquisitionem, Jovem dignitates et honores, Martem auxilium in bellis contra hostes, Solem gratiam magnatum, Venerem desideria et affectus, Mercurium doctrinam et eloquentiam, Lunam denique prospera itinera afferre. Sed videant alii, quo tandem modo ista munificentia ac benignitas conciliari possit cum doctrina illa (§. 241), qua Martem et Saturnum hominum generi noxios esse tradide-

rint. Atque hac de re lepide cantantem audiamus Juvenalem, qui (*sat.* 7, 194) „*distat enim*, scribit, *quae*

Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.
Si Fortuna volet, fias de rhetore consul:
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam
Sidus et occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos."


298. Numeros planetis dicatos Abenraschia, scriptor Arabs (*ap. Schottium in Magiae P.* 3. *p.* 651. *Kircherum in Oedip. II.* 2. 43. *sequ. sive in ejusd. Arithmol.*) vulgavit. Cave tamen cum iis confundas numeros ex Pythagoreorum sententia diis tributos, quorum omnino aliam fuisse rationem ex supra dictis (§. 273) patebit. Astrologici enim numeri singulis attributi planetis a Saturno usque ad Lunam hi erant: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Hos igitur in tabula nostra primo loco posuimus, et secundo horum quidem quadrata; nimirum Saturni numerum 3, quadratum 9; Jovis numerum 4, quadratum 16; et sic porro. Quos tertio et quarto loco positos numeros vides eos non nisi ex astrologica sigillorum conficiendorum ratione explicari poterunt. Sigilli nomine isti homines appellabant aream quandam loculatam, in qua cujuslibet planetae numeri omnes alii ab aliis efficerentur et artificiose ita componerentur, ut in quoquo ordine tot quadratae conspicerentur figurae, quot indi-

caret numerus planetae tributus; summa autem omnium loculorum par esset primi illius numeri quadrato, nec numerorum ullus compareret bis. Quae quoniam exemplis clariora patebunt; pseudonumum (*ex Kircheri Oedipo II. 2. p. 465*) subjicimus:



Solis hoc sigillum in aversa amuleti parte est. Cujus planetae quum numerus sit 6; sex etiam ordines videbis, et sex in quoquo ordine loculos, quorum igitur summa 36 eadem primi numeri quadratum est, in tabula nostra secundo loco Soli adscriptum. Jam vero si cujusvis ordinis quoquo versos numeros in unam summam collegeris, semper unum eundemque 111 effici videbis numerum, atque hic ille est, cui tertium locum in tabula nostra assignavimus. In quarto denique loco posuimus summam omnium in omnibus loculis inscriptorum numerorum, quae in Solis quidem sigillo 666 efficit.

Nec quidquam interest vulgaribus signis numeri in istis sigil- 299.
lis sint inscripti, an literis, quibus numeri significentur, veluti Hebraeis in hoc Jovis sigillo:



in quod tamen, uti ex Kircheri libro (*p.* 465) fideliter exscriptum, errorem irrepsisse patet, sive Kircherus ejus, sive ipse amuleti auctor sit accusandus. In tertio enim tertii ordinis loculo, sive in primi versus tertio legi debebat יד pro ד. Namque Jovis sigillum hoc est:

4.	14.	15.	1.
9.	7.	6.	12.
5.	11.	10.	8.
16.	2.	3.	13.

Apud Capellum (*n.* 7) etiam in alia gemma Jovis sigillum insculptum reperies.

300. Angelorum planetis praepositorum nomina Chaldaica, ex Abraham Avenar astrologi Hebraei scriptis desumta, nobiscum communicavit quidem Kircherus (*p.* 234). A quo tamen quum duos inter se confusos esse viderem, Michaelem et Raphaelem, nec locos iis assignatos congruere cum eis, quos in amuletis tenent; alios adii scriptores, Sebastianum Münsterum (*in calendar. Hebr. Basil.* 1527. 4. *in extr.*), Junium (*ap. Dahle in idolol. p.* 160) Durctum (*thré-*

sor. des langues p. 208), Thrithemium (*de septem secundeis p.* 1. *sequ.*), et Cornelium Agrippam (*philos. occ. L.* 2. *c.* 10. *in f. p. m.* 148). Ex quibus quoniam Münsteri liber paucis lectoribus notus vel ad manus erit, integrum locum hic inserendum esse arbitratus sum, quippe qui plura etiam quae ad hanc nostrae commentationis partem spectent complecteretur. Verba quidem haec sunt:

יום ראשון שמזלו אריה ומלאכו רפאל ומשרתו חמה : זהוב
יום שני שמזלו סרטן ומלאכו גבריאל ומשרתו לבנה : כסף
יום שלישי שמזלו טלה ועקרב ומלאכו סמאל ומשרתו מאדים:
יום רביעי שמזלו תאומים ובתולה ומלאכו מכאל ומשרתו כוכב:
יום המישי שמזלו קשת ודגים ומלאכו צדקיאל ומשרתו צדק:
יום שישי שמזלו שור ומאזנים ומלאכו ענאל ומשרתו נוגה : נחושת
יום השבת שמזלו גדי ודלי ומלאכו קפריאל נמשרתו שבתאי:

Quae, ni fallor, sic sunt vertenda: I.) Prima dies cui signum suum (in Zodiaco) *Leo*, et angelus suus *Raphael*, et planeta suus *Sol:* aurum. II.) Secunda dies, cui signum suum *Cancer*, et angelus suus *Gabriel*, et planeta suus *Luna:* argentum. III.) Tertia dies, cui signum suum et *Aries* et *Scorpio*, et angelus suus *Samael* et planeta suus *Mars.* IV.) Quarta dies, cui signum suum et *Gemini* et *Virgo*, et angelus suus *Michael*, et planeta suus *Mercurius.* V.) Quinta dies, cui signum suum et *Sagittarius* et *Pisces*, et angelus suus *Sadaquiel*, et planeta suus *Jupiter.* VI.) Sexta dies, cui signum suum et *Taurus* et *Libra*, et angelus suus *Anael*, et planeta suus *Venus:* aes. VII.) Septima dies, cui signum suum et *Capricornus* et *Aquarius*, et angelus suus *Cafriel*,

et planeta suus *Saturnus*. - - Judaeus, horum verisimiliter auctor, et Zodiaci signa et metalla, quae planetis tribuenda essent, diebus apponere voluit, sed metalla tantum ea adposuit, quae ex nummis ipsi innotuerant, reliqua ignorasse videtur.

301. Quo facilius autem quibus in locis scriptores illi inter se dissentiant perspici possit; hanc concinnavi tabulam:

Attribuerunt angelos planetis	Münster.	Junius.	Duret.	Agrippa.	Avenar.	Trithem.
Saturno	קפריאל	Kephariel.	Zaphkiel.	צפקיאל	כפיאל	Orifiel.
Jovi	צדקיאל	Izidkiel.	Zadkiel.	צדקיאל	צדקיאל	Zachariel.
Marti	סמאל	Sammael.	Camael.	כמאל	כמאל	Samael.
Soli.	רפאל	Rephael.	Raphael.	רפאל	מיכאל	Michael.
Veneri	ענאל	Hanael.	Haniel.	האניאל	אנאל	Anael.
Mercurio........	מכאל	Michael.	Michael.	מיכאל	רפאל	Raphael.
Lunae	גבריאל	Gabriel.	Gabriel.	גבריאל	גבריאל	Gabriel.

Saturni angelus, cujus nomen vario modo ab illis scribitur, forsan idem est, qui Arabum scriptoribus Cafziel (*Kircher. p.* 72. 480) audit, Castello (3409) קפציאל.

302. Angelorum nomina autem in Hebraeo Calendario, quod secutus sum, planetis et hebdomadis diebus adscripta Kircherianis veriora esse, ex ipsis amuletis patet. In iis enim Jovi nomen SATQVIEL (§. 299. *Capell.* 2. *Chifflet. n.* 84. *Molinet Tab.* 31. *n.* 13), Marti SAMAEL (*Molinet. n.* 8.), Veneri armatae ANAHA (*Montf.*

168) sive ANAEL (*Capell. n.* 2. *Molinet n.* 13) Mercurio MICHAEL (*Chifflet.* 85. *Cayl. VI.* 21, 1) Soli RAPHAEL (§. 298), Lunae denique GABRIEL (*Chifflet.* 87) appositum esse videmus.

Planetarum domus sive domicilia, quae extremum in tabula nostra locum occupant, descripserunt Ptolemaeus (*I*, 18), Firmicus (*II*, 2) Servius (*ad Georg. I*, 33) Sextus Empiricus (*V. p.* 343) et Porphyrius (*de antro. nymph. c.* 22. *p.* 20): ac meminit eorum quoque Martianus Capella (*L.* 1. *p.* 15. *extr.*). Quorum quidem domiciliorum ratio propterea habenda est, quod iis, prout a planetis occupantur, perspectis aptum, vel ad constellationem colligendam, vel ad amuleta conficienda, tempus definiri debet. Multum enim refert qua in domo planeta sit, utrum in sua, an aliena (*Manetho* 2, 141 *sequ.*) Majorem etiam vim habere putabant, teste Sexto Empirico (*l.* 5. *p.* 343), aut quum essent planetae in propriis domiciliis (*οἴκοις*) aut quum sese adspicerent. Unde Arabs quidam (*Hottinger hist. or. p.* 288) amuleti opus perficiendum intermisit, „quod exspectare debebat convenientem ei constellationem." Unde et Aelio Vero (*Spartian. c.* 4) dubium movebatur, „an recte constellatio collecta esset?" Cujus fatalis constellationis Ammianus quoque meminit (*in extr. L.* 20). Atque Hali Aben Rodan (*ap. Cleric. philos. orient. Op. II.* 280) „periti stellarum" inquit „observabant, quando planeta ex radiis solaribus emergebat, et ingrediebatur constellationem aliquam, cui figura hujusmodi tribuitur; tum planeta in horoscopio collocato *insculpebant* 303.

figuram lapidi, addebantque alia necessaria, et *imaginem* ad exitium, vel *ad tutelam aptabant*" (*Conf. Ptolem. centiloqu.* §. 9. *p.* 75). Similia ex Chaldaeorum libris, sua aetate adhuc exstantibus, profert Maimonides (*Cleric.* 277. 278). Sed, quod majus est, eandem rem in exorcismis etiam observandam esse sibi persvaserunt superstitiosi homines, id quod Zahel (*de electionib. p.* 107) significat his verbis: „Quum fuerit in aliquo loco - - diabolus, vel infestatio malorum habitantium, vel secuta fuerit eam aliqua res terribilis, quae fuerit timenda, vel aliquod phantasma apparens, et volueris removere eum (sic) a loco suo, aut ab aliquo homine per carmen, aut aliqua inquisitione vel ingenio, cave ne sit Luna vel adscendens in aliquo horum signorum, in Leone scilicet et Cancro, in Scorpione et Aquario, sed sit Luna in ceteris, extra hoc, separata a malis, et juncta fortunis." Quas omnes astrologorum ineptias Juvenalis ridet (*Sat. VI. v.* 580) de muliere superstitiosa scribens:

„*Aegra licet jaceat capiendo nulla videtur*
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris."

Ceterum quam generalis illa de suo cujusque planetae domicilio opinio fuerit numi docent Hadriani et Antonini maxime temporibus cusi (*Mem. de l'acad. des inscr.* 41. 502); aliique ut Augusti, in quibus *Capricornus* (§. 135), Commagenes in quibus *Scorpius*, Palmyrae et Pythoridos reginae in quibus *Libra*, Commagenes et Zeugmatis in quibus iterum *Capricornus*, Cyrrhi, Mileti et Antio-

chiae in quibus *Aries*, Rhesaenae et Singarorum in quibus *Sagittarius*, Mileti in quibus *Leo*, cet. (*Eckh. num. Antioch. p.* 25). Ex amuletis etiam annulus exemplo sit (*ap. Gorl.* 105), in cujus pala, quam (§. 296) delineavimus, Sol insculptus est, in annulo ipso autem, quem repraesentare supersedimus, Leonis imago, qua Solis domicilium declaratur, quod in aliis ejusdem planetae signis idem observari potest (§. 298). Similiter Veneris imago cum hujus domibus Tauro et Libra (§. 279), Martis cum domuum una Scorpio (*Passer. I. tab.* 101), item cum altera Ariete (§. 401), quin cum utraque etiam (*Winckelm. câtal. p.* 168. *n.* 967) passim obviae sunt.

Reliquum est, ut de altero signorum, quae planetis adscripta sunt, ordine (§. 284) agamus, qui prout ex signis nominibusve, quae hebdomadis diebus adposita sunt, liquet, ab illo de quo hactenus diximus omnino differt. Dies enim ex planetis nomina invenisse vulgaris est opinio. Quo factum ut haec dierum nomina non veteribus solum Christianorum theologis, quorum pietas saepenumero in verbis aliisque ejusmodi minutiis versaretur, offensioni essent (*Augustin. ad ps.* 93 *inscr. Isidor. etym.* 5, 11. *T.* 3. *p.* 221); sed quibusdam etiam recentioribus in mentem veniret, ut hebdomadis dies a septem sacramentis, et menses a duodecim apostolis appellandos censerent (*Fabric. bibl. Gr.* 3. *p.* 460). Quibus quantumvis minutius religio tractata sit; ego tamen miror ea in terra quadam nostrae vicina nondum a superis probata, lege- 304.

que sancita esse. Adeo enim pro dea nubem amplecti consueverunt!

305. Atque ipsorum planetarum nomina diebus indita esse, quamvis vulgo crederent, de ordinis tamen ratione, quatenus a naturali planetarum serie recedit inde a Dione Cassio ad novissimos usque scriptores magnus dissensus fuit (*J. Moebius de planetaria dierum denominatione. Lips.* 1687, *ibique laudati Beda, Seldenus, Hospinianus, Marshamus, alii. Quibus addendi sunt Scaligerus de emend. temp. p.* 8. *Kircherus in Oedip. III.* 455. *Putean. in Graev. thesaur. T.* 8. *p.* 680. 681. *P. J. Fuchsius hist. Mogunt. II.* 40. *Martorellius de theca calam.* 292. *Hydeus rel. Persar. C.* 5. *p.* 135). Quibus omnibus antiquiorem illum, sed deperditum, Plutarchi librum περι ἡμερων (*v. in Camillo p.* 138) consuli non posse, aegerrime ferimus. Recentiora inter scripta eruditionis quidem laude dissertatio excellit Seldeni (*de jure nat.* 3, 9. *Op. I.* 313. *praesert.* 20. *p.* 394): cui tamen judicii acumine praestat Moebius. Martorellius multus est et plagiarius, qui a Moebio quidquam se didicisse (*p.* 377) neget, licet eundem in refellendo Seldeno presso pede sequatur; quumque *se primum* vidisse in numerandis diebus a Saturno incipiendum esse (293. 331) scribat, iisdem tamen utatur argumentis quibus id Moebius jam pridem docuerat.

306. Equidem perlectis omnibus, quae ab illis viris doctis rei illustrandae causa et prolata et veterum testimoniis adornata sunt, iisque probe perpensis, pro virili nunc parte addam, quae ab ipsis

neglecta vel praetermissa esse videantur. Namque quotquot adhuc prolatae sunt rationes illius quaestionis solvendae, earum nullam tamen nobis placere haud dissimulamus. Quatuor enim modis quum istam ordinis diversitatem explicare conati sint, primum quidem a ratione musica petitum illico rejiciendum esse censeo. Doctrina enim de sphaerarum harmonia recentior esse videtur dierum nominibus, quae minime planetarum sed ipsorum primitus deorum fuisse vero similius est (§. 313). Idem judicandum esse arbitror de secundo quaestionis explicandae conamine per astronomicam horarum computationem, quae recentioris etiam originis adeoque artificiosa est, ut parum sibi constent ipsi hujus computationis auctores. Neque tertia Scaligeri ex triangulis in circulo positis explanatio satisfacit, quae, quantumvis sit ingeniosa, difficilior tamen esse videtur, quam ut ab astrologica hac oppositione, quam vocant, dierum nomina originem traxisse nobis persvasum esse possit. Quarta denique explanandi ratio, quae Bedam (*Oper. II, p.* 55) habet auctorem, cuique suum calculum Marshamus adjecit, quo simplicior, eo verior esse videtur: Solem nimirum et Lunam ceteris planetis semper praelatos, ideoque primam diem Solis, secundam Lunae esse. Cui quidem opinioni illud opponunt, non a Sole, verum a Saturno veteres in numerandis diebus incepisse: sed ista interim dubitatione seposita dummodo ordinis dierum, quo alter alterum sequatur, veram rationem eruerimus, quaestionem illam, quis primus in ordine fuerit,

infra (§. 317) tractare dubiaque, quae forte moveri possint, removere tentabimus.

307. Inter corpora coelestia propter magnitudinem primum esse locum Soli tribuendum, secundum Lunae, hominibus inde ab initio visum esse (§. 311) recte quidem observat Beda: in recensendis autem causis, ob quas ceteri hebdomadis dies eum, qui receptus est, ordinem sequantur, verum an ille viderit dubito. Certe arbitrarii aliquid in diebus ex altero, qui planetarum est, ordine per intervalla numerandis inesse videtur, neque ex unius hominis fortuita aliqua computandi ratione, generali fere tot populorum consensu, dies nuncupatos fuisse, nobis persvadere possumus. Majorem igitur et graviorem hujus rei fuisse causam, eamque in cultu divino quaerendam esse suspicor, quippe qui quorundam deorum certis diebus ab antiquissimis temporibus addictus fuerit.

308. Duo praesertim sunt, quae me adduxerunt, ut hanc viam ingressus novam illius diversitatis causam excogitarem, conjecturamque meam viris doctis examinandam proponerem. Primum quidem illud quod ordinem in metallis, quae planetis adtributa sunt, pari prorsus modo turbatum esse animadverterem, siquidem id quod maximi pretii est primo etiam loco haberi debebat. At vero plumbum primo loco, aurum quarto et argentum ultimo demum collocatum esse videbis, si naturalem planetarum ordinem sequi volueris. Contra si alteram rationem inieris, a dierum serie petitam, metallorum etiam unicuique verum suum pretium resti-

tues. Quod quo clarius perspiciatur, utrumque ordinem hic subjicimus:

Metallorum ordo

secundum planetas:	secundum dies:
1. Plumbum.	1. Aurum.
2. Ferrum.	2. Argentum.
3. Metallum mixtum.	3. Metallum mixtum.
4. Aurum.	4. Stannum.
5. Aes	5. Ferrum.
6. Stannum.	6. Aes.
7. Argentum.	7. Plumbum.

Metallum mixtum praeter aurum et argentum ceteris nobilius esse mox (§. 309) confirmabimus. Proxime sequitur stannum quia auctore Plinio (34, 16, 47) cum argento nascitur. Quodsi ad utilitatem respexissent, certe Ferrum et Aes praeponere debebant, id quod ab aliis factum, statim videbimus.

Sed quaesierit fortasse aliquis, quid ad propositum attineat metallorum pretium sequi? Huic ego alterum illud argumentum, quo me ad hanc viam ineundam permotum esse (§. 308) dixi, exponam. Ex loco quodam Celsi (*ap. Orig. L. 6. p.* 290), quem quotquot adhuc videre licuit illius quaestionis interpretes neglexerunt, id sumtum est. Verba enim ex Spenceri interpretatione haec sunt: „In Persarum doctrina et Mithrae sacris duae coeli revolutiones significantur. Siquidem tum ejus qua stellae fixae feruntur, tum 309.

ejus qua planetae, *et animae* per eas *transeunt.* Cujus rei tale est symbolum. Scala (*κλιμαξ*, gradatio) est in altum aliis super alias portis surrecta usque summum octavae portae fornicem (*ἐπι δ' ἀυτη πυλη ὀγδοη*). Prima portarum est *plumbea* (*μολυβδου*), secunda *stannea* (*κασσιτερου*), tertia *ahenea* (*χαλκου*), quarta *ferrea* (*σιδηρου*), quinta *mixti* numismatis (*κεραστου νομισματος*), sexta *argentea* (*ἀργυρου*), septima *aurea* (*χρυσου*). Primam faciunt Saturni" cet. Reliquos planetas deinceps nominat, quos si a suprema porta incipiendo numeraveris hoc ordine cum metallis suo cuique attributis compositos esse videbis:

1. Sol	Aurum.
2. Luna	Argentum.
3. Mars	Metallum mixtum.
4. Mercurius	Ferrum.
5. Jupiter	Aes.
6. Venus	Stannum.
7. Saturnus	Plumbum.

Atque hic ordo dierum idem est, quo ab antiquissimis temporibus usi sunt Judaei, et quo illos imitati nos quoque in diebus numerandis vel recensendis hodie utimur. Judaei quidem in paradisi descriptione, quem usque ad septimum coelum extendunt, portas quoque statuunt, sed non nisi tres vel duas: Mohammed autem octo. Quo patet hunc non a Judaeis, ut Millio (*in. diss. select. p.* 89) visum est, sed a Persis portas illas accepisse. Ex Celsi

praeterea loco elucet, quale fuerit illius temporibus electrum, de cujus substantia multi disputarunt (*Brisson. de V. S. p.* 383. *Gesner. in commentat. Gott. III. p.* 67) doctissime quidem Bochartus (*in hieroz. II. p.* 871. *Leusdeni*). Si enim ex *numis* conflatum erat, non nisi ex auro argento et aere constare poterat, ex quibus mixtum sane aliis metallis pretiosius excepto auro et argento haberi debebat. Atque Pausanias (5, 12, 6) dixerat, electrum esse aurum cum argento permixtum. In reliquis metallis ad utilitatem potius respexisse videntur hujus ordinis auctores, nisi ferrum in majori etiam pretio tum fuisse quam aes, haud sine causa, dicere velis. Nobis docuisse sufficit, eum deorum ordinem, cui dierum series respondeat, aliquando etiam in sacris servatum esse. In Mithriacis igitur illis Sol primum sive supremum obtinebat locum, ad quem per auream portam perveniretur. „*Μιθρας γαρ ὁ πρωτος ἐν Περσαις θεος*" ut Hesychii verbis utar. Saturnus autem postremum sive infimum occupabat locum, porta plumbea instructum.

Hoc quidem loco temperare mihi non possum quin gemmae mentionem faciam, in qua octo clavium figuras incisas esse vel Winckelmannus, (*catal. p.* 518. *n.* 249), vel qui supplementa operi illius addidit, refert, imaginemque pervulgato Plinii (33, 1, 6) loco explicare studet: „at nunc cibi quoque ac potus annulo vindicantur - - et claves quoque ipsas signasse non est satis." Verum enim vero multum interest inter *claves signare* et *clavibus signare*, nec pravos illos mores in gemma ab aliquo insculptos fuisse veri- 310.

simile est, nec quare *octo* potissimum claves insculptae fuerint, vir ille doctus commonstravit: qui si octo illarum meminisset portarum, in sacris Mithriacis obviarum; sane meliorem inde illius imaginis explicandae conjeturam protulisset.

311. Sint licet in illis, quae a Celso referuntur, recentiora mixta antiquis ut ex eis, quae Origenes (*p.* 296) respondet, colligi potest: satis tamen vetustus ille, ut qui seculi sit secundi, nobis auctor est. Neque a Mithrae demum mysteriis iste deorum ordo originem traxit; sed ab antiquissimo et universali fere (*Theodoret. Graec. af. fect. III. p.* 760. 761. 766. *Cuper. Harpocr.* 111) corporum coelestium cultu, quem communem fuisse „omnibus populis sub omni coelo" ipsi Judaeorum libri (*Deut.* 4, 19) testantur. Ad Persas, qui Solem deum in clypeo pictum habebant (*Tertull. apol.* 16), cum Sabaeismo jam pervenerat (*Hyde III. p.* 87. 88). Sabaei enim Maimonide (*in Hottingeri hist. orient. p.* 267) teste, credebant „stellas esse deos, Solem autem deum maximum: septem igitur planetas etiam esse deos, sed duo luminaria esse maximos." Atque eosdem Sabaeos Ali Sahid Vaheb (*ap. Hottinger. p.* 267. *et Stanley. III,* 4. *p. m.* 292) ait „primum diem consecrasse Soli, secundum Lunae, tertium Marti, quartum Mercurio, quintum Jovi, sextum Belthae, et septimum Saturno." Ex quo Belthae (בעלתה) nomine (*Euseb. p.* 38 *et* 456) pro Venere posito (*Hesychius: Βήλϑης ἡ Ἀφροδίτη*), patere videtur, nequaquam recentiori ex fonte hunc scriptorem sua hausisse. Maximum etiam festum Sabaei celebrabant

qua die Sol Arietem ingreditur (*Hyde c.* 5. *p.* 128), iidemque Soli *aurum, argentum* Lunae dedicaverant (*Maimon. ap. Hotting. in hist. or. p.* 300). Sed Solis cultum, recte Hydens (*c.* 4. *p.* 107) monet, ubique fere gentium viguisse. Mahommed ipse (*Sur.* 91, 1 *et* 2) per Solem et Lunam jurat. Et non Aegyptii solum deos crediderunt Solem (§. 312) sed Phoenices etiam, Eusebius (*p.* 33) ex Sanchoniathone docet, naturales deos habuisse Solem, Lunam, reliquasque stellas inerrantes, quorum primum coeli dominum (§. 106) putasse. Atque a Chaldaeis similiter credi, Sextus Empiricus (5, 31. *p.* 343) tradit, stellarum praecipuas esse Solem et Lunam, minorem autem vim ad eventuros effectus habere quinque reliquos: quo quidem loco ad Diodorum (2, 30) ille videtur respexisse, qui praeterea Atlanteos etiam inter eos refert qui Soli et Lunae divinum cultum tribuerint (3, 56); et a Rhodiis Solem semper prae ceteris diis impensius esse cultum (5, 56) tradit: id quod numi ab illis cusi confirmant. De Albanis et Massagetis conferri potest Strabo (*l.* 11. *p. m.* 577. 595). Universi autem Libyes, Herodoto (4, 188) teste, non nisi Soli et Lunae immolarunt. Lex denique per Mosen (5, 4, 19) promulgata „ne adores Solem et Lunam" et Jobi (31, 26) verba antiquissimum illorum cultum satis arguunt. Ac ne forte credas solius plebis hunc errorem fuisse, philosophi ac poetae tibi sunt adeundi, quos inter Pythagoras (*Diog. Laert. l.* 8. *p. m.* 583) Solem et Lunam et reliqua sidera deos esse credidit, et Orpheus (*Erathosth. in Gal. opusc. myth. p.* 119)

Solem, quasi μεγιστον των θεών, coluit, quem eundem Menander (*ap. Clem. Alex. ad gent. p.* 45) τον πρωτον θεων appellavit.

312. Sed magis etiam ad propositum nostrum pertinet Aegyptiorum doctrina, a quibus dierum nomina ad omnes homines pervenisse Dio certe (37, 18. *p.* 123) refert. „Vetustissimos autem Aegyptios," Diodorus (*I,* 11) jam tradiderat, „mundum supra se contemplatos existimasse duos esse deos, aeternos quidem et principes, Solem et Lunam." Quae eadem Diogenes Laertius (*in prooem. p. m.* 9) et Tertullianus (*ad gent.* 2) repetierunt, nec non Sextus Empiricus (*l.* 5, 31. *p.* 343), qui haec insuper addidit: „quam ob causam Aegyptii regi et dextero oculo Solem assimilant, reginae et sinistro oculo Lunam, sceptra autem ferentibus (ῥαβδοφοροις) sive *regibus* minoribus (§. 237. 240) quinque stellas." Ab Aegyptiis igitur habebat Pythagoras (*Porphyr. de abstin. II,* 36. *p.* 167 *sequ. et doct. vir. not. ad h. l. p.* 168. 3), quae in eo reprehendit Epiphanius (*haer.* 8. *p.* 14). Ac ne quid dubii de hoc ordine in Aegyptiorum sacris observato apud nos remaneat, Clementem audiamus Alexandrinum, qui (*strom.* 6. *p.* 633) tradit: „Sacrarum disciplinarum doctorem (τον ἱερογραμματεα) oportuisse scire Solis et Lunae et quinque errantium ordinem." Atque hoc Clementis loco praesertim animadverti potest virorum doctorum error, a quibus semper fere ἱερογραμματευς vertitur „sacer scriba," quasi γραμματα non nisi *literarum notas* interpretari liceret. Ipse Schmidtius, qui peculiarem de sacerdotibus Aegyptiorum librum scripsit (*p.* 134

sequ.) in eodem errore semper versatur, quo certe non abreptus fuisset, si classicum apud Lucianum (*μακροβ.* 4. *T.* 8. *p.* 116) locum inspexisset, ubi viri illi Aegyptii sacris vel theologia eruditi, *ἱερογραμματεις*, cum omnibus aliis populorum philosophis, Persarum Magis, Indorumque Brachmanis, cet. componuntur, quod fieri vix potuisset, si alio nullo quam scribae officio functi fuissent. Quodsi Horapollo (1, 37) pariter docet *ἱερογραμματεα* debere *πολλα μελετᾳν*, altiora certe ei attribuit quam simplicia scribae officia. Neque vocabulo Gramma ubique notas tantum literarum aut lineam significari, sed pariter atque Latino *literarum* vocabulo disciplinam etiam, ex Theophili Antiocheni hisce verbis (*Fabric. bibl. Gr. XIV.* 205, *sive in app. ad Justin. mart. p.* 139) patet: *Ὁτι δε περι ὡν φαμεν χρονων συνᾳδει και Βηρωσος ὁ παρα Χαλδαιοις φιλοσοφησας, και μηνυσας Ἑλλησιν τα Χαλδαικα γραμματα, ὁς ἀκολουθως τινα ειρηκε τῳ Μωυσει περι τε κατακλυσμου, και ἑτερων πολλων ἐξιστορων.* Quem quidem locum adferre supersedissem nisi philologus quidam ceteroquin doctissimus negasset, illa voce disciplinas significari posse. Sed neminem fore arbitror, qui a Beroso non nisi prima scripturae Chaldaicae elementa Graecis tradita esse, sibi persvadere velit.

Sol igitur primo loco colebatur, Luna secundo. Atque haec 313.
hactenus cum nominibus dierum, qui in hebdomade sese excipiunt, concinunt. In primo autem fonte, ex quo dierum nomina manaverint, quaerendo viri docti errasse mihi videntur. Namque

ab initio minime a *planetis* nomina profecta esse persvasum habeo, sed a *diis* ipsis, quibus antiquissimo cultu singuli dies ac primum quidem mensium (*Orphei fragm. ed. Gesneri p.* 399) postea hebdomadis dies dicati fuerint. Quapropter distinguendum esse arbitror, inter recentiorem planetarum ordinem, qui prorsus astronomicus est, et antiquiorem deorum, quem theologicum nominare liceat. Id quod duplicis etiam generis Graeca nomina, in tabula mea (§. 283) annotata, indicant, quorum alterum planetarum, alterum deorum est (*conf. Rossii etym. Aeg. p.* 206). Atque haec diebus imposita fuisse, non illa, quum lapidum tituli docent, in quibus (*Lupi epit. Sever. p.* 102. *Murat.* 1964, 7) ἡμερα Διος, non Φαεθοντος, legitur, tum libri etiam, qui ἡμεραν Ἑρμου, ἡμεραν Αφροδιτης (*Clem. Alex. str.* 7. *p.* 744), et in Latinis (*Boldetti p.* 110 *f.*) „die Beneris;" „ἡμεραν Κρονικην (*Justin. Mart. p.* 99), sive του Κρονου (*Dio L.* 37. *c.* 17. *p.* 123), cet. habent: nec quemquam fore credo, qui in scriptis veterum την ἡμεραν Πυροεντος, vel την του Φωσφορου, vel την του Φαινοντος cet. unquam reperiat. Quid? quod astrologi ipsi, teste Laurentio Lydo (*die Saturni p.* 74. *Roeth.*) την ἑβδομην ἡμεραν προσφωνουσιν τῳ Κρονῳ; non igitur planetae.

314. Veteres si consulueris videbis omnes Aegyptiis tribuere prima dierum nomina. Ita jam Herodotus (*II*, 82) testatur „ab Aegyptiis excogitatum esse quis mensis *diesque* (και ἡμερη) cujus *deorum* (θεων) sit." Eadem fere Dio (37, 18. *p.* 123), sed verbis paululum immutatis, sic effert: „Quod autem dies ad septem *sidera* illa,

quos *planetas* appellarunt, referuntur, id ab Aegyptiis institutum." Atque ex Herodoto eum haec sumsisse mihi quidem vix dubium videtur: sed pro *diis* substituit *planetas*, quia ipsius temporibus vera illorum nominum origo jam ignorabatur, diique cum planetis confundebantur. Nec aliter recentiores omnes, si Laurentium Lydum exceperis. Quamquam enim apud hunc haec (*de mensib. c.* 3. *p.* 40) leguntur: „Zoroastres et Hystaspes eorumque sequaces Chaldaei atque Aegyptii a planetarum numero secundum hebdomadem distinxerunt dies;" iste tamen locus non in omnibus Lydi libris scriptis reperitur et illi utique obtrusus esse videtur. Non enim a planetis ille dierum nomina repetiit, sed a primis septem numeris, septem *diis* Soli, Lunae, Marti, Mercurio, Jovi, Veneri et Saturno dicatis. Nec Lydum illa de Zoroastre scribere potuisse inde patet, quod paulo post (*c.* 5. *p.* 46) ex ejusdem Zoroastrae sententia Solem ne adnumeratum quidem planetis esse dicit. Nihilominus (*in Januar. c.* 10. *p.* 160. 162) Solis diem primam, Veneris sextam, et Saturni septimam appellat. Confirmat praeterea meam de dierum nominibus sententiam oraculum vetus, quo dies, minime planetis, sed diis ipsis sacros habendos edicitur. Ita enim Apollo respondisse (§. 243) fertur:

Mercurium ac Solem simul appellare memento
Luce sacra Soli: tum Lunam ubi venerit ejus
Nota dies, cet.

Sed ex quo a planetis dies accepisse nomina opinari vulgo coepe-

runt, frustra laborarunt, et ipse Dio, et recentiores scriptores omnes, qui veram dierum ordinis rationem explicare conati sunt.

315. Haud quidem illud negari potest Dionem hebdomadem a Saturni incepisse die, quare monente Moebio nec Seldenus (*p.* 401), nec Vossius (*idolol. II,* 34. *Op. T.* 5. *p.* 181) verbis „quodsi primae horae primi diei Sol praeest“ cet. fideles Dionis interpretes fuerunt. Cujus quidem praestantissimi scriptoris fidem uti infringere nolim, quippe a quo veram dierum *seriem* propositam esse videam; ita tamen *per hebdomades* annum a Romanis divisum fuisse ut credam nemo facile mihi persuadebit (§. 316). Quodsi diversos populos eorumque religiones spectaveris, nullo negotio videbis, Judaeis Saturni diem, Sabbati (שבתי) nomine appellatam, non primam, sed septimam hebdomadis diem fuisse, quo etiam factum est, ut voces שבת et שבעה a nonnullis confunderentur (478). Id quod non Judaei solum (*Philo de vita Mos. p.* 657. *Joseph. c. Appion. II,* 39. *Op. I. p.* 494) et Christiani, Clemens (*strom. V. p.* 600) Eusebius (13, 7, 12. *p.* 667 *sequ.*) Isidorus (*etym.* 5, 30, 10. *Op. III. p.* 221) confirmant: sed Romanos etiam hujus rei non ignaros fuisse, quum rerum scriptores (*Tacit. hist. V,* 4) tum poetae (§. 480) testantur. Quae enim a Tibullo (*I. el. III,* 18) appellatur „*Saturni* sacra dies,“ eadem Ovidio (*art. am. I,* 76 *et* 416) est:

„*Cultaque Judaeo septima sacra Syro.*“

Nec aliter numerari hanc diem potuisse historia de mundi creatione docet. A Judaeis denique Christiani hanc computandi rationem

acceperunt. De Graecorum autem dierum computatione quae Clemens, Eusebius, et recentiorum non nulli disputarunt, decepti illi quidem adulteratis ab Aristobulo versibus (*Valkenaer de Arist.*) parumque intelligentes Hesiodi locum, ita ut septimam cujusque mensis diem (§. 313) Apollini sacram cum illa hebdomadis confunderent . . ea a doctis Luciani (*in pseudol.* 16. *T.* 8. *p.* 436) interpretibus et a Salliero (*memoir. de l'acad. des inscr. IV.* 45. *sequ.*) plene jam refutata esse video.

Nec minus ii errare mihi videntur, qui de antiquis Romanorum ritibus agentes (*Adami ant. Rom. Par.* 1818. *II.* 89) ex Dionis verbis haud plane intellectis sibi persvadent „Severo imperatore Romanos per hebdomades sive septimanas tempus jam divisisse;" adversantibus aperte monimentis, non calendariis tantum, sed aliis quibusvis. Nec ego huic rei longius inhaererem nisi metuendum esset, ne iste error plures etiam gravioresque in arte critica, e. c. in definiendo inscriptionis alicujus tempore, pareret. Dionis autem verba nihilominus cum monimentis conciliari posse mox intelligemus modo perspexerimus de dierum ordine, minime vero de hebdomadibus per orbem sese excipientibus, eum disseruisse. Septem illi dies quinam fuerint calendaria docent Romanorum, quippe quae septem habent, qui inter nundinas intercedunt, quosque Dionysius Halicarnassensis (2, 28 7, 58) *τας μεταξυ των ἀγορων ἑπτα ἡμερας* vocat. Septem autem illi, et addita ea, qua nundinae celebrabantur, in calendario Romano designantur 316.

literis A. B. C. D. E. F. G. H. quarum literarum uni eidemque per. totum annum respondebat nundinarum dies.

317. Profecto enim lapsus est librarius, vel Rutilins, vel ipse Macrobius, qui (*Saturn.* 1, 16) scriberet „*octo* diebus inter nundinas rusticos in agris opus facere.“ Namque *septem* fuisse dies praeter Dionysium Varro (*de R. R. L.* 2. *pr. p.* 251) quoque affirmaverat. Quae omnia quo clarius pateant, duo monimenta hoc loco explicare institui, quorum rationem non omnino perspexerunt qui ea evulgarunt. Primum est theca calamaria, de qua grande volumen scripsit Martorellius: alterum ara Moguntiae effossa, quam delineatam edidit Fuchsius (*Gesch. v. Mainz. T. II. Cl.* 1. *n. VII*). Utrumque monimentum in octo loculos est dispertitum quorum prioribus septem continentur totidem deorum imagines a Saturno usque ad Venerem. Loculus octavus in theca quidem vacuus est; in ara autem figuram complectitur muliebrem, laeva cornu copiae tenentem, dextra nixam in pila. Septem imagines uterque scriptor facile agnovit. Octavum autem loculum vacuum Martorellius prorsus neglexit, toto libro non nisi de hebdomade disserens, ogdoadem ne suspicatus quidem. Nec minus incertus Fuchsius, quo nomine octavam figuram appellaret, (*p.* 48) eam hebdomadis genium dicit. Sed illo cornu copiae, quod manu tenet mulier, sane nundinae significantur, in quibus, ut cum Plutarcho (*quaest. Rom. p.* 275) loquar „frugum abundantia venditioni et emtioni praebuit initium.“ Fac igitur annum quendam litera nundinali H esse no-

tatum; utriusque monimenti, cum calendario Romano collati, haec erit species:

CALENDARIUM.	THECA.	ARA.
A.	*Saturnus.*	*Saturnus.*
B.	*Sol.*	*Sol.*
C.	*Luna.*	*Luna.*
D.	*Mars.*	*Mars.*
E.	*Mercurius.*	*Mercurius.*
F.	*Jupiter.*	*Jupiter.*
G.	*Venus.*	*Venus.*
H.	*Locus vacuus, pro Nundinis.*	*Nundinae.*

Jam vero cuique patebit, cur a Saturno septem illos dies numerare coeperint Romani, si perpenderit nundinas ipsas Saturno fuisse sacras (*Plutarch. l. c.*).

Omnibus igitur argumentis a Martorellio allatis facile carere possumus, maxime illo, quo (*p.* 330) hac ex lucernae a Passerio (*lucern. fict. I.* 21) editae imagine 318.



probare voluit a Saturno in numerandis diebus incipiendum esse. Saturnus scilicet ille est, qui infra a laeva Solis conspicitur. Qui quidem locus qua de causa primus dici possit, nemo sane unquam divinabit. Ejusmodi autem adferre argumenta, quae profecto nulla sunt, hoc utique est lectorum abuti patientia.

319. Atque ex iis, quae hactenus disseruimus, patebit, non semper, simul ac septem illorum deorum imagines conspexerimus, pro planetis eas esse accipiendas. Id quod illustri accidit Caylo, qui (*VII. p.* 250 *f.*) ordinem, quo septem illi sunt dispositi, a Saturno usque ad Venerem dextrorsum computandi, non observans planetas putavit, quos pro hebdomadis diebus accipere debebat.

320. Jam alteram tabulam de Zodiaci signis proponamus. Quorum *portentosas animalium figuras* quamvis Lactantius miraretur (§. 50); nullo tamen negotio intelligitur, primum illud inventum astronomorum fuisse, quo facilius cujusque sideris explicarent locum. Quos deinde secuti poetae fictionibus suis rem magis, ut assolent, intricarunt, ita ut vel asinos in coelum promoverent, eorumque nutrimento prospicientes et pascua ibi collocarent (*Spanh. ad Callimach. p.* 244). Multo magis etiam insipientes Mohammedani docuerunt asinam, qua Christus, et camelum, quo Mohammed vectus, in paradiso reperiri, atque ab angelo arietem, quem Isaaci loco Abraham immolaverit, eo esse adductum (*Millii diss. sel. p.* 89). O! ter felicia quadrupedia, quorum exemplis non potuit fieri quin omnium bipedum quoque spes erigeretur.

Zodiaci signa.	Eorum nomina.	Eorundem praesidio gaudent				Ipsorum autem tutelares sunt		et terni singulorum decani.
		Menses.	Partes corp. hum. docente					
			Manilio.	Julio Firmico	Sexto Empirico.	Dii.	Patriarch.	
♈ cui contr. ♎	ARIES. Κριος. מזל טלה	Aprilis.	Caput.	Caput.	Κεφαλη.	Pallas.	RVBEN.	Χονταρε. Χονταχρε. Σεκετ.
♉ contrar. ♏	TAVRVS. Ταυρος. מזל שור	Majus.	Collum.	Cervix.	Τραχηλον.	Venus.		Χαου. Ερα. Ρομβομαρε.
♊ contrar. ♐	GEMINI. Διδυμοι. תאומים	Junius.	Humeri et Brachia.	Humeri.	Ὠμοι.	Apollo.		Θοσολκ. Οὐαρε. Φουορ.
♋ contrar. ♑	CANCER. Καρκινος. סרטן	Julius.	Pectus.	Cor.	Στερνου.	Mercurius.	JVDA.	Σωθις. Σιτ. Χνουμις.
♌ contrar. ♒	LEO. Λεων. אריה	Augustus.	Latera et Scapula.	Pectus et Stomachus.	Πλευραι.	Jupiter et Cybele.		Χαρχνουμις. Ηπη. Φουπη.
♍ contrar. ♓	VIRGO. Παρθενος. בתולה	Septembr.	Ilia.	Venter.	Γλουτοι.	Ceres.		Ταμ. Ουεστευκατι. Αφοσο.
♎ contrar. ♈	LIBRA. Ζυγος. מאזנים	Octobr.	Clunes.	Renes et Vertebrae	Λαγονει.	Vulcanus		Σουχωε. Πτηχουτ. Χονταρε.
♏ contrar. ♉	SCORPIO. Σκορπιος. עקרב	Novembr.	Inguina.	Naturae sive Inguina.	Αἰδοιος και Μητρα.	Mars.		Σποχνηνε. Σεσμε. Σιεμε.
♐ contrar. ♊	SAGITTAR. Τοξοτης. קשת	Decembr.	Femina.	Femora.	Μηροι.	Diana.		Ρηουω. Σεσμε. Κομμε.
♑ contrar. ♋	CAPRICOR. 'Αυγοκερος. גדי	Januar.	Genua.	Genicula.	Γονατα.	Vesta.		Σμαт. Σρω. Ιερω.
♒ contrar. ♌	AQVARIVS. Ὑδροχοος. דלי	Februar.	Crura.	Tibiae.	Κνημαι.	Juno.		Πτιαυ. Αευ. Πτηβυου.
♓ contrar. ♍	PISCES. 'Ιχθυες. דגים	Martius.	Pedes.	Pedes.	Ποδες.	Neptunus		Αβιου. Χονταρε. Πτιβιου.

321. Atque hanc etiam tabulam paucis ut illustremus, fontesque ex quibus singula hausta sint, indicemus, opus esse videtur. Primo igitur loco signa collocavimus atque suum cuique contrarium subjecimus, Manilio quidem (2, 404) duce. Plures horum signorum formae cyriologicae esse videntur (§. 287) eaeque antiquissimae. Quo enim tempore sculpendi ars in primis adhuc quasi incunabulis jacebat Spartiatae simili jam, quo Gemini nunc notantur, modo simulacra Castorum rudi forma per duo ligna aequaliter inter se distantia duobus aliis transversis conjuncta repraesentaverant (*Plutarch. de frat. am. p.* 478). Adumbratas illas figuras, quales in libris scriptis maxime usurpatae sunt, videre licet apud Salmasium (*ad Solin.* 1236) Cangium (*in gl. Gr.*) et Roetherum (*ad Laur. Lyd. in extr.*). Quas tamen qui *omnes* cyriologicas vel symbolicas esse contendere vellet valde erraret. Librarii enim veteres saepe signorum loco breviatis verbis usi sunt, quippe quibus celerius, quam figuris, signa notarent. Ita Virginis in libris scriptis notae ♍ vel ♍ similes sunt omnino Tironianae [illegible] (*pal. crit. V.* 2. *P.* 2. *p.* 395) atque iisdem etiam literis VG constant, praesertim ubi addita est o finalis: id quod Salmasium (*p.* 1235) non perspexisse, sed de cornu copiae cogitasse, miror. Ita in Leonis nota, modo ♌, modo ♌ scripta, literae Ao apparere videntur. Ita in Sagittarii notis ♐, vel ♐, forsan ΤΞ (*Τοξοτης*) legere licet, praesertim ubi in fine Sigma additum ♐. Atque hactenus de Zodiaci in *codicibus* signis. Etenim quae in *gemmis* obvia sunt (§. 298. *Gorl. ann.*

104. *Capell.* 2. 7. *Molin. tab.* 28) parum differunt a formis, quibus adhuc utimur, uno hoc Librae signo ♎ excepto, modo recte illud (§. 279) explicaverim.

Nomina Latina et Graeca signis adscripta notissima sunt. 322.
Chaldaica autem a Buxtorfio (*lex. Chald.* 1523) mutuati sumus. Atque ea Phariseis in usu fuisse Epiphanius (*haer.* 16. *p.* 35) tradit; qui Graecis usus literis sic ea pronuntiata esse significat: „*Τελαα* (*nempe* טלה), *Σωρ* (שור), *Θωμιμ* (תאומים), *Σαρατων* (סרטן), *Αρι* (אריה), *Βιθουλα* (בתולה), *Μωζανη* (מאזנה), *Ακραβ* (עקרב), *Κεσετ* (קשת), *Γαδι* (גדי), *Δαλι* (דלי), *Δεγγιμ* (דגים)."

Singulis mensibus quaenam e duodecim Zodiaci signis prae- 323.
sint, ex veterum calendariis (*v. d'Acherii spicil. ed.* 1723. *T. II. p.* 57) maxime Farnesiano (*Boissard. III.* 140. *sequ. Graevii thesaur. VIII.* 20. *Gruter.* 138) didicimus. Quibuscum inscriptionem consentire Saubertus (*de sacrificiis p.* 80) tradit vetustissimam, quam tamen ubi invenerit nobis non prodidit.

Illorum deinde Zodiaci signorum quodquod cui deo vel deae 324.
commendatum esset Manilius (2, 438) docuit. Rem autem probe intelligamus necesse est, ne confundamus horum signorum tutelam, quae diis erat commissa, cum ea, quam iidem dii gerebant mensium. Nec ipse Scaligerus (*ed. Lugd. Bat.* 1600. *II. p.* 152 *ad Manilii p.* 43. *v.* 7) dilucide locum expediit, vel explanavit. Magis, arbitror, perspicua lectoribus diversitas erit ex tabula quae pagina versa sequitur:

Menses	quorum tutelam gerunt signa	aeque ac dii	qui tamen horum signorum tutelares sunt
Januarius.	Capricornus.	Juno.	Aquarii.
Februarius.	Aquarius.	Neptunus.	Piscium.
Martius.	Pisces.	Minerva.	Arietis.
Aprilis.	Aries.	Venus.	Tauri.
Majus.	Taurus.	Apollo.	Geminorom.
Junius.	Gemini.	Mercurius.	Cancri.
Julius.	Cancer.	Jupiter.	Leonis.
Augustus.	Leo.	Ceres.	Virginis.
Septembris.	Virgo.	Vulcanus.	Librae.
Octobris.	Libra.	Mars.	Scorpionis.
Novembris.	Scorpio.	Diana.	Sagittarii.
Decembris.	Sagittarius.	Vesta.	Capricorni.

325. Hinc patet deum, qui una cum aliquo Zodiaci signo mensem tueatur, nunquam eidem etiam signo praeesse, sed ei potius, quod sequitur. Nec enim Juno, quae, pariter atque Capricornus, Januarii tutelam gerit, Capricorno praeest, sed Aquarii signo, quod Capricornum sequitur. Nec Neptunus, qui una cum Aquario Februarium tuetur, Aquario praeest, sed Piscibus: et sic porro. Id quod minime mirum videri potest iis, qui rationem hujus rei perspexerunt. Namque Sol mense quidem Februario in Aqua-

rio est; sed ingreditur hoc signum XVI jam Kalendas Februarias, mense nimirum Martio, ut adeo per duorum mensium dimidias partes in Aquario sit constitutus: idem in ceteris quoque signis obtinet. Dies enim quibus Sol quodque signum ingreditur hi fere sunt (*ap. Bedam, Op. II. p.* 69):

XV.	Kal.	April.	in	Arietem.	XV.	Kal.	Oct.	in	Libram.
XV.	-	Maji.	-	Taurum.	XV.	-	Nov.	-	Scorpionem.
XV.	-	Junii.	-	Geminos.	XV.	-	Dec.	-	Sagittarium.
XV.	-	Julii.	-	Cancrum.	XV.	-	Jan.	-	Capricornum.
XV.	-	Aug.	-	Leonem.	XVI.	-	Febr.	-	Aquarium.
XV.	-	Sept.	-	Virginem.	XIV.	-	Mart.	-	Pisces.

Jam vero ii, qui cujusque mensis tutelam alicui Zodiaci signo tribuerunt, ad posteriorem temporis partem respexerunt, quo Sol in eodem Signo est: qui si ad id tempus spectassent, quo Sol primum id signum ingreditur: mensium tutela, quam dii gerunt, omnino conveniret cum tutela, quam Zodiaci signa in eosdem menses exercent. De antiquissima illa Chaldaeorum doctrina apud Diodorum (2, 30) locus classicus hic est: „Deorum principes numerant XII. Singulis mensem, et ex XII Zodiaci signis unum attribuunt."

In assignato cuique ex duodecim Zodiaci signis membro aliquo corporis humani veteres ad symbolicam quandam rationem respexisse videntur. Theo enim (*ap. Jablonsk. in panth. I.* 168) haec habet: Aegyptii recte omnino ab Ariete initium sumunt, quum 326.

animalia in signifero sic locarent, ut aliquam cum membris corporis humani haberent congruentiam. Et Arietem quidem cum capite comparant, in quo est principatus. Nam Aries ovium princeps atque ductor est.“ Quae quidem Theonis verba confirmantur membrorum ordine in tabula nostra (§. 320) consignato et incipiente a capite, atque inferius progrediente usque ad pedes. Quum vero non in omnibus consentientes viderem Manilium (2, 453), Julium Firmicum (*II. p.* 36) et Sextum Empiricum (*adv. astrolog. p.* 341): sigillatim unius cujusque sententiam observavi. Atro quidem carbone Priscillianistas notavit Augustinus (*catal. haeret. c.* 70) quod corpus humanum cum signis coeli contulerint: sed jam pridem ante eos a veteribus corporis membra planetis vel diis ipsis dicata fuisse supra (§. 294) monstravimus.

327. Jamque ordo ante (§. 320) propositus nos ad patriarchas perduxit, de quibus concilium Bracarense anno DLXIII convocatum inter alia (*can.* 2. *Mansi T.* 9. 775) edixit: „si qui duodecim signa, quae mathematici observare solent, per singula animae vel corporis membra disposita credunt, et *nominibus patriarcharum* adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.“ Quem quidem ne mireris, easdem ineptias a scriptore nostra aetate coorto (*Mem. de l'acad.* 5. *p.* 31) recoqui legas. Canon autem ille quum nomina non proderet equidem dubius aliquando haesi in patriarchis ipsis quaerendis. Inde ab Abrahamo enim eorum seriem jam incipere licet. At numerus duodenarius Jacobi filios (*Act. apost.*

VII, 8. 9) intelligendos svasit. Quam quidem opinionem veram esse vidi, quum in Orosii ad Augustinum consultatione (*Augustini oper. Basil.* 1528. *T. VI. p.* 444 *et ed. Bened. p.* 608) de Priscilliano haec legerem: „Tradidit autem nomina patriarcharum membra esse animae (?) eo quod esset *Ruben* in capite, *Juda* in pectore, Levi in corde, Benjamin in femoribus: et similia. Contra autem in membris corporis, coeli signa esse disposita, id est, *arietem* in capite, *taurum* in cervice, *geminos* in brachiis, *cancrum* in pectore.“ Plura quum non prodiderit Orosius, non nisi duo patriarcharum nomina tabulae meae inserere licuit. Appendix quidem ad Isidori etymologias (*Oper. III.* 523. §. 16), qui Hieronymo tribuitur, haec habet: Nam ex iis (gnosticis) aliqui, ut Irenaeus, apostolorum vicinus, refert, dicunt, contra duodecim signa duodecim patriarchas esse dispositos;“ - - sed frustra ego in Irenaei scriptis, quae adhuc exstant, hunc locum quaesivi, et certe scriptor ille, quippe Priscilliano longe antiquior, de eo nihil dicere potuit. Fortassis locus (*I*, 3. *p.* 14) quo „a Valentinianis duodecim aeonas cum duodecim apostolis comparari“ ait, isti errori ansam praebuerit. Theodotus autem, sive quisquis alius est, qui doctrinam orientalem, conscripsit, Valentinianorum dogma (*in f. oper. Clem. Alex. p.* 793) illud refert, quo statuerint, duodecim apostolos in duodecim Zodiaci signa translatos esse.

Nec decanorum nomina in tabula praetereunda esse duxi, 328.
quoniam fieri potest, ut eorum vel imagines, vel nomina plura,

quam adhuc vidimus in amuletis aliquando deprehendantur. Eorum enim figuras vario modo expressas malorum averruncandorum causa in annulis exsculptas fuisse, Psellus (*ap. Salmas. ad Solin. p.* 654) tradidit. Nec solum Celsus, loco mox afferendo, „ab eis invocatis" ait „morbos sanari;" sed Julius Firmicus etiam (4, 16. *p. m.* 107) scribit: „Necepso, Aegypti justissimus imperator, optimus quoque astronomus, per ipsos decanos omnia vitia valetudinesque collegit, ostendens, quam valetudinem quis decanus efficeret, quia una natura ab alia vincitur, unusque deus ab altero ex contrariis ideo naturis contrariisque potestatibus omnium aegritudinum medelas divinae rationis magisteriis adinvenit." Quibuscum omnino conferenda sunt, tum ea quae iste paulo inferius (*L. VIII,* 3. *f. p.* 215) repetit, tum etiam quae Porphyrius de morborum et calamitatum curationibus, decanis adtributis (§. 289), tradidit. Sed haec ad propositum nostrum sufficiant, neque enim omnem de decanis doctrinam ex aliorum libris (*Scalig. ad Manil. L. IV. p. m.* 328. *Salmas. ad Solim. ed.* 1623. *p.* 653. *et de ann. climact. p.* 552. *sequ. Kircher. Oedip. II.* 2. 152) exscribere est animus. De nominibus autem decanorum quaedam subjicienda esse videntur.

329. Unius cujusque in Zodiaco signi tres decanos nominat quidem Firmicus (4, 16. *p.* 107 *sequ.*): sed pluribus nominibus valde depravatis. Unde meliorem quam quae in vulgatis Firmici libris exstat, horum nominum lectionem Salmasius (*de ann. climact.* 610)

e scriptoribus Graecis eruit. Magis enim Copticam linguam haec plerumque sapiunt, quam illa. Sed utinam omnia explicasset vir doctus, qui, quamvis in fine (*p.* 613) haec addiderit: „horum omnium nominum interpretationes dabimus in nostro de lingua Aegyptia commentario," nusquam tamen, quod sciam, promissis stetit. Hoc etiam miror, Jablonskium, qui totus in Aegyptiacorum nominum explicandorum negotio occupatus erat, illorum ne mentionem quidem injecisse. Sed ipsam Salmasii lectionem non ubique certam esse, ex eo arguitur, quod Celsus nominum illorum quaedam aliter profert, quin etiam in nonnullis ad Firmicum propius accedit, ut in illo, quod habet, *Ἐρεβιου,* cui apud Firmicum respondet *Eregbuo,* quodque apud Salmasium prorsus desideratur, nisi ultimum *Ptibiou* pro eo scriptum esse velis. Celsi enim (*ap. Origen. VIII. p.* 416) haec sunt verba: „Quod autem vel minimae res non carent suis praesidibus, discere licet ex Aegyptiis, dicentibus *humanum corpus* in triginta sex partes distributum, et suam cujusque potestatem habere, sive daemonem, sive deum quendam aethereum. Quidam autem plures dicunt, alias attribuentes aliis, eosque daemones *propria lingua* nominant, ut *χνουμην, χναχουμην, κνατ, σικατ, βιου, ἐρου, ἐρεβιου, ῥαμανορ, ῥειανοορ* ceterisque nominibus *aeque Aegyptiis,* et invocati sanant morbos quisque suarum partium. Quid igitur vetat et horum et aliorum ambire gratiam, si quis malit valere quam aegrotare."

Non est igitur quod dubitemus Aegyptiaca haec nomina esse. 330.

In iis autem interpretandis praeter exiguam priscae hujus linguae cognitionem maxima oritur difficultas ex septem illis characteribus Aegyptiacis (§. 185), quibus Graeci carent, quorumque in locum alios, de suis substituerunt, qui ad illorum sonum praeter propter accederent. Quibus comparatis perspicere mihi videor, istis nominibus plerumque significari virtutes, quibus decanos praeditos esse finxerint. Jam speciminis causa quaedam, exempla subjiciam, quibus tamen noli plus tribuere quam vulgo conjecturis tribui solet. Decanorum nomina haecce legimus:

I. ARIETIS. 1. *Χονταρε*, 2. *Χονταχρε*. Utrumque nomen cum voce *χον* compositum esse patet: in primo ΤΑΡΕ Sahidice denotat *Aperire;* in altero ΤΑϪΡΕ *Firmare.* Quod utrique commune est *Χον* difficilius explicatur, nisi in eo latere dixeris Herculis Aegyptii nomen, quod in etymologico magno (*v. Χωνς. Jablonsk. opusc. I.* 415) ΧΩΝ scribitur (*conf. viros doct. ad Steph. Byz. p.* 724. 725). 3. *Σικετ.* Melius apud Celsum *Σικατ* scribitur. ϬΙ enim *Capere* et ΚΑϮ *Prudentia* vertitur.

II. TAVRI. 1. *Χωου:* puto pro ϪΩΟΥ *Generatio.* 2. *Ερω*, Celso *Ερου.* ΕΡΟΥΩ „*Germinare*" (*Rossi* 53). 3. *Ρομβομαρε*, Celso *Ραμαυορ.* Neutrum intelligo.

III. GEMINORVM. 1. *Θοσολκ.* ΘΟ *Vniversum* ϬΟΑΚ *Extendere.* 2. *Ουαρε.* ΑΡΕϨ *Custodia:* ΟΥ articulus indefinitus saepe cum nominibus coalescens. 3. *Φουορ.* ΟΥϨΟΡ *Canis;* Φ articulus.

IV. CANCRI. 1. *Σωθις*, *Canicula* sive *canis coelestis.* Multa qui-

dem disputata sunt de etymo hujus nominis: sed nullae, ne doctissimi quidem Jablonskii (*panth. II.* 50. *opusc. I.* 336) conjecturae placent. Equidem a ΣΟΤ *Servare* nomen duco. 2. *Σιτ.* ϬΙΤ *Capere.* 3. *Χνουμις,* Celso *Χνουμην,* quod nomen explicari vix poterit, nisi, Chnumin eundem esse, qui Chnubis (§. 483), dixeris: atque idem nomen esse tot comprobatur amuletis (*Montfauc. ant. II. Tab.* 150-152), in quibus simili imagini modo *Χνουβις,* modo *Χνουμις,* adscriptum est.

V. LEONIS. 1. *Χαρχνουμις.* Apud Raspeum quidem legimus ΧΡΑΧΝΟΥΒΙϹ ΑΝΟΧ pro ΧΑΡ (§. 213); sed facilius hoc explicari potest quam illud. ΧΑΡΩ enim *Silere* exponitur (*Rossii* 244), unde Charontis nomen. 2. *Ηπη.* Sive ϨΗΠ *Abscondere,* sive ϨΗΠΙ *Inferius.* 3. *Φουπη.* Nihil succurrit nisi Thebaicum mensis ΠΑΩΠΕ nomen, simile quidem, si sonum respicias.

VI. VIRGINIS. 1. *Τωμ.* ΤΩΜ *Adhaerere.* 2. *Ουεστευκατι.* ΟΥΕϢϹ Latum, *Dilatatum* (*Rossi.* 145) ΤΗΙ *Dare,* ΚΑϮ *Prudentia.* 3. *Αφοσο.* ΑΦΕ *Caput,* ϬΟ *Plantatio* vel ϢΩ *Multum.*

VII. LIBRAE. 1. *Σουχωε.* ΣΟΥΧΟΣ quibusdam quidem *crocodilis* tributum nomen est. Quoniam autem ΣΟΥ *stellam* denotat; cum hac voce illud nomen compositum esse censeo, sive posterior ejus pars per ΧΩ *Annuntiare* vel *Caput,* sive per ϢΩΙ *Altum* explicanda sit. 2. *Πτηχουτ.* ΠΤΑΙΗΟΥΤ „*Pretiosus.*“ 3. *Χονταρε* (*v. in Ariete*).

VIII. SCORPIONIS. 1. *Στωχνηνε* interpretari non audeo. 2. *Σε-*

σμε. ϢE *Venire,* ϬME *Custos.* 3. *Σιμε* interpretatus jam erat Salmasius (614) vocibus ϬI *Capere* et EMI *Scientia.*

IX. SAGITTARII. 1. *Pηονω.* PH Sol OYΩ *Cessare.* 2. *Σισμε* (*v. in praecedenti*). 3. *Κομμε.* KIM Agitare et MEϨ *Multum, Plenum;* sive illud *κομμι,* de quo vide Jablonskium (*Op. I.* 113).

X. CAPRICORNI. 1. ΣMAT. ΣMOT *Adspectus.* 2. ΣPΩ. *Victoria* Salmasio etiam interprete. 3. *Ισρω.* Idem illo auctore, quod antecedens, sed cum verbo I *Venire* compositum.

XI. AQVARII. 1. *Πτιαυ,* forsan ΠΤΑΙΟ *Honor.* 2. *Αευ.* AϨE Sahidice *Vita.* 3. *Πιτηβυου.* ΠΘBBIO Sahidice, ΠΘEBIO vulgari dialecto, *Deprimere.*

XII. PISCIVM. 1. *Αβιου.* Ad agriculturam spectare hanc vocem suspicor. Profert quidem La Crozius verbum EBIOYΩI, quod tamen non explicat, sed lectores ablegat ad OYΩI, *agricultura.* Est autem prior verbi pars ϨEBI *Aratrum.* 2. *Χονταρε* (*v. in Ariete*). 3. *Πιιβιου* forsan idem quod Celso *Ερεβιου;* et hoc quidem verius esse videtur, videlicet cum EP *Facere* et cum ϨEBIOY *Aratra* compositum.

331. Atque haec est mea de significatione illorum nominum conjectura, quantum equidem uniuscujusque etymon reperire mihi visus sum. Ac ne quis forte dicat, inesse in hisce nominibus vocabulorum indigestam molem sine ulla conjunctione per insertas M, N, Copticis alias usitata; sciat in vocabulis compositis, quamvis appellativis, eam ut plurimum desiderari (§. 174): multoque

adeo magis in nominibus quodammodo propriis. Conferat idem porro Aegyptiaca herbarum nomina apud Dioscoridem, itemque regum nomina ab Eratosthene explicata, ex quibus veriorem sane verba componendi rationem discet; quae diversa certe apud veteres erat, nec grammaticae legibus, a nobis demum compilatis, olim adstricta. Quod quum permultis verbis compositis comprobari posset: unum exempli causa excitasse sufficiet. Vocabulum BAAϨHT, si ad literam vertas, sonabit „Oculus cor" sive „Oculus mens," significat autem „hominem simplicem ac sine dolo" quasi dixeris, „hujus mentem in oculo positam et perspicuam esse." Unde patet hanc vocem, quamvis nulla inter BAA et ϨHT particula inserta, nihilominus probe intelligi.


In amuletis illa decanorum nomina inscripta nondum legi. 332.
Quam saepissime quidem nomen Chnubis (§. 483) comparet: sed hoc nomine non semper tertium Cancri decanum notari constat. In quodam etiam amuleto (*Gorl.* 417. *Kircheri arithmol.* 187. *Chifflet.* 69. *Montfauc. II. Tab.* 164. *Rasp. n.* 599) legitur OYAP quae quidem vox nomini secundi Geminorum decani est similis: quum vero totius inscriptionis sensus adhuc lateat; nemo prudens affirmare audebit, hoc decani esse nomen. Praeterea in eadem inscriptione leguntur voces, quibus prorsus alia decanorum nomina denotari ex numero xxxvi verisimile fit. Omnes enim tribus literis constant tribusque columnis ita sunt dispositae, ut in prima xi, in secunda xii, in tertia xiii nomina scripta legantur; qui-

bus summa efficitur xxxvi. Nec verisimile est Aegyptiaca haec nomina esse, quia in altera gemmae parte leguntur non solum Semitica nomina et formulae nobis plerumque nota, ut ΑΔΩΝΕ (§. 481) CEMEC EIΛAM (§. 561) ABPACAΞ (§. 106. 124. 452) AKPAMMA KAMAPI, CEC ЕГГЕN (§. 576) BAA ΦΑΡΑΝΓΗC (§. 569) MIXAHΛ (§. 195); sed in fine Graeca etiam haec: ΦΥΛΑΞΕΤΕ MAIANΩ; ubi observes velim tertium nominis casum pro quarto positum (§. 558). Maianus enim nomen proprium est (*Ficor. gemm.* *p.* 57). Ad Passerii (*II.* 244. 263. *f.*) interpretationem te ablegare nolim, quippe qui, ut assolet, fumum tibi vendat.

333. Praeter planetarum et Zodiaci signa alia aeque astrologica reperiuntur *conspectuum* sive, ut cum recentioribus loquar, *adspectuum signa* appellata, quorum rationem Censorinus (*de die nat.* *c.* 8), Sextus Empiricus (5, 39. *p.* 344), Julius Firmicus (*II,* 25), Ptolemaeus (*I,* 14), alii, docuerunt. Sunt autem haec: ☌ conjunctio, ☍ oppositio, ✶ sextilis, □ quadratum, et △ trigonum. Horum tria priora saepenumero in amuletis (*Capell.* 105. 156. 159. *Chifflet.* 65. 68. *cet.*) comparent. Aliud, quod interdum reperitur signum ☊ (*Capell.* 105) in gemma quidem supra (§. 298) exhibita, etiam obvium est; sed quum Leoni, Zodiaci signo, adscriptum sit, mendum in eo latere suspicor, ut verius fuerit hoc ♌. Illud enim ☊ caput draconis, idemque inversum ☋ ejus cauda a geomanticis (*Agrippa* *L. III. c.* 64. *p. m.* 160) appellatur: Gallis haec *nodi* audiunt (*Fournier manuel typogr. II.* 132). Quorum primum ab astrologis (*ap.*

Scaliger. in epist. 180. *p.* 378 *et ad Manil. I. v.* 629. *p. m.* 86. *Salmas. ad Solin.* 1238) etiam δεσμος καταβιβαζων vocatur. „Recentiores enim" Joannes Noviomagus (*ad Bedam de temp. rat. Op. T. II. p.* 55) observat „caput et caudam draconis vocant, quod Graeci ἀναβιβάζοντα και καταβιβάζοντα, Beda autem *absides*, id est circulorum commissuras." Amuleta quidem, in quibus illud signum comparet omnia recentioris temporis esse videntur: notatu tamen dignum est transversam hanc figuram ☊ inter signa etiam Aegyptiorum hieroglyphica reperiri (*Boissard III.* 57. 100).

Ac passim obvia esse in amuletis signa quae explicari nequeant (*Capell. n.* 2. 25. 28. 30. 105. 131. 156. 157. 159. 160. 169. 181. 182. 193. *Chifflet.* 65. 68. 76. 78. 103. *rel.*) eo minus nos pudeat fateri, quod in lapidum quoque titulis (*Montf. diar. Ital. p.* 419. 432) signa sint obvia, quorum verum sensum nemo adhuc invenerit. Haud igitur mirum videri potest in istis explicandis viros vel doctissimos saepe lapsos esse. Ita in hujus gemmae, quam infra in examen revocabimus, aversa facie 334.




Salmasius (*de ann. climact.* 570) literas agnoscere sibi visus est Aegyptiacas; quod quidem judicium nolim viro summo excidisse. Bellermannus etiam (1, 39. 40 *et* 3, 20) in amuleto quodam (*ap. Beger. in thesauro I.* 85) insculpta esse sortium signa sibi persvasit. Sed sortes ad divinandum tantum adhibebantur, quod superstitionis genus apud veteres satis frequens, quamvis a Cicerone (*divin. II,* 41) jam explosum, Christiana tamen ecclesia, quod memorare pudet, admisit (*Causa* 26, *Qu.* 2, *c.* 4. *in Boehmeri corp. j. can. p.* 878). Amuletis vero cum hoc superstitionis genere nihil unquam fuit commune.

335. Magica ejusmodi signa esse alii putant haud quidem sine causa si recentioribus scriptoribus fidem faciamus (*Scaliger in epist. laud. p.* 378). Nicephorus enim Gregoras (*in Synes. περι ἐνυπνιων p.* 360) de daemonibus scribit: „Evocantur certis figuris, quae vocantur characteres, inventaeque sunt a Chaldaeis et Aegyptiis, qui primi detexerunt cujusque daemonis signum diacriticum (*ταυτα παρα Χαλδαιων και Αιγυπτιων ἀρχηϑεν εὑρησϑαι, ἑκαστῳ δαιμονι γνωριστικον σημειον*).“ Cujus quidem generis, aut astrologici, figurae fuisse videntur Chaldaicae illae (§. 62) in Octavii tabella. De Aegyptiacis autem Rufinus (*v.* §. 112) „Canopi“ inquit „quis enumeret superstitiosa flagitia, ubi praetextu sacerdotalium literarum, ita enim appellant antiquas Aegyptiorum literas, magicae artis paene erat publica schola.“ (*Adde Porphyr. ap. Euseb.* 5, 7, 15. *p.* 203 *et Psellum ap. Stanley. in Clerici op. philos. L.* 1. *c.* 7).

Nec desunt scriptores, qui multa ejusmodi signa sive notas 336.
proferant nobisque persvadere velint, eorum se significationem probe nosse; ex quibus instar omnium duumviri notandi sunt, Kircherus et Agrippa. At vero Kirchero ne quis fidem habeat, nisi fontibus ex quibus hauserit exploratis et probatis! Et de Agrippa exscripsi olim ex libro, cujus auctorem adnotare neglexi, judicium quod sequitur: „Characteres, propter ignorantiam elementorum linguae Syriacae, veterum figurarum in libro *de occulta philosophia* tenui tantum vestigio ex Joh. Torresii Hispani et Bellisarii Petruccii bibliothecis magicis furto subducta reliquit Cornelius Agrippa." - - Sed qualiscunque sit illorum signorum significatio, miram eis vim ac potestatem attributam esse constat. Cujus rei inter alios testis est scriptor Justiniano imperatori aequalis, Alexander Trallianus, qui (*L.* 10. *p.* 593) inter alia superstitiosa remedia hoc etiam tradit: „Annulum ferreum accipito, atque ita in octangulum inscribito: Fuge, fuge heu bilis, alauda quaerebat" (*ἡ κορυδαλος ἐζήτει*) „figuram autem in annuli capite inscribito hanc ." In iis, quae praecedunt, remediis, Alexander alaudae etiam mentionem fecit, et combustae quidem vel comestae. Qua certe ave, cibo assumta, coli vitium sanari veterum fuisse opinionem testantur praeter Plinium Galenus et Dioscorides (*Fabric. bibl. Gr.* 4. 322), nec non Serenus Samonicus (*c.* 31. *v.* 580. *inter poet. minor.* 2. *p.* 303). Quod autem attinet ad vocem *quaerebat*, hoc veterum superstitionem redolere a Marcello Empirico discimus,

qui (*c.* 8. *p.* 56) „quum primum hirundinem audieris" scribit „tacitus illico ad fontem decurres et inde aqua oculos fovebis, et rogabis deum, ut eo anno non lippias doloremque omnem oculorum tuorum hirundines *auferant.*" Illud denique signum ab Alexandro Tralliano traditum simile propemodum est ei, quod amuleto insertum modo (§. 334) vidimus, et in aliis (*Capell. n.* 2) quoque comparet. Alterum superiori loco positum, et hac specie ⁂ ter repetitum, in gemmis (*Capell.* 105. *Montfauc.* 166) et lapidum inscriptionibus (*Camden Brit. p.* 594 *Gibsonii*) etiam observamus. Qua quidem forma interdum literam O scriptam esse (§. 193) licet haud ignoremus, poterit tamen illa et per ogdoadem explicari. Erunt forsan qui derivare haec signa a literis velint, quae coelestium et angelorum nomine circumferuntur (*Thes. Ambros. intr. in lingu. Chald. p.* 203. *b. Duret hist. des langu.* 119. 124. *Gaffarelli curiosit. inaud. Tab.* 1. *Kircheri Oedip. II.* 2. *p.* 217. *Bangii coel. orient.* 135. 136. *Agrippa L.* 3. *c.* 30. *p.* 71. *Fabric. cod. pseudepigr. V. T. I. p.* 1017. *Kappen Buchdruck. Kunst. II.* 154. *Tab. XXI*) quaeque in recentioribus amuletis (*Reichelt Tab. V. n.* 2) passim obvia sunt: quoniam autem cum literarum ex istis alphabetis nulla omnino conveniunt; quae prima illorum significatio fuerit, nequidquam harum literarum ope anquisiverint.

337. Frequenter obvium in amuletis signum est triplici SSS quam simillimum (*Capell.* 28. 30. 157. 160. 169. 181. 182. 193. *Caylus. VI. tab.* 19. *n.* 4), veluti in hac gemma



ad quam Passerius (*I.* 55. *II. p.* 98) observat „illius figurae significationem perquirere vanum omnino esse, quippe quae vel ipsis antiquis, nec non ipsis auctoribus, ignota fuerit.“ Posterius unde compertum habuerit, vir doctus retinuit. Atque haud quidem dubium mihi videtur Marcelli Empirici aetate illud in usu fuisse signum: remedium enim hoc (*c.* 24. *p.* 169) tradit: In lapide Jaspide aerizusa (*conf. Plin.* 37, 8, 37) si nota infra scripta insculpta fuerit, id est 555, et collo dolentis latus fuerit suspensus, mire proderit.“ Profecto haec nota eadem, quae in gemma nostra, erat; sed typographus, ut sumtibus parceret, pro figura, quam in libro scripto repererat, vulgares numeri quinarii typos, qui ei ad manus erant, substitutos usurpavit. In *occultae philo-*

sophiae libro quarto, quod perperam Cornelio Agrippae tribuitur (*v. Wieri op. p.* 108), simile quidem signum  (*p.* 186) *litera inhaerens* dicitur; sed hac explicatione non magis rei compotes facti sumus. Neque quod Salmasius (*ad Solin. p.* 1235) prodidit „in libro vetustissimo SSS explicari verbis ὀμβρια ὑδατα“ huc spectare potest. Dubitamus etiam an Nicolai (*sigl. c.* 17.) explicatio approbari possit, quippe qua significari tribus SSS *Secundum Signorum Seriem* affirmetur. Quodsi numeri tricesimi apta in amuletis significatio esset, melior ex lapidum titulis interpretatio pateret, in quibus illud ipsum signum triginta significat (*Sert. Ursat. in Graev. thes. XI.* 1116), quamvis Latinum numeri genus in gemmis aliam prorsus linguam prodentibus huic quoque explicationi obstaret. Audivi denique virum sane doctum de hoc signo disputantem atque contendentem litera S Chnubidem significari, adumbrata serpentis scilicet specie. Sed neque hoc mihi verisimile fit, siquidem haud necesse erat, adumbratam in gemmis addere figuram ei, quae perfecta jam exarata erat, et, quod majus est, ipso ejus nomine adscripto (*Capell.* 157. 160. 182). Cui quidem conjecturae et hoc obstare videtur, quod idem signum angulata etiam literarum S forma praeditum (§. 334) reperimus, serpentis certe dissimili specie.

CAPVT V.

D e l i n g u i s.

Ex omnibus prisci aevi reliquiis, quae quidem literatae sunt, nullae interpretibus minori curae adhuc fuere, quam gemmae, quarum *imagines* illi quidem ad satietatem usque contemplati sunt, *inscriptiones* autem omnes propemodum neglexerunt. Ego vero omnino sententiae subscribo immortalis illius Ernestii, qui (*in arch. literar. praef. p.* 9) sanioris certe consilii, expetebat et postulabat, ne quis elegantiae nomine captus ab archeologia *literaria* declinaret ad alteram, quae *magis* esset *artificis,* quam *hominis docti;* quo nempe ab aliquo tempore res vergere visa esset, quum nonnulli, eruditionem professi, *nimis multa de artificiis ipsis et operum pulcritudine dicere solerent, pauca ad usum literarum et doctrinae!* Ciceronem denique imitandum ille proponebat, de artium operibus ita locutum, ut non obtusus ad sensum pulcritudinis videri vellet, sed tamen abesset a *vanitate* eorum, qui acerrimo ejus sensu et judicio praediti vel essent, *vel videri vellent.* Atque illud vel perversum, vel omnino neglectum studium in iis praesertim gemmis observamus, quas amuletorum vicem gessisse tum recte, tum saepe falso (§. 19 *sequ.*) sibi persvaserunt, quia internoscere verborum quae esset sententia frustra laboraverant. Quae qui intellexerit, videbit quidem sermonem plerumque esse inconditum 338.

ac barbarum: sed non omnibus scriptis pretium constituit sermonis habitus et indoles, verum argumentum potius, quod in illis latet; siquidem hoc cognito certam demum imaginum rationem variasque veterum de multis rebus opiniones assequi licet. Neque enim tanti facienda sermonis elegantia est, quanti id quod ejus ope effici volumus, ut sensa mentis cum aliis communicemus. Sint igitur licet barbare inscripta illa monimenta: eo nempe magis philologos decebat, obscura in eis illustrare. Longe enim facilius est interpretari verba quae secundum grammaticae leges et consvetam cuique orthographiam literis mandata sunt, quam ex barbare conditis inscriptionibus (§. 222) verum sensum expiscari. Meminisse praeterea juvat Epicteti (*enchir.* 73) sententiae illius, qua patet, eos qui non nisi elocutionis genus admirentur, grammaticos potius quam philologos esse salutandos (§. 401).

339. Sed quotquot praeter Bellermannum (§. 16) viri docti de gemmis scripsere, Gronovius, Kircherus, Licetus, Macarius, Chiffletius, Sponius, Causeus, Molinetus, Agostinus, Begerus, Wildeus, Maffeius, Reuschius, Montfauconius, Stoschius, Marietus, Gorius, Passerius, Winckelmannus, Schlichtegrollius, Raspeus, alii, vel temere plerumque de inscriptis verbis hariolati sunt, vel imaginum tantum occasione arrepta qualiacunque ipsis in mentem venerant literis consignarunt; singulas autem gemmarum inscriptiones tantum abest ut penitus perspectas habuerint, vel quodammodo explanaverint, ut caverint etiam, uno Ficoronio excepto, ne in me-

dium proferrent gemmas literatas, quarum quidem interpretandarum onus gravius ipsis visum est, quam quod suscipere vel ferre possent. Iidemque sicubi gemmam nacti essent, cui insripta verba intelligere frustra laborarent, illico eam haereticis vel gnosticis tribuerunt (§. 22), nondum scilicet edocti potuisse et alios praeter hos corrupta ratione scribendi uti. Quorum monimentorum adeo neglectis studiis factum est, ut viros vel doctissimos, atque eos ipsos, qui antiquitates et mythos explicandos sibi proposuerint, videamus parum adhuc fructus ex gemmis collegisse, immo prorsus eas praeteriisse, illis etiam in locis, ubi multum inde praesidii firmandis opinionibus suis petere potuissent. Haud igitur superfluum esse arbitramur, hac ipsa commentatione, licet amuleta maxime spectet, alias etiam gemmas occasione oblata paulo accuratius perscrutari, quam ab eis, qui ante nos operam suam in hac re posuerunt, factum animadvertimus.

Linguarum, quae in amuletorum inscriptionibus deprehenduntur, quum varietas observanda est, tum conditio. Sunt enim inscriptiones, quae non nisi Semiticarum linguarum ope intelligantur: sunt quae Aegyptiaco, sunt quae Graeco, sunt quae Latino, quin etiam non desunt quae mixto ex diversis sermone videantur esse compositae. Id nempe voluisse illarum auctores, conjicio, ut qui hoc praesidio uteretur ea praesertim verba intelligeret, quibus tutela ipsi promitteretur, e. c. Romanus verbum *Servare* vel *Conservare*, Graecus φυλασσειν, διαφυλασσειν, σωζειν, Judaeus שמר: re- 340.

liquis ejusdem inscriptionis verbis saepe alia lingua expressis, quae quo minus amuleti possessor intelligeret, eo magis miraculo esse viderentur (§. 107. 345). Quod praemonendum esse duxi, ne quis forte, ubi ex notissimis illis verbis unum vel alterum legerit, statim sibi persvadeat, reliqua inscriptionis verba semper ex eadem lingua esse explicanda. Eo enim captus errore frustra in eruendo inscriptionis sensu laborabit.

341. Quod plurimarum in amuletis inscriptionum interpretatio parum feliciter hactenus processit, huic, quam modo explicavi, causae praesertim est tribuendum. Cui addimus miram quorundam, inprimis Kircheri atque Passerii, audaciam, adeoque, non nullorum imperitiam, qui paucis tantum hujus generis monimentis inspectis haud satis praeparati rem aggrederentur. Quo factum est, ut nondum satisfecerit, immo jure suspecta fuerit omnis amuletorum explanatio. Quum denique iis linguis, quibus illae inscriptiones conceptae sunt, Aegyptiaca quoque adnumeranda sit, neglectum hujus studium amuleta interpretaturis haud levi etiam impedimento fuit (§. 588). Sunt enim gemmae manifesto Copticis inscriptae verbis: quae, si quid video, dialectum Sahidicam magis, quam Memphiticam produnt (§. 594. 605. 614. *cet.*).

342. Quod ad Semiticas linguas attinet Hieronymus tradit multos ex ipsis Aegyptiis „lingua Chananitide, sive Syra, sua adhuc aetate uti“ (*Jesaj.* 19, *et Hieron. ad h. l.*). Ac si quis quaerat, qui factum sit, ut adeo propagatae fuerint Semiticae linguae, causam in-

primis a Judaeorum populo per varias terras disperso repetere in promtu est. Jam enim inde ab Alexandri M. temporibus teste Hecataeo Abderita (*ap. Joseph. c. Apion. I.* 22. *Op. II.* 456) permulti Judaei in Aegyptum, migraverant, additque Josephus (*II.* 4. *p.* 471) „non propter inopiam incolarum ab Alexandro in urbem Alexandriam eos congregatos esse, sed fidei et probitatis causa.“ Maximi Judaeorum in Aegypto habitantium numeri non ille solum (*antiqu.* 19, 4, 2. *I. p.* 944. *Bell. Jud.* 7, 10. *II.* 453) saepe meminit; sed magis explanata etiam ea sunt, quae Philo Judaeus (*in Flacc. Op. p.* 971) tradit, „Alexandriam habere incolarum duo genera, Judaeos et alios, totamque Aegyptum similiter: ac non minus quam decies centena millia Judaeorum habitare Alexandriam, totamque regionem quanta pateat a Catabathmo Libyae usque ad terminos Aethiopiae.“ Hactenus ille. Aegyptum autem quum plurimorum amuletorum patriam esse constet, quid mirum deprehendi in amuletis sermonem Judaeorum? Certe non erat quod Molinetus (127. *n.* 4) gemmam, in qua nomen ΙΟΥΔΑC est incisum altius a captivis olim Israelitis repeteret.

Neque ad Aegyptios solum, sed ad Graecos Romanosque etiam 343.
Semiticae linguae propagatae fuerunt. Dissipati nimirum Judaei per totum terrarum orbem, si non puriorem, corrumptam certe et Chaldaicis peregrinisque verbis mixtam dialectum attulerunt. Cujus dispersionis causa in enormi Judaeorum fecunditate, et forsitan quoque in auri sacra fame quaerendam esse arbitramur. „Ju-

daeos" Philo (*l. c.*) inquit „una regio non capit propter hominum multitudinem: quam ob rem plurimas et fortunatissimas urbes in Europae Asiaeque provinciis atque insulis incolunt." Magis etiam post deletam demum Hierosolymam Romanis innotuerunt Judaei, nequaquam autem grati eis fuerunt et accepti. Quod salse et facete Rutilius (*itin. I.* 395) significat his versibus:

Atque utinam numquam Judaea subacta fuisset
Pompeji bellis, imperioque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt
Victoresque suos natio victa premit.

Quas quidem querelas (*Juvenal* 14, 100) de insociabili hoc genere hominum, quippe qui peregrinorum odio semper flagrarent (*Diodor.* 34. *T.* 10. *p.* 99. 100 *Bip.*) haec Dionis (37, 17. *p.* 122) etiam verba confirmant: „Est id genus hominum apud Romanos quoque: ac tametsi saepe numero imminutum fuerit, ita tamen auctum est, ut legum quoque potestatem vicerit."

344. Quantumvis autem per Judaeos propagatam esse linguam Hebraeam et Chaldaicam dixeris; haud tamen praetermittendae sunt aliae usurpatarum in amuletis peregrinarum linguarum causae. Quarum unam supra (§. 107 *sequ.*) jam attulimus. Aliam patres ecclesiae ex affectato ab haereticis genere loquendi repetunt. De Pharisaeis enim Epiphanius (*haeres.* 16, 2. *p.* 34) scribit: „Fato et astronomiae plurimum tribuebant. Argumento est, quod Graeca omnia vocabula vanissimae illius artis propria totidem ab iis He-

braeis sunt reddita vocibus." Pariter Hieronymus (*adv. Jovian. L.* 2. *Op. T. IV. P. II. p.* 227) „haereseos universus paene error de Chaldaeo et Graeco sermone processit;" et certe gnosticarum familiarum haud exigua vel ignobilis pars a Syris oriunda erat.

Attamen et ante gnosticos et post eos eandem hominum superstitionem fuisse (§. 107. 499 *sequ.*) vidimus; qui a formulis, verbis solemnibus conceptis (§. 77. 503. 504), et ab iis inprimis, quae ipsis obscurae erant, ne discederent magnopere cavebant. Quo etiam factum est, ut in sacris peragendis semper iisdem verbis, quamvis ignotis, uterentur. Ita ut fere conveniant quae Ovidius (*metam.* 14, 366) de Circe canit: 345.

Ignostosque deos ignoto carmine adorat,

Atque proprium loquelae genus Samothracibus fuisse Diodorus (5, 47) refert, cujus multa in sacris, sua etiam memoria, vestigia retineri perhibet. Item in Lydia Pausanias (5, 37, 3) ipse audiit sacerdotem rem divinam facientem, qui carmen recitabat prorsus barbarum lingua nempe Graecis plane ignota. Saliorum carmina fatente Horatio nemo Romanorum intelligebat, iisque nihilominus fratres Arvales utebantur. Apud majores etiam nostros inveterata fuit opinio deum nisi tribus linguis adorari non posse (*Synod. Francofurth. a.* 794. *can.* 52. *Capitular. Baluz. I.* 270. §. 50), quas linguas Hebraeam, Graecam, et Latinam esse ex Isidori etymologiis (*IX,* 3. *Op. T. III.* 396) et Johannis VIII pontificis Romani literis ad Moravorum principem missis patet. Hebraeae qui-

dem venerationem postea desiisse, ejusque in locum successisse Slavonicam e recentioribus quidam sunt qui tradant (*Lambecc. commentar. ed.* 2. *L. II. col.* 589). Quid? quod hodieque ab ecclesia Romana in re divina sermo adhibetur Latinus, quem paucissimi audientium intelligunt!

346. Multo minus igitur Jamblichum miramur, qui preces antiquas immutare vetet, jubeatque linguis Aegyptiorum et Assyriorum, quasi diis familiaribus uti (§. 109). Magis etiam ad amuleta conficienda spectant, quae Synesius (*encom. calvit. p.* 57) asserit „a multis se accepisse, Aegyptios pelliciendorum deorum artificium atque illecebras quasdam tenere, quibus quando libuerit *barbaris* aliquot vocibus insusurratis deos omnes eliciant, quicunque attractionibus quibusdam deduci naturae suae conditione possint.“ De formulis quibusdam, vocibus istis conceptis, infra (§. 504. *sequ.*) dicendi locus erit. Sed addere hic placet, quae saeculo etiam XVI Ricardus Argentinus Anglus (*de praestigiis et incant. daemon. Basil.* 1568. *cap.* 4. *p.* 27) tanquam ex arcanae sapientiae penu depromta, tradit hisce verbis: „Si quis quaerat, qua dialecto maxime capiuntur daemones, sciendum est Hebraica; id quod per daemoniacos apertum est, qui non sua, sed daemonum habitantium dialecto loquuntur, quae eadem atque una est angelis et daemonibus.“

347. Ad amuleta autem ut redeamus, si verba in eis Hebraea Hebraeis etiam literis scripta essent, tanta non laterent obscuritate in-

voluta. Quaedam enim explicatu sunt difficillima: non quod desint Hebraea verba, quae elici queant ex inscriptionibus Graecis literis exaratis; sed quod nimius contra sit numerus tot vocabulorum, quae omnia ex iisdem literis effici possint. Quo fit, ut in eligendo eo, quod aptissimum videatur ex pluribus vocabulis incertus saepe et suspensus haereat interpres, nisi ab imagine addita et argumento inscriptionis ipso interdum adjutus fuerit. Sed de hoc auxilii genere infra (§. 533. *sequ.*) videamus.

Linguarum in amuletis usurpatarum quae sit conditio mox 348.
clarius perspicietur, ubi (§. 589. *sequ.*) amuleta ipsa explicabimus. Sane inpolita, rudis, quin etiam barbara dictio est, ita ut difficillima plerumque sit intellectu. Id quod monere lubens supersederem, nisi periculum esset, ne omnes fere illarum inscriptionum interpretationes redarguerentur ab iis, quorum aures delicatae huic generi dicendi minus sunt adsvetae (§. 4. *sequ.*). Sed ut rectius dijudicemus ea, quae quin integram aetatem tulerint dubitare non licet, quibusque, quum archetypa adhuc exstent, neque demi, neque addi, quidquam a temeraria criticorum manu potuit; tria potissimum respicienda sunt: *tempus*, quo quidque exaratum fuerit (§. 349); *auctoris* deinde, a quo profectum, conditio (§. 350); *regio* denique, quam quasi natale solum ille agnoverit (§. 354).

Amuletorum, quae exstant, major quidem pars iis tempo- 349.
ribus originem debet, quibus omnium fere linguarum indoles corrupta fuit. Etenim primis jam Christianis opprobrio verti solitum

fuisse legimus „trivialem et sordidum sermonem barbarismis et soloecismis obsitum et vitiorum deformitate pollutum“ (§. 352). Quam quidem vituperationem minime fuisse iniquam, non solum sepulcrales eorum tituli luculenter declarant; sed alius etiam generis monimenta, quae paulo inferius mihi erunt observanda. Attamen non Christianorum sola, verum quae ab aliis eodem fere tempore scripta sunt, saepe non minorem in dicendo scribendoque barbariem produnt (§. 356).

350. Porro de conditione et statu illorum quaerentibus, qui scripta ista reliquerint, primum nobis discernendum esse videtur inter eos qui patrio, et eos qui peregrino sermone usi sint. Ita Graecos, Lucianus (*merc. cond.* 24. *T.* 3. *p.* 245) tradit, male nec sine barbarie Romanorum lingua uti. Nec mirum, obtrusa enim illis et vi introducta lingua erat (§. 177. *Broxhorn. origin. Gall. p.* 80. *Ruhe philol. num.* 2. *p.* 54): unde Plutarchi aetate (*qu. Platon. p.* 1010) omnes fere ea uti debebant. Atque ab illis, qui peregrini erant, nemo sane sermonis elegantiam poposcerit vel exspectaverit; immo hospitem dictio ipsa saepenumero prodat necesse est. Ex pluribus hujus rei exemplis inscriptionem illam in memoriam revocare sufficit, quam supra (§. 199) protulimus. Praeterea multa sunt amuleta, in quibus Graeca vel Hebraea verba ab Aegyptiis hominibus incisa sunt, quae si mendis carerent, profecto admirationem nobis moverent.

351. Secundo loco discernendi sunt qui humanioribus literis fuere

eruditi ab hominibus de plebe. Eruditorum e numero certe neque ipsi amuletorum auctores, neque gemmarum sculptores fuerunt; sed e circulatorum illi turba cum medicis apud Romanos ocula-riis conferendi. Horum etiam inscriptiones hodie quidem nemo non intelligit: olim autem vel doctissimi viri frustra se torserunt, ut ex eis eruerent sensum vocabulorum, qualia sunt *stratioticum, talasse rosa, cycnarium, diarodon, diamysus, diarices, tipinum, chloron, cheledon, diabsoricum, stactum, lisiponum, diacherale* et innumera alia; ut omittam leviora, quae contra orthographiae leges ab istis hominibus commissa sunt, scribentibus ED pro ET, AT pro AD, Y pro I, B pro P, cet. (*v. quae scripta sunt a Walchio, Saxio, Maffeio, Caylo, Wesselio, Murrio, Chishullio, Sponio, Millinio, Tochonio*). Medici hi erant indocti atque ex eadem circulatorum et hominum vaniloquorum grege (*conf.* §. 58. *et Max. Tirium diss.* 3. *p.* 29), e qua et amuletorum auctores provenerant, iis scilicet adnumerandi, quos jam Ennii aetate tales fuisse hisce ejus versibus (*ap. Cicer. divin. I. f.*) salse et facete scriptis docemur:

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium.
Non enim sunt ii aut scientia aut arte divini,
Sed superstitiosi vates impudentesque harioli.
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:

Quibus divitias policentur; ab iis drachmam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.

Jure igitur quaerimus, num quis facile sibi persvadere posset, ejusmodi homines rectum semper et bonum dicendi genus fuisse secutos. Probe contra Quintilianus (*I.* 6. *p.* 50) a bono genere dicendi sermonem distinguit quo imperiti vulgo loquantur, additque suis etiam temporibus „tota saepe theatra et omnem circi turbam barbare exclamasse.“ Linguae scilicet castitatem non nisi pauci iique docti servarunt; et egregius sane error est eorum qui non nisi illorum libris perlectis sibi persvadeant, omnia quae olim literis mandata sint, sive in gemmis, sive in lapidum titulis, eandem debere castitatis notam prae se ferre. Sapientiores omnino philologi nobis videntur ii, qui quae observavimus non ignorant. Vix enim Salmasius explanare historiae Augustae locum quendam (*Capitolin. Ver.* 9. *p.* 235. *Schrevel.*) potuisset, nisi in ipsis lapidum titulis sermonis vitia saepe repetita legisset, ut *ante fronte, cum quem, cum conjugem suam, cum partem, a latus, extra fano*, rel. Atque Graecas in Nubia repertas inscriptiones Niebuhrius nunquam intellexisset (§. 363. *sequ.*), nisi vir ille multarum rerum peritus et experientia edoctus, compertum habuisset, interpretibus de sermonis vitiis non semper aut ubique esse laborandum. Sed multo etiam magis culpandi sunt critici, qui ejusmodi vitia deprehendere sibi visi sunt, ubi eorum nullum revera aderat (§. 6). Ita Sponius (*recherch. p.* 243) in lapidis cujusdam titulo legens: *mea*

ossa tueatis - - extremum hoc verbum grammaticae repugnare exclamat, quippe quod pro *tueamini* perperam sit scriptum. Qui si Ciceronem (*de leg.* 3, 3) legisset hoc certe loco judicium suum cohibuisset. Ita Fabrettus (*p.* 587) ad Graecam hanc inscriptionem ΛΑΦΝΟC ΕΖΗCΕΝ ΕΤΗ. ΚΕ. ΤΟΥΤΟΥ ΚΑΤΘ ΤΕ ☧ ΙΖ ΚΑΛ CΕ. illum *τουτου* secundum casum male respondere *τοι Δαφ-νος* observat. Verterat enim *qui decessit.* At vero intelligere debebat *τουτου καταθεσις*, et vertere *hujus depositio.*

Primos Christianos, quorum plurimi ex infima plebe erant (1. *Cor.* 1, 26) pravo, quod supra (§. 349) vidimus, genere dicendi usos esse non est quod miremur. Ne eruditiores quidem inter eos, Lactantium, Minucium, et paucos alios si exceperis, hac in re imitandos quispiam sibi proposuerit. De impuro enim sermone Arnobius (*I. p.* 35) disserens „puerilis“ inquit „et angusti pectoris ista est reprehensio - - et quaenam est ratio naturalis, ut hic paries dicatur et haec sella? - - *Humana* ista sunt placita!“ - - Quo patet, persvasum illi fuisse, *divina* sola Christianum decere. Quare et Hieronymus (*adv. Rufinum*) „se scire“ ait „inter Christianos verborum vitia non solere reprehendi;“ idemque, quamvis humaniorum literarum fuerit studiosissimus, tamen (*ep.* 22. *ad Eustoch. c.* 13) „reprehensum se a summo judice“ fatetur, „qui Hieronymum nequaquam *Christianum* sed *Ciceronianum* esse, indignabundus edixerit.“ Atque haec distinctio adeo placuit Romanae ecclesiae, ut meruerit in corpus juris canonici (*Can.* 7. *Dist.* 37) recipi! Pro- 352.

be eam quoque tenuisse videtur Gregorius III. Romanae ecclesiae antistes, cujus in marmore (*Inscr. basil. S. Pauli p. IV. Muratori IV.* 1881) insculpta verba, neutiquam Ciceroniana, haec leguntur: „Breve facta (sic) *a me* Gregorio III. papae (sic) de oblationes (sic), que offerre debentur (sic) per singulos dies“ cet. Fac quidem ignaro Gregorio haec incisa fuisse; quid, quaeso, censendum de ceteris sacerdotibus, qui istis verbis perlectis nihilominus hoc marmor Romae erigi sinerent?

353. Sed tantum abest ut Ciceronem ad imitandum sibi proposuerint Christianorum theologi, ut totum paene eorum vitae curriculum barbaris quae ipsi olim usurpaverint verbis narrari possit; Scilicet „a peccatoribus nati, ut peccato originali ab eis abluto, in Christianitatem reciperentur, baptizati sunt: postea ipsi baptizarunt. Devoti sese humiliarunt, genicularunt, peccaminibus rebusque mundanis renunciarunt, jejunarunt, et indesinenter ambularunt in mandatis, in oblationibus, et justificationibus, prosecuti devotionem, fidem et credulitatem eorum quae evangelizata sunt. Secularibus porro studiis et irreligiosis scandalizati et carnalibus delictis irremissibilibus poenitentiarii in desolationem facti; sed mediator unigenitus rectificatos salvificabit et vivificabuntur juxta bona opera eorum. Nam dogmatizarunt, blasphemantes anathemizarunt, haereticos excommunicarunt, diabolos exorcisarunt, infantes exsufflarunt, altarium benedixerunt, coelitus inspirati prophetarunt, persecutionem Christianorum indigitarunt, et dum in seculo vixe-

runt, tribulati, martyrizati, agonizarunt, passi sunt: sed canonizati in extremo judicio revificabuntur." - - Nec multo meliori Latinitate olim usi philosophi sunt, quoad Ernestius puriorem eos dictionem docuit. Quid? quod patrio etiam sermone nostra adhuc aetate adeo sunt abusi, ut vix intelligerentur, et legis illius commonefaciendi esse viderentur; quam a Momo (*Lucian. cons. deor.* 17. *T. IX. p.* 193) rogatam Jupiter promulgasse fertur, hujus quidem tenoris: „Philosophi ne *nova* fingere nomina velint, neque nugas agere de iis quae ignorant."

Ac non solum a quibus hominibus sed etiam quibus in locis scripta sint monimenta scire refert, ut recte judicemus de sermonis indole. Amuletorum inscriptiones qui probe noverit haud dubie plerasque in Aegypto, praesertim Alexandriae, exaratas fuisse conjiciet. Qua quidem in urbe tanta tot hominum ex diversis populis colluvies exstitit, ut linguis aliis alias depravari necesse esset. Similis quodammodo Romae Romanae et Athenis Graecae linguae Ciceronis jam temporibus sors fuit; qua de re ipse queritur (*de clar. orator.* 74) his verbis: „confluxerunt et Athenas et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis: quo magis expurgandus est sermo" cet. Idemque (*ad divers.* 9, 15) „in urbem nostram" inquit „est infusa peregrinitas: nunc vero etiam braccatis et transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat." Alexandria autem, in cujus museum, teste Philostrato (*de vitis sophistar. in Op. p.* 524), olim ex omni terrarum orbe 354.

eloquentissimi quique viri convocabantur, Athenaei tempore (*Falconer. inscr. athlet. p.* 110) ita jam mutata erat, ut qui rhetoricam ibi profiterentur, vix digni essent, qui commemorarentur.

355. Sed magis exempla rem declarabunt ex notissimis linguis collecta. Qui Romanam linguam non nisi gravem et castam se nosse gloriantur, quum serioris aevi reliquias unquam perlustraverint, in hasce demum incidentes neque voces intelligent, neque elocutionem unquam adeo corrumpi potuisse, credent. Exemplo igitur sint ex singulis quidem verbis haec: „Bircinium (*Murat.* 1834, 7. *Donius* 535, 47) Birginio (*Murator.* 1957, 2) Virginia (1955, 2. 1970, 5) et Virginius (1469, 7. 1835, 9. 1834, 8. 1846, 2. 1911, 5. 1934, 2) Cupare (1844, 10) Cumpare (1848, 4) Comparaes (*Reines.* 904, 906. *Bertoli ant. Aquil.* 331) Juus (*Boldetti.* 422) Mamma (*id.*) Paimentum, Por, Poseivi (*id.*) Quirella (423) Vniviria (*id.*) Issula (*Fabretti p.* 45. *n.* 254) Issa (*id. n.* 255) Susum (*p.* 52. *n.* 295) Sedeim (177 *f.*) Vexidere (150. *n.* 197) Numibus Augustorum monmentu (*Cayl. III. p.* 377. *tab.* 103 *f.*), et alia innumerabilia.

356. Sed juvabit ex obscuris illis temporibus integras aliquot afferre elocutiones. In ipsis enim, quae vel auctoritatem publicam prae se ferunt, chartis (*Schoenemann Syst. der Diplom. I.* 535) legimus: „*Talem praeceptum — Ad vestris heredibus — Pro remedium — De quas — Cum omnia adjacentia vel appenditia — De omnes supra scripti — Sine pretium usque aqua — De heretis meus — Cum dedisset et vindidit edimonire estruminto roduli ad sic volo*

tivi vindere et donare concedere pro sirvicium tantum quotidianis diebus inpindere ve dor hoc est in fondo" cet. Ac ne quis in chartis tantum tot reperiri soloecismos credat, ecce in lapidibus etiam antiquioribus legere licet: „Dis Manes" (*Inscr. Etr. I.* 170), — „Hic munimentus herede non sequitur (*Gruter.* 777, 6); „De donnm dei — De dona dei — De maxima dono Christi (*Bertoli ant. Aquil.* 343) — „Hoc locum" (129, 14) — „Fatus malus" (661, 6. 663, 5) — „Spirito sancto" (*Reines.* 942) — „Se bibi conparaberunt" (903) — „A pontifices" (*Gruter.* 518, 4) — „Af Capuam" (150, 7) — „Cum conjugem suam" (1139, 13) — „Sabinianae, cum quen feci." (*Bertoli* 204). „Cum qui vixi." (*Ficor. gemm. p.* 47) — „Ara consecravit — Ante ara positu est" (*Mem. de l'acad.* 2. *p.* 460) — „Ob memoriae" (*Grut.* 739, 3) — „Se biba emet domnina locum a successum trisomum" (*Aringh I.* 306) — „Monumentus hic est" (*Barbault mon. Rom. p.* 25. *f.*) — „Qui semper cum parentes suos innocentissime vixit" (*Boldetti* 54) — „Cujus anima cum sanctos in pace" (58) — „Edificatus est hanc civorius" (*Maffei mus. Veron.* 181) — „Epytafium hunc qui intnis lectur bone recordacionis Agapi negutiatoris membria quiescunt" (*Maffei Gall. ant.* 102) — „Bene memorius" (99): Quod idem in alio legitur (*Hist. de l'acad. des inscr.* 25. *p.* 142) — „Benememoriens (*Murat.* 1899, 7) — „Ab Isem Pelagiam — Ab aedem" (*Cuper Harp.* 145.) „Pro salutem et victorias impp." (*Donat.* 62, 7. *Gruter.* 4, 12 et 46, 9). „Pete et roga pro fratres et sodales tuos" (*Buonarr.* 167. *Inscr. Etr. I. p.* 219).

„In nomine patris et filii et spiritum sancti — si quis hunc sepulchrum volaverit partem habeam (sic) cum Juda" (*Murator.* 1858, 5) — „Me bibo archa feci" (*Ejusd. ant. Ital. II.* 1010) — et in egregio opere caelato „Filibus suis" (*Boissard. III*, 92. *Montf. V. tab.* 95) — „Parentorum" (*Marini* 315): in pulcherrimo denique lapide „uxsori com qua vix. et soveis" (*Montf. V. tab.* 85), cet. Quin Augusti etiam aëtate lapidibus insculpserunt: „Quod est in palatium;" porro „Fufiae Clymene et Fufiae sorores dat olla" (*Murat. II*, 990..991) — „Conjuges sues," pro *suae* (*v. Gorii columb. libertor. p.* 189): ita et *soveis*, et *seue* et *siu* legeris in inscriptione supra (§. 199) allata. Ex quibus Augusti aetate scriptis, nec non ex Ciceronis illis verbis (§. 354) manifesto elucet, ne aurea quidem Latinae linguae aetate sermonis vitia exulasse, et omni tempore fuisse homines, qui barbare loquerentur (§. 351).

357. Sed sunt fortassis, qui ex Latinis barbaras inscriptiones integras legere cupiant, quarum copia tanta est, ut exempla eis non defutura sint, modo libros a me laudatos evolvere voluerint. Praeter eas, quae passim in hoc ipso libro obvias legere licet, hanc (*ap. Fabrett.* 556. *n.* 26. *Corsin. diss.* 2. *p.* 27) subjungere placet, quia cum alia, quam Thorlacius (*opusc. acad. IV.* 93) evulgavit et illustravit conferri potest quod ad verba attinet apud hunc ISCALIRE, et ISCALA in hac inscriptione:

QVORO SVN NOMI
NAE MASIME

CATIBATICV
ISECVNJV
MARTVRE
DOMINV ✱
CASTVLVISCAL A

Graecum quoque vocabulum *καταβαθμος* Latinis immixtum vides. In alia (*Corsin.* 35) legitur CVM SPIRITA SANCTA. ACCEPTVM EVMTE (*eundem*) ABEATIS (*a beatis* vel *habeatis*) INNOCINEM (*innocentem*) cet. At vero lectorum patientia abuti nolim.

Mihi quidem persvasum est neminem fore, qui perspectis illis 358. corruptae Latinae linguae exemplis huic soli tristem illam sortem cecidisse credat, reliquarum linguarum castitate semper servata. Quodsi Romae, quae universo fere orbi terrarum imperabat, id accidit, quanto etiam magis Graeciae accidere potuit, cui captae barbarorum imperium semper fere gemendum erat. Ac re vera ei hoc accidisse, non solum Graecorum qui hodie sunt sermo testatur, sed priorum etiam post Christum saeculorum tum monimenta, tum scriptores docent; ex quibus Plutarchus (*de Stoic. p.* 1047) haud obscure significat, fuisse inter Graecos, qui soloece loqui haud dedecori esse putarent. Corruptae hujus linguae causas quum copiose exposuerit Cangius (*in gloss. Gr. praef. p.* 3); breviter notare hoc loco sufficiat qua potissimum ratione absoluta fuerit illa pejor et deterior linguae conditio. Vera primum pronuntiatione neglecta mox evenit, ut scribendo etiam literas inter se permutarent.

Deinde ex continua cum peregrinis consvetudine et commercio vocabula ei sunt illata barbara aliaque ad similitudinem temere conficta. Porro genuinae nominum terminationes mutatae sunt, ut *Ιουλις* scriberent pro *Ιουλιος* (*Ficor. gemm. lit. p.* 45), *Διονυσις* pro *Διονυσιος* (*Paciaudi Gr. anagl. interpr. p.* 15) similiter *μαρτυριν*, *σκοτιν*, cet. flexione eorum etiam barbare facta. Denique grammatices imperii impatientes ejus praeceptis parere desierunt, praesertim orationi alienos nominum casus immiscentes (*v. ad Lucian de dea Syr.* 16. *doct. interpr. p.* 382 *f.*); ut scriberent e. g. (§. 332) *φυλαξετε Μαιανῳ.* et (*ap. Gor. inscr. Etr. I.* 373) *πληρωσασα χορονῳ* (*vel χορονο. Montf. diar.* 361) atque Latinis quidem literis (*ap. Fabrett.* 465. *n.* 19) DOE SE (*δοη σε*) OSIRIS TO PSYCRON HYDOR. Sed plura ejusdem rei exempla infra (§. 361 *sequ.*) obvia erunt. Neque enim ipsius grammaticae leges omnes defendi possunt, nisi ad consvetudinem quis provocare voluerit, quae vero quum varia fuerit, varium etiam in monimentis dicendi usum reperiri necesse est, vel ipsius grammaticae legibus repugnantem. Permulta exempla suppeditat de dialectis doctrina, praesertim illa de Attica.

359. Ne vero desint Graecorum etiam barbare scriptorum exempla, titulum, qui in basilica Pauliana apud Treviros lapideae basi insculptus est, hoc loco inseramus. Maluimus autem exemplar sequi, quod Browerus (*ant. et annal. Trevir. I.* 63) exscripsit, quam alia (*ap. Gruter.* 1052, 6. *Scaliger. emend. temp.* 516. *Ban-*

dur. de num. II. 550), quibus critica manus postmodo admota esse videtur, quibusque quamvis inspectis nihilominus ille inscriptionem nobis dedit, qualis sequitur:

ΕΝΘΑ ΚΕΙΙΕ ΕΥCΕΒΙΑ ΕΝ ΕΙΡ
ΙΝΙ ΟΥCΛΙΕΡΟΟΚΜΙΙΤΙΑ ΙΙΩΚ
ΩΜΙΙCΑΛΑΛΝΩΝ ΖΙΙCΑC
ΜΙΚΡΟΙΙΡΟCΕΤΩΝ ΙΕ ΥΙΙΑΤ
ΙΑ ΟΝ. ΩΡΙΟΥΟ ΙΙΚΑΙ ΚΩCΤΙΟΝΙ
ΝΟΥΤΟ Α ΜΙΙΝΙΙΑΝΙΙΜΟΥ
ΙΒ ΗΜΕΡΑ ΚΙ Β ΕΝ ΕΙΙΙΝΙΙ.

Quum deformibus literis haec scripta esse Browerus ipse tradat; ante omnia illi, quibus aliquando eas contemplari contingat, praesertim attendant ad figuram II in secundo vocabulo, quae quin ex duabus literis IT coalitis orta sit neutiquam dubito. Istas enim literas cum II ob figurae similitudinem haud semel confusas esse, pluribus exemplis edocti sumus. In Philarmonico Licinii Prisci, Maffeius (*art. cr. lapid. p.* 100) ait, literis IT perpetuo sic **IT** scriptas ideoque perperam pro II habitas esse (*conf. Placentin. c. 5. p.* 43). Id etiam in extrema voce, basi Memnonis insculpta, ΕΙΙΙΙΡΟΙΙΟΥ, pro *επιτροπου*, observari potest. Atque apud Winckelmannum (*Denkm. n.* 187) ΤΙΑΣΗΣ est *πασης*. Apud Corsinum (*not. Gr. p.* 44) ΤΙΑΤΗΡ est *πατηρ*. — Deinde in nomine ΚΩCΤΙΟΝΙΝΟΥ prima Ν legenda est ΝΤ. Saepenumero enim hae literae conjunguntur, literamque T sola linea erecta notari olim (*pal.*

crit. I. 116) jam monui. Quid? quod in Scaligeriano hujus lapidis exemplari forma clarior compareet ΝΤ. — Verbis denique rectius divisis ita mihi exponenda videtur haec inscriptio:

ΕΝΘΑ ΚΕΙΤΕ ΕΥΣΕΒΙΑ ΕΝ ΕΙΡΙΝΙ ΟΥΣΑ ΙΕΡΟΟ
Ἔνϑα κειται Ευσεβια ἐν ειρηνη οὖσα ἱερα
Hic jacet Eusebia, in pace; facta sancta.
ΚΜΗΤΙ ΑΠΩ ΚΩΜΗΣ ΑΔΔΑΝΩΝ ΖΗΣΑΣ ΜΙΚΡΟ
κωμητις ἀπο κωμης Αδδανων, ζησασα μικρον
Civis civitatis Addanorum (*erat,*) vixit plus
ΠΡΟΣ ΕΤΟΝ $\overline{ΙΗ}$ ΥΠΙΑΤΙΑ ΟΝΩΡΙΟΥ Ο Η ΚΑΙ
προς ἐτων $\overline{ιη}$ ὑπατειᾳ Ονωριου ὀ $\overline{η}$ και
minus annos 28. Consulatu Honorii octavo et
ΚΩΣΤΙΟΝΤΙΝΟΥ ΤΟ $\overline{Λ}$ ΜΗΝΙ ΠΑΝΗΜΟΥ $\overline{ΙΒ}$
Κωνσταντινου το $\overline{α}$ μηνι Πανεμου $\overline{ιβ}$
Constantini primo, mense Julio, duodecima
ΗΜΕΡΑ $\overline{ΚΙ}$ $\overline{Β}$ ΕΝΕΙΡΙΝΗ
ἡμερα, κειται βασιλικῃ ἐν ειρηνῃ.
die, deposita est in basilica in pace.

Singula jam verba, vel defendere, vel saltim illustrare conemur. Quoniam enim sepulta neutiquam ex Gallia orinnda, sed *ἀπο κωμης Αδδανων* Syro-Graeca fuit, quod et mensis Syro-Macedonicum (*Noris. ann. Syro-Mac. p.* 2) nomen docet; ex corrupta inde ratione scribendi mox apparebit, solo pronuntiatione duce auctorem tituli verba scripsisse, quae nunc recensemus. *Ἐνϑα.* Qua de causa

Scaligerus *ενθαδε*, quod idem est, substituerit, haud video. Toties enim *ενθα*, quoties *ενθαδε* in lapidibus sepulcralibus legitur. — *Κειτε*, quod iisdem literis in aliis inscriptionibus (*Torremuza Sicil. Cl.* 10. *n.* 7. *Cl.* 17. *n.* 23. *Lupi Sev. mart. p.* 51. *et tab. VIII. leg. VII. Murat. IV.* 1856, 3. 1858, 3. 1940, 5) exaratum est, scribi debebat *κειται*: sed *ε* et *αι* uno eodemque sono prolata fuisse, nemo ignorat, et quantopere hoc idem verbum corruptum legatur, in eo quod sequitur capite (§. 389) monstrabimus. Ac plura depravatae orthographiae nobis essent exempla, nisi viris doctis lapides exscribentibus vitia corrigere placuisset, quod perversum eorum studium jure reprehendimus, siquidem fraudi est omni linguarum historicae cognitioni. Notandi sunt Apianus et Ortelius (*ap. Gruter.* 1052, 6) qui nostram inscriptionem, et Reinesius qui (*p.* 981. *n.* 364) illam, quae apud Martorellium (527) legitur, ex arbitrio correctas ediderunt. — *Ειρινι.* In extremo idem scriptum videbis *ειρινη*. In aliis lapidibus legitur *ιρηνι* (*Murator.* 1873, 1) *ιρηνην* (*Aringh. I.* 344) *ιρηνη* (*Fabrett.* 587 *bis*) *ειρηνι* (*Aringh. II.* 59. *Murat.* 1836, 5) *ιρηνη* (*Aringh. II.* 121. *Bosius* 185) *ιρινι* (*Murator.* 1853, 11) *ηρηνε* (1908, 1) *ερηνι* (*Donat. suppl.* 430, 18). A Coptitis denique et ϨΙΡΗΝΗ scriptum exstat (*Didym. p.* 52). Quae quidem confusio orta esse videtur ex vulgari literae Η *τῳ* Ι simili pronuntiatione, quam certe non omni tempore probatam fuisse, Sexti Empirici, qui uno vix saeculo nostra inscriptione prior fuit, haec verba docent: *συσταλεν το Η γινεται Ε, εκταθεν δε το Ε, γινε-*

ται Η: ut taceam caprarum vocem literis *βη* a Graecis esse expressam (*Cratin. ap. Eustath. in IX. Iliad. Varr. de R. R.* 2, 1, 7. *ibique interpr.*). Sed omnes Grammaticorum de Graecarum literarum pronuntiatione labores inanes mihi quidem semper videbuntur nisi accurate tempora separaverint. Nam profecto mutatam illam saepe fuisse nemo negabit. — *Ιεροοκμητι.* Substituit huic vocabulo Scaligerus nomen *ιεροκωμιτις,* quod eo sensu quo id accipi vult unquam usurpatum fuisse vix erit qui doceat. Nemo enim noverit tale mulieris munus illo quidem tempore: quamvis Hagenbuchius (*epist. epigr.* 364) Scaligeri conjecturam pro vera lectione acceperit. Equidem dividenda esse verba censeo ita, ut prius ad *ουσα* referendum sit, posterius ad ea, quae sequuntur. Latere enim in illo *ιεροο* conjicio *ιερα*: neque repugnantem me habebit, qui *ιερος* intelligere maluerit, siquidem de eadem muliere paulo post *ζησας* pro *ζησασα* dicitur, pari sermonis vitio. — *Απο κωμης.* Ex hac voce Scaligerus sibi persvaserat Honorii temporibus Adanam non nisi *vicum* fuisse, communi fere virorum doctorum errore, qui nullo discrimine admisso semper et ubique *την κωμην* vicum vertunt (*Cortenov. iscr. d'Aquil. p.* 22. *Gor. inscr. Etrur.* 3. *p.* 323. *Hagenb. epist. epigr. p.* 361. *lexicographi omnes et alii*). Me quidem non fugit saepe *την κωμην* opponi *τη πολει* (*Pausan.* 8, 43, 1. *Pollux*); sed prima illius vocis significatio ex Thucydide (1, 5) patere videtur, qua *κωμη* fuerit plurium hominum congregatio ita ut conjuncti corpus quoddam repraesentarent.

Ex generaliori hac significatione deinde manavit illa *vici*, sed minime ubique pro vera accipienda. Certe apud Herodotum, si Holstenio aliisque viris doctissimis fidem adhibeamus (*ad Herod.* 7, 21, 6. *T.* 6. *P.* 2. *p.* 47. *Schweigh. Add. Cellar. orb. ant. I.* 1120) *Αλπινος πολις* non differt ab ea, quae *κωμη* ab eodem scriptore alio loco dicitur. Quis etiam in Eusebii (*demonstr.* 3. *p.* 138) loco, quo innumeras ecclesias, ait, erectas esse a Christi discipulis per totam Aegyptum ac Libyam, per Europam atque Asiam *ἐν τε κωμαις τε και χωραις και παντοιοις ἐθνεσι* ferre poterit versionem Latinam *in vicis et regionibus?* Quis Galatiam, quam *Χωραν* Stephanus appellat, vicum esse putaverit? attamen in sepulcrali lapide (*ap. Boldett. p.* 412. *n.* 3) legitur *πατρις μοι Γαλατιαις κωμη* (sic). Ab Eusebio in locis Hebraeis teste Galeo (*ad Jambl. p.* 306), qui librum scriptum ipse possidebat, *κωμη Σαΐτης* scribitur: nec tamen fore quenquam credo, qui Saiten vicum fuisse nobis persvadere velit. Phacusam, Aegyptiacam urbem, quae cudendos curavit numos, socii Parisiensis academiae (*memoir. des inscr.* 28. *p.* 532) vicum (*bourgade*) nominant, quia Stephanus et Strabo in ea describenda nomine *κωμης* usi sunt. Attamen eandem nomi Arabiae caput fuisse Ptolemaeus testis est. Quod qui observaret Champollion (*l'Egypte I.* 74) non nisi ex temporum vicissitudine hoc explicare potuit, quum *κωμην* vertisset vicum (*village*). Sane melius in Photii lexico Albertus (*ad Hesych.* 2. 398. *n.* 15) legit: *κωμαι, αἱ βραχειαι πολεις.* Equidem innumeros quamvis viderim Latinos lapidum titulos, in

nullo tamen legi, in *vico* natum fuisse qui sepultus esset: bene vero in *regione*, uti in illo, qui nostrae inscriptioni similis est (*apud Boldett. p.* 411. *n.* 8) feminae cujusdam, cui Victoriae nomen erat: „Victoria *de regione* Madmederensium" (*ἀπο κωμης*). Alexandrini pro Graeco *κωμη*, vel Latino „regione" simpliciter dixisse videntur *του περι* addito nomine, e. g. *του περι Θηβας* (*Buttmann ap. Raoul-Rochette notice sur quelqu. ant Gr. et Eg. p.* 3). Perperam etiam, si quid video, Georgius (*ev. Joh. p.* 388) Isidori Pelusiotae verba: *παγαρχοι καλουνται παρα τισιν οἱ των κωμων ἢ τοπων τινων ἀρχοντες* - - vertit „Pagarchae a quibusdam vocantur *vicorum* locorumque quorundam principes" pro eo quod Graeca significant „*pagorum vel* locorum aliquorum," eodem nimirum vocis *pagi* sensu, quo Caesar et Tacitus ea usi sunt. Atque pro Graeca illa Romani Latinam *civitas* usurparunt; unde in contrarium errorem rapiuntur, qui semper urbem aliquam hoc nomine intelligunt, ut probe animadvertit Maffeius (*Gall. ant. p.* 19). — *Αδδανων.* In alia inscriptione *Αδανων* (*Murator. IV.* 1861, 4) Ciliciae urbs haud ignobilis esse videtur (*Cellar. not. orb. ant. II.* 255), cujus numi *Αδανεων* sunt inscripti (*Eckhel. III.* 48). Sed quominus hanc hoc etiam loco cum academiae Parisiensis sociis (35. *p.* 615) intelligamus, non solum geminata Δ prohibet, sed alius etiam lapidis titulus (§. 552) in quo *K. Αδδανων της Συριας* legitur. Minime igitur in Cilicia quaerenda haec civitas est; sed in Syria. In Palmyrene a Ptolemaeo collocatur Adada (*Cellar.* 435), quod

nomen, quum breviatum forsan Adda pronuntiaretur hic intelligi possit. — *Ζησας* pro *ζησασα* apertum quidem sermonis vitium, nec tamen praeter morem irrepsit. In alia enim inscriptione (*Martorell.* 526) legitur *θυγατηρ ζησας*. — *Μικρο προς ἐτων ιη*. Per ellipsin scriptum videtur pro *προς χρονον ἐτων*. *Μικρο* verto *paululum* aeque ac scriptum fuerit *μικρον*. In alia etiam inscriptione (*Bos. Rom. subterr. p.* 213 *f.*) legitur: *μικρο προς ἐτη*. Atque ista elocutione significare voluisse inscriptionum auctores arbitror idem quod Romani *plus minus* dicunt (*Hirt. bell. Gall.* 8, 20): quae verba siglis P. M. interdum notantur (*Grut.* 590, 2); et quorum in locum aliae Graecorum inscriptiones *πλειον ἐλασσον* (*Murat.* 1860, 12), vel *πλεον ἐλαττον* (*Fabrett.* 588) habent. — *Υπατια*. Melius in alius lapidis titulo (*Cyriac. p.* 73. *n.* 25) *ὑπατια* pro *ὑπατεια* legitur. — Sequuntur notae, quas vocant chronologicas. Et certe annus Honorii VIII adscriptus cum anno post Christum natum 409 convenire videtur. Qui enim cum illo nominatur Constantinus ex communi opinione tyrannus Galliae fuit (*Canisii lect. ant. ed. Basnag. I.* 298. *n. d*). Num vero tempus ab istis hominibus accurate semper annotatum fuerit jure dubitari potest. — $\overline{KI}$ $\overline{B}$. Intellectu difficillimum hoc scribendi compendium vel doctissimis philologis visum fuisse ex varia ac prorsus diversa interpretandi ratione, qua singuli usi sint, elucet. Scaligerus vult intelligi *κειται βεβαιως*; Maffeius (*sigl. Gr.* 57) *και δευτερων*; Corsinus (37) *κατατεθειται*; negligenter denique Muratorius (399 *ad* 3) vertit *decessit*. Mihi qui-

dem intellectu facillimum illud κειται βασιλικη visum fuit, quum scirem in *basilica* sepultam jacere Eusebiam. Neque est quod moneam omissam esse praepositionem, saepiusque ἐν supprimi in ablativis, legique δομῳ pro ἐν δομῳ. *ΚαιταΙ* denique non hoc solum loco duabus illis literis notatum esse alius sepulcralis titulus (*Lupi* 136) docet.

360. Atque plures ejusdem generis inscriptiones Graecas, quas viri vel doctissimi, nisi corrupto illi sermonis indoli aurem praebuerint, nunquam intelleturi sint, proferre possem, modo ex collectionibus eas seligere tanti esset. Unam tamen addere lubet, quia post Salmasium (*ad hist. Aug.* 467) Cangius quoque (*infer. aevi num.* c. 36. *p.* 26) in interpretanda ea operam collocavit. E tabula marmorea, Romae in piscina publica reperta, inscriptionem sic delineatam edidit Gruterus (*p.* 1049):



nullo quidem addito verbo, quo obscura explicarentur. Cangii autem interpretatio haec est: *Οἰδε παιζοντες εἰς τα βολια Ιεσους, Χρι-στος νικα και βοηθει τους γραψαντας αὐτον και παιζοντας εἰς τα βολια.* Atque in primis tantum verbis dissensit a Salmasio, qui *ᾧδε παι-ζοντον* legerat. Parum autem accurati ambo pro $\overline{\text{KE}}$ substituerunt *και*. Quamvis enim *κε* pro *και* frequenter obvium sit (§. 389), hoc tamen loco linea superscripta eo magis breviatam vocem *κερι* denotare videtur, quod paulo post copula illa tribus literis *και* perscripta est. *Νικα* quamvis perperam habeat compendii notas, easdem tamen superfluas eidem vocabulo etiam in nummis additas (*ap. Bandur.* p. 738. n. 16) vidimus. Sententia ipsa a longo tempore est repetenda siquidem in gemmis (*Capell.* 152. *Montf.* 166) NIKAC ICIC legimus. Quam in Christianorum deinde usum mutatam admodum familiarem Graecis fuisse non ex illis solum monimentis patet; sed Whelerus etiam, Anglus (*voy. Amst.* 1689. *p.* 157) testatus est panem ab eis hoc signo signari:

$\overline{\text{IC}}$	$\overline{\text{XP}}$
NI	KA

ΑΦ denique Salmasius recte pro ΑΥ accepisse videtur. Quidam enim pronuntiabant *ἀφτος*, quemadmodum a Neo-Graecis hodie

que fieri novimus; cujus vocis scribendae compendium in binis illis literis pariter atque in alius inscriptionis (*Wolf. bibl. Hebr. IV.* 1218). Latinis AY inesse vix negari potest. Sed pro *αὐτον* equidem praetulerim *αὐτο*, ut ad *σημειον*, quod in lapide conspicuum est, referri posset. Interpretatio ipsa, licet a tamtis viris profecta primum quidem suspecta mihi videbatur. Scrupulum praeter arbitrariam plurium literarum lectionem etiam movebat, quod tabulam illam marmoream alveum fuisse lusorium sibi persvaserant. Profecto et alii mirabuntur, Christi nomen, et crucem et Amen in ejusmodi utensilibus esse exarata. At vero perpendens, nihil esse tam augustum, nihil tam sacrum et sanctum, quin frequenti et quotidiano usu loquendi ab imbecillis et superstitiosis hominibus profanaretur; Fabricio denique adstipulatus sum, qui (*bibl. Gr.* 6. *p.* 28) ad illam ipsam inscriptionem observaverat, et crucem, et sanctam illam formulam adeo fuisse istis hominibus vulgaria ut vel in ludicris rebus eam adhibuerint. Quibus omnibus jungere placet hanc (*ap. Boldett. p.* 447) inscriptionem, Latinam quidem, sed non minus monstruosam:

DOMINE		FRATER
ILARIS		SEMPER
LVDERE		TABVLA

Ex qua equidem nihil intelligo, praeterquam quod senarius dominatur numerus. Non enim tantum rosa sex foliis est ornata; sed sex etiam incisae sunt voces, quarum unaquaeque sex constat literis. Quo quidem studio eundem numerum toties repetendi obscurata est sententia; sed ad talos, in quibus numerorum inscriptorum maximus senarius est, inscriptionis auctorem respexisse conjicio, licet parum laudis ei, in cujus gratiam verba inscripta sunt, ille tribuisse videatur (*Millii diss. p.* 122. *Cic. in Catil.* 2, 10). Vix enim mihi persvadere possum, barbarum istum scriptorem ad egregia Graecorum respexisse carmina (*Leich. sepulcr. mon. p.* 14. *sequ.*) quibus cum tesserarum ludo vita hominum comparatur; sive ad illud Terentii (*Adelph.* 4, 6, 27)

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris.

Quod reliquum est, quum in Latina hac inscriptione *tabulae* mentio sit facta, videant jam alii, num in Graeca illa voces *τα βολια* ab interpretibus recte sint divisae? E Latina enim *tabula* Graeco barbarae voces sensim emanarunt *ταβλα*, *ταβλιον*, *ταβολετα*, *ταβουλλαριος*, *ταβελλιον* (*Meurs. gloss, p.* 546, 547); atque Niebuhrius nuper (*Gau Nubische Alterth. XI. p.* 19. *Tab. VIII*) *το ταβηλλιον* Marci Aurelii temporibus scriptum legit. Quin in Chaldaicam etiam linguam intruserunt vocabulum טבלא (*Buxtorf.* 850) pro Latino *tabula*. Certe utroque loco, quo *ταβολια* in Graeca inscriptione legitur, syllaba *ις* est praefixa, unde conjici possit *εις ταβλια* forsan voluisse auctorem: sed cum reliquis haec non cohaerent,

et semper obscurus istius inscriptionis sensus mihi quidem manebit.

361. Ad eum autem quem in hoc libro mihi proposui finem praesertim attinet, de lingua Graeca videre per Aegyptios depravata, et de Aegyptiaca a Graecis corrupta. Vicissim enim ab altera alteram barbara multa traxisse satis patet. Graecus sermo Aegyptiis obtrusus advenam et quasi colonum sese ostendit, tum perperam pronuntiatis ideoque male etiam scriptis verbis, tum neglectis plerumque grammaticae legibus, maxime iis, quae ad flexionem et nominum et verborum pertinent (*Schow charta papyr. mus. Borgian. Rom.* 1788. 4. *Sturz de dial. Maced. et Alexandr. Lips.* 1808. 8.). Neque ab ullis barbaris Graecorum linguam magis corruptam esse arbitramur, quam ab Aegyptiis, id quod iis, quae Graece ab his sunt scripta, manifesto docetur. Pauca tantum eorum in gratiam, qui illis legendis adhuc supersederunt (*ex Georgii evang. Joh. p.* 203) exscribere placet. Audiant igitur Agyptium Graece loquentem his verbis: *„Χορος επουρανιε υμνει σε - - Δοξασουσιν σε τον Θεον υμων των ευεργητη των ψυχον υμων τιμια ζοα τα ἑξαπτερηγα τον επινοικοιον υμνον ατου σει βωον αγιος αγιος αγιος ειν ο εν αγιως αναπαυομενος. - - Οι ουρανοι ουρανον ενωσιν σε κυριε τα Χαιρουβιμ μετα τον Αγγελων ενωσιν σεβοουντες χαιρε τω καυχημα τον αποστολον - - χαιρε και δοξα υμιν Χριστε - - χαιρε Ψοειου τω αναχοριτου και των ασκητον του πατρος των μονοσσον.“* cet.

362. Sed quis, quaeso, a Coptitis exigere velit, ut Graeca lingua

bene locuti sint, quum suae ipsorum normam certam non habuisse constet. Si Coptice scribentes adjectivum singularis numeri cum substantivo pluralis numeri conjunxerunt, quanto facilius peregrina lingua loquentes in ejusmodi sermonis vitia incidere poterant. Si in Copticis paucae literae M et N praefixae omnibus casibus inserviunt, si casibus interdum nota prorsus nulla additur; quid mirum Graecarum etiam vocum casus confundi. Si notas, quae verborum Imperativum et Infinitum modos formant, addere saepius supersedunt; quanto minus peregrinorum verborum modos discrevisse credibile est? Quo fit, ut difficillime intelligantur Graeca a Coptitis scripta. Accedit quod hi Aegyptiaca saepenumero verba Graecis immiscuerunt, et nomina Graeca interdum non flexerunt, sed casus Copticis tantum articulis distinxerunt. Quae omnia ut dilucidius pateant, e liturgia Coptica locum exempli causa inserendum curavi, cui minutis literis explicationem quidem addidi, sed conjectura potius eam, quam intelligentia fultam. Neque enim ipse Georgius (*fragm. evang. Joh. praef. p.* 119), ut mihi videtur, omnia bene explanare potuit. Inscripta illi loco haec sunt: ΤΡΙΣΑΓΙΟΣ ΕΧΝ ΝΑΡΧΙΜΑΝΔΡΙΤΗΣ, quod vertimus: Ter sanctus (hymnus) pro archimandritis. ΕΧΝ enim Coptica praepositio et N pluralis numeri nota est, utrumque Graecae linguae obtrusum. Locus ipse hic est:

ΧΑΙΡΕ ΠΑΧΥΜΙΟΥ ΤΩΝ ΑΡΧΗΜΑΝΤΡΙΤΟΥ ΚΑ ΠΝ̄Α-
χαιρε Παχυμιε ὦ ἀρχιμανδριτα και πνευμα-

ΤΩΦΟΡΟΥ ΤΩΝ ΛΟΓΙΓΟΝ ΠΡΟΒΑΤΩΝ ΠΕΙΜΕΝ ΑΓΙΟΣ
τοφορε των λογικων προβατων ποιμην (ἅγιος
Ο ΘΣ ΧΑΙΡΕ ΠΡΟΦΗΤΩΝ ΚΑΙ ΝΟΜΟΘΕΤΩΝ ΜΟΝΟΣΩΝ
ὁ Θεος) χαιρε προφητα και νομοθετα μοναχων
ΧΑΙΡΕ ΠΑΤΗΡ ΤΟΥ ΛΑΟΥ ΚΑΙ ΤΕΛΙΟΣ ΜΟΝΟΣΩΝ ΑΓΙΟΣ
χαιρε πατηρ του λαου και τελειος μοναχων (ἅγιος
ΕΙΣΧΥΡΟΣ ΧΑΙΡΕ ΔΙΔΑΣΚΑΛΩΝ ΚΑΙ ΑΓΕΛΑΡΧΗΣ ΑΛΗ.
ἰσχυρος) χαιρε διδασκαλε και ἀγελαρχης ἀλη-
ΘΩΣ ΚΑΙ ΛΑΜΠΤΗΡ ΤΗΣ ΕΚΚΛΕΣΙΑ ΠΡΕΣΒΕΥΣΟΝ
θῶς και λαμπτηρ της ἐκκλησιας· πρεσβευσον
ΥΜΩΝ ΑΓΙΟΣ ΑΘΑΝΑΤΟΣ Ο ΣΑΡΚΩΘΕΙΣ ΕΠΕΡ ΙΜΩΝ.
ὑμων (ἅγιος ἀθανατος ὁ σαρκωθεις ὑπερ ὑμων!)

Quae Latine sic sonant: Salve Pachumie! archimandrita et spiritu plene rationalium ovium pastor! Sanctus est deus. Salve propheta et legislator monachorum! Salve pater populi et perfectissime monachorum! Sanctus est fortis. Salve magister et gregis revera ductor et lucerna ecclesiae! Intercede pro nobis! Sanctus immortalis, qui incarnatus est pro nobis.“ - - Membrum, quod incipit a „Salve pater“ vertere neglexit Georgius, qui et *ἀληθες* substituit pro *ἀληθῶς*: ego vero, ne quae aliquo modo excusari possent corrigerem, hoc retinui. Plura etiam servari potuissent substituta ab initio voce *του* pro *των*, ut illud *χαιρε* proxime ad *ποιμην* respiceret, quo facto hic fere nasceretur sensus: „Salve Pachumii archimandritae et spiritu pleni rationalium ovium pa-

stor" cet. Perlustratis autem aliis a Coptitis Graece scriptis palam vidi, illum soloecismum *χαιρε* cum secundo casu ipsis perfamiliarem fuisse. Non enim solum in precibus liturgicis legitur *Μιχαηλ ἀρχαγγελου* pro *ἀρχαγγελε* (*Georg.* 200), sed aliis etiam in scriptis supra (§. 361. *f.*) laudatis *χαιρε Ψοιιου τω ἀναχοριτου* cet. ita ut frustra laboret qui haec illorum scripta defendere velit.

Sed operae pretium erit de lingua Graeca jam pridem corrupta disserentem audire Niebuhrium, virum abundanti et exquisita doctrina praestantem. Qui quidem inter omnes philologos, quibuscum meam de veris in permultis monimentis obscuritatis caussis sententiam communicaveram, solus erat, qui ei non solum non refragaretur, sed consilium meum illico etiam comprobaret. Neque est quod miremur: vir enim ille, rei valde peritus, non tantum libros prelo subjectas legerat; sed permulta etiam monimenta viderat a prima manu profecta, neque a criticis mutata. Librum autem, in quo quae ea de re sentit leguntur (*Gau Nubische Alterth.*) adire quum perpaucis contigerit, illa ex eo exscripta huc transferre lubet. 363.

De Graecae enim apud Nubienses linguae fatis judicat Niebuhrius (*XII. p.* 25), „neutiquam ex quorundam tantum hominum ignorantia contra linguae indolem toties fuisse peccatum, sed ex certa atque consveta totius linguae corruptione huic regioni (*equidem non illi tantum, sed et aliis censeo. v.* §. 358. *sequ.*) insita, qua quibusdam grammaticae formis arbitrarie et perperam usi sint. 364.

Tot enim legi menda, eademque toties repetita, ut quilibet concedat necesse sit, fuisse stabilem et uniformem quandam apud istos homines rationem barbare loquendi.“ Quibus praemissis pergit hisce fere verbis: „Graeca ista lingua persimilis est Latinae illi qua corrupta utebantur paucis inde post Christum natum saeculis. Quod ad Graeco-Aegyptiacam linguam attinet hujus corruptio *ex libris difficilius percipitur, quippe quos constet, toties esse emendatos.*“

365. Exempla igitur ex inscriptionibus Nubiensibus, quas ille solus interpretari aggressus erat, haec affert: „In primo nominis casu pro *ιος* legitur *ις* (quemadmodum Byzantinos videmus scripsisse *ιν* pro *ιόν*) e. c. *Ιουλις*, *Αυρελις*, *Δομιτις* (*conf.* §. 358). Ejusmodi nominum secundus casus exit in *ι*, ut *Αυρηλι*, *Ιουλι*. In eodem casu *ω* sustinet vicem *του ου*, ut in *τω κυριου*, *Λουπω*, *Μαρκω*, *Κοκκηιω*, *Κρισπω*. In eodem et *ε* ponitur pro *ου* in *Γορδιανε* (*p.* 26). Secundum pluralis casum terminatum videmus litera *ω* sola pro *ων*, in *τεκνω*, *γομω*. Quarto tertiae declinationis casu abutuntur pro primo, atque nomen sic mutatum flectitur ad normam primae, ut in *την μητηραν*. Ac primus quoque casus saepe pro secundo usurpatur: en exempla: *το προσκυνημα Ψενχαηϑηνις ἱερως γενομενος - - Βησαριων και Απολλωνιος - - και Πανουρις πατρος, και Σευπετοσιρις. - - Ψεντουαξις Πανουρις ἱερευς γομου. - - Αυρηλιου Σωτηρος - - Ευεργετηϑεις - - και ἱερευς γομου. - - Μαρκος Αυρηλι Σεουηρου Αντωνινου. - - Ορσης και ἡ του γυνη, και τον τεκνον. - -*

Αραδυτης pro *Αραδυτων*. Vera deinde casuum significatione posthabita pro secundo casu toties tertio quoties quarto sunt usi. Tertio: *το προσκυνημα βησκαλης - - και τῳ γραψαντι Πετειψάϊτι. - - Παμητος - - και Πετειψάϊτι προστατου γομου, και Ορσητι. - - Πατραον - - και το* (*sic*) *πατρι αὐτου και τη μητρει* (*sic*) *μετα τοις ἀδελφοις. - - Ψενσατησις και τη μητρι. - - και τη συμβιω και τον τεκνων.* Quarto: *Βησαριων - - και την μητεραν αὐτου. - - και την μητεραν μου και τους ἀδελφους - - και τους φειλουντας - - και τους ἀπο του γομου. - - Πετειψάϊς, και τους ὑιους αὐτου. - - Γαιου Ιουλιου - - και τους φιλους μου. - -* Utroque casu: *Κομανος - - και τους ἀδελφους μου και τον πατερα μου, και τους ἐν οἰκου παντες, και τῳ ἀναγινοσκοντι.* Nomen singularis numeri pro secundo pluralis casu: *και των συν χυτῳ ἀπο του γομου γενομενος. - -* Primus et secundus saepe pro tertio casu: *Μ. Αυρελις Ιουλις - - Ασκληπιαδης ὀπτιων, παραλημπτου σιτου χαιρειν.*"

Quibus addatur diversorum nominis et articuli ab illo pendentis casuum usus: *και τους ἀπο του γομου παντες. - - τους φειλουντες. - - Των ἀπο του γομου γενομενος. - - Παρα του κυριῳ - - τους ἐν οἰκου παντες - - τη μητρος. - - Τη συμβιου - - και την μητεραν μου Βερενικη* (omnia haec loco primi casus). - - Praepositionibus denique aeque perversa usi sunt ratione, ut scriberent: *ἐν οἰκου - - μετα τοις ἀδελφοις - - μετα τοις τεκνοις - - μετα και* (pro *και*), alia. Nempe varii et omnes fere casus in scriptis illis ab iisdem praepositionibus regi videntur. Legimus enim: *συν τη μητρι και της γυναικος - - μετα της συμβιου και τεκνυς - - μετα της συμβιου και ἀδελφοις - - προς*

και τοις ἀδελφοις και την μητεραν αὐτου και Παvουρις πατρος και Συ-πετοσιρις και τοις φιλουσειν μοι (vel *μου*) *και τους ἀπο του γομου παν-τες* - - atque eodem cum pleonasmo *ὑπερ εὐσεβιας χαριν*, et perobscurum pro *ἐπ' ἀγαθῳ* scribitur *τον ἐπ' ἀγαθον* et *τοις ἐπ' ἀγατοις.*" Mitto alias locutiones, ut *ὀνοματος του θεου* (in honorem dei) *προορος* (providens) *παραλειμπτος σιτοι.* - -

366. Atque ista etiam Graeca sunt! Nonne hinc jam causa subolet, cur amuleta nondum sint intellecta? vel si quis quaedam intelligere sibi videretur, propter corruptam in eis et dicendi et scribendi rationem non ausus sit suis ipse oculis fidem habere. Coptitae inprimis Coptico more Graecam linguam tractantes casus haud distinxerunt, quum Coptica nomina ipsa raro flecterentur. Quo etiam factum est ut articulos Graecos nominibus haud convenientes inepte adderent, quandoquidem toto, ut ita dicam, coelo differt articulorum apud Graecos eorundemque apud Aegyptios natura. Sed sermonis et orthographiae vitiorum, vel gravissimorum, multa in illis etiam, quae a Graecis ipsis scripta sunt, exstare vidimus.

367. Hactenus de Graeca lingua ab Aegyptiis corrupta. Nec felicius Aegyptiaco sermoni evenit, qui quum peregrinis verbis refertus sit, maximam tamen horum partem a Graecis accepit. Semitica, quae in Copticis reperimus, vel potius, quae Semitica esse nobis videntur (§. 371), tam arcte Coptitarum sermoni intexta sunt, ut plane nullam deformitatem sive discrepantiam pariant.

Sed Graecarum vocum, in Copticam linguam translatarum, prorsus alia est ratio. Illae huic invitae obtrusae esse videntur et in eo domicilio quasi hospites facile agnoscuntur (*Didymi Taurin. lit. Copt. p.* 66. 67). Ita ΝΑΠΟΣΤΟΛΟΣ ΜΝ ΜΑΡΤΙΡΟΣ ΑΥΩ ΝΕΠΡΟΦΗΤΟΙΣ (*Georg. p.* 203) Copticum est pro Graeco *αποστολοι και μαρτυρες και προφηται:* ϨΕΝ ΝΙΤΟΠΟΣ ΕΘΟΥΑΒ pro „*In locis sanctis:*“ ΝΙΦΗ ΔΙΚΕΟΣ pro *εκτηψασθε δικαιως* (*Georg. praef. p.* 67). ΝΙΜΑΑϨ ΝΝΟΜΙΚΟΝ pro *μαχαι νομικαι* (*Tit.* 3; 9): ϬΙΣΑΡΞ pro *ἐνανθρωπησις* (*Salmas. epist.* 132). Quid multa? diversorum iste vocabulorum usus Aegyptiacum ad morem loquendi accommodatus adeo invaluit, ut recens haec, quam Copticam appellamus, lingua jam neque Aegyptiaea, neque Graeca sit; sed veris Graecis pariter atque veris Aegyptiis, si qui adhuc superstites essent, prorsus barbara videri debeat (§. 169 *sequ.*).

Quoniam autem Semitica vocabula, ubi Copticis immixta compareant, arctissime cum hisce conjuncta esse haud dubius affirmavi; paulo accuratius hac de re nunc disserendum esse videtur. 368.
Inveterata enim et praejudicata est opinio, Aegyptiaco sermoni cum Semiticis dialectis prorsus nihil intercedere commune. Quae quidem opinio et Hamakerum cepisse videtur, nuper (*in diatr. mon. Pun. exhib. p.* 64) „*ingens* Aegyptiacae linguae a Semiticis dialectis *discrimen*“ statuentem. At doctissimum quidem virum antequam illud ferret judicium, Aegyptiacae linguae addiscendae operam impendisse quamvis vix dubitare liceat; Hieronymum ta-

men audiamus necesse est, quippe quem non minus doctum et in ipsa Aegypto fuisse constet. Atqui hunc quandam utrinsque linguae affinitatem omnino statuisse, ex hisce ejus verbis (*in Jes. c.* 19) patet: „Nos - - quamdiu in Aegypto sumus - - non possumus loqui lingua Hebraea, sed lingua Chananitide, *quae inter Aegyptiacam et Hebraeam media* est.“ - - Nexum igitur inter ambas linguas mediante Phoenicia fuisse patet. Et quamvis ex Psalmis (81, 6) aliisque locis colligi possit, intellectos non fuisse ab Hebraeis Aegyptios; eo tamen neque affinitas neque communis harum linguarum origo diluitur. Nec magis Hamakero in eo assentiri possum, quod dicit „*Phoenicismum* cum Abrahamo et ejus posteris in Aegyptum migrasse.“ Licet enim, quid sit *Phoenicismus,* me omnino ignorare alio jam loco (*Bild. u. Schrift. II.* 183. 185) fassus sim: illam tamen de lingua ab Hebraeis tradita Aegyptiis veterum theologorum sententiam, qui omnia fere populo dei adscribere consveverant, nullo idoneo fundamento fultam esse, quin a fide etiam prorsus abhorrere, certo scio. Perspectum praeterea et exploratum habeo Coptitarum linguam scatere vocibus simillimis eis, quae in Semiticis dialectis deprehendantur (§. 370). Quare jure notandi viri docti, qui in Hebraeis lexicis scribendis egregio illo subsidio tam parum sint usi. Certe in polyglottis locus debebatur Copticae linguae. Qua de re quum Gesenium, virum multarum linguarum peritissimum, admonuerim, spero fore ut in Hebraeae linguae thesauro, quem nunc molitur, majorem illius lin-

guae rationem habeat, quam in lexicis hucusque editis habuisse videtur.

Noli tamen credere multorum ex utraque lingua vocabulorum 369.
similitudine demonstrari posse Aegyptiacam atque Hebraeam unam eandemque esse linguam. Hoc enim qui affirmare vellet, ei et illud praeterea probandum esset, verborum etiam structuram, de qua paulo inferius (§. 372), utrique communem reperiri. Similium autem vocabulorum copiam esse tantam, quanta revera invenitur, vix sibi persvasisse viri docti videntur. Ita Julius Klaprothius (*lettre à Champollion sur l'affin. du Cophte avec les langu. du Nord de l'Asie*) eorum non nisi septem reperit, et antecessores suos prorsus ignorasse videtur, qui omnino altius in utramque linguam penetrarunt. Georgius quidem (*fragm. ev. Joh.*) quinque tantum annotavit. Sed longe plura observarunt Pfeifferus, Bochartus, Blumbergius, Wilkinsius, Barthelemyus, Jablonskius, Didymus; plurima Rossius deprehendit. Cujus tamen in opere (*etym. Aeg.* 1808. 4) Semiticis vocibus per varios locos dispersis et diffusis factum est, ut omnia uno in conspectu videre non liceret, quamvis ad utramque linguam cognoscendam plures inde fructus percipi, atque ad eam etiam controversiam, quae de Semiticarum vocum pronuntiatione et a Masorethis introducta orthographia jam pridem mota est, lucem inde afferri posse, peritorum nemo negaverit.

Haud ingratum igitur laborem suscepisse mihi videor, qui il- 370.

lorum vocabulorum in Hebraea lingua et Coptica consonantium, indicem colligerem locupletissimum, et hoc loco eum subjicerem:

א.

אב ΑΠΑΣ. Antiquus.
אביב ΕΦΙΠ. Mensis nomen.
אביון ΕΒΙΗΝ. Egenus.
אבן ΕΥΝΙ. Lapis molaris.
אבס ΩΟΥϢ. Pulmentum.
אוב ΟΥΗΒ. Sacerdos.
אוי. אח ΟΥΧΙ. Ah.
אולם ΕΛΑΜ. Porticus.
אור ΑΗΡ. Aer.
אחו ΑΧΙ. Gramen.
איל ΟΙΛΙ. Aries.
ΕΙΟΥΛ. Cervus.
אין ΑΝ. Non.
איפה ΩΙΠΙ. Mensurae genus.
אטם ΘΩΜ. Obstruere. Sepes.
אך ΑϨΑ. Utique.
אליל. ΕϨΑΙ. ϨΑΙ. Nihilum.
אמה ΜΑϨΙ. Cubitus.
אמון ΑΜΟΝΙ. Pascere.
אמונה ΕΜΝΑ. Fides.
אמן ΑΜΟΝ. Permanere.
אמן ΜΗΝ. Permanere.
ΟΥΜΕ. Veritas.
אמנת ΜΟΝΗ. Nutrix.
אנו ΑΝΟΝ. Nos.
אנכי ΑΝΟΚ. Ego.
אנף ΝΙϤΙ. Spirare.
אף ΑΦΕ. Caput.
אפה ϨΟΥϤ. Decoctum.
אפוד ΕΦΟΥΤ. Stola sacerd.
אפע ϨϤΩ. Serpens.
ארבה ΩΡΕΒ. Concludere.
ΕΡΒΙ. Casa. Habitacul.
ארך ϨΑΡϢ. Longus.
ארץ ΕΡΤΟ. Germinare.
אשה ϢΑϨ. Flamma.
אשם ΩϢΜ. Desolari.
אשר ΑϢ. Quis.

ב.

באש ΒΑϢΙ. Cadaver.
כוא ΒΩΚ. Venire.
בוב ΒΗΒ. Spelunca. Fovea.
בול ΟΥΩΩΛΕ. Affluere.

בול ΟΥΩΩΑΕ. Abundantia.
במות ΟΥΟΟΜΤΕ. Turres.
ברש ΒΩϢ. Nudus.
בח ΒΗϪ. Accipiter.
בצע ΒΑΣ. Secare.
בקע ΦΑS. Scindere.
ברא ΒΕΡΙ. Novus.
ברי ΒΟΟΡ. Ejicere.
בריא ΒΑΡΟϨ. Saginator.
ברק ΕΒΡΑΚϨ. Urere.

ג.

גאה ϪΩ. Altitudo.
גוה ϪΟϨ. Aemulari.
גז ϪΕϪ. Abscindere.
גיא ΙΑ. Vallis.
גל ϪΟΛ. Fluctus.
גלל ϪΟΛ, ΚΟΛ. Involvere.
גלגל ϪΕΛϪΩΛ. Defluere facio.
גליל ϪΑΛΙΑ. Orbis. Rota.
גלם ϬΑΟΜΑΕΜ.
ΚΑΟΜΑΕΜ. Involvere.
גמא ΚΑΜ. Juncus.
גמל ϪΑΜΟΥΛ. Camelus.
גן ϢΝΕ. Hortus.
געל ϪΩΛ ΕΒΟΛ. Repellere.
גרז ΚΩΡϪ. Scindere.
גרר ϪΕΡ. Accuere.
גרגר ϪΕΡϪΕΡ. Commessatio.

ד.

דבב ΤΑΟΥΟ. Dicere
דביר ΤΑΒΙΡ. Cubiculum.
דגה ϪΩΟΥ. Generatio.
דמות ΣΜΟΤ. Species.
ΣΜΟϯ. Similitudo.
דרבן ΣΕΡΒΕΝΙ. Stimulus.

ה.

הבל ΕΦΛΗΟΥ. Vacuum.
הגה ΑΓΩ. Perditio.
הגה ΣΑϪΙ. Sermo.
הוא ΟΥ. Artic. indefinitus.
הוה ΟΙ. Esse.
הוי ΟΥΟΙ. Hui!
הלל ϨΑΛΟΛΙ. Mente captus.
הלולים ΟΥϨΗΛΑΕ. Cantus, Hymni.
הלם ϨΩΛΕΜ. Rapere. Trah.
הם ϨΑΝ. Artic. indefinitus.
הםם ϨΕΜϨΟΜ. Quassare.

ו.

ו	ΟΥΟϨ.	Et.

ז.

זבל	ΘΒΗΑ.	Stabulum.
זהם	ΧΩϨΜ.	Inquinare.
זוב	ΘΟϤΘΕϤ.	Stillare.
זית	ΧΩΙΤ.	Oliva.
זלל	ϪΟΛϨ.	Vilis. Parvus.
זעק	ΑϢΚΑΚ.	Clamare.
זפת	ΣΙϤΙ.	Pix
זורה	ΣΩΡ ΕΒΟΛ.	Dispergere.
זרת	ΕΡΤΩΝ.	Spithama.
זרע	ϪΡΟϪ.	Semen.

ח.

חבא	ϦΗΒΙ.	Umbra. Protect.
	ϨΩΠ.	Abscondere.
	ΧΗΠ.	*Κρύπτειν.*
חבר	ϢΦΗΡ.	Socius. Proxim.
חוות	ΑΟΥΟΤ.	Habitatio.
חול	ϨΛΟΟΛΕ.	Parturire.
חום	ΧΑΜΕ.	Niger.
	ΧΗΜΙ.	Aegyptus.
	ϨΕΜ.	Calor.
	ϦΕΜ.	Calor.
חוס	ΑΣΟ.	Indulgentia. Venia.
חור	ΧΟΛ.	Foramen.
חוש	ΙΗΣ.	Festinare.
חיש	ΙΩΣ.	Celeritas.
חטא	ϢΑΤ.	Deficere.
חיה	ΑϨΙ.	Vita.
חי	ϢΕ.	Profecto.
חית	ϨΗΤ.	Cor. Animus.
חכם	ΚΕΜ (*os*).	Sapientia.
חלה	ϢΑΛϨ.	Aegritud. affici.
	ϪΑΛΕ.	Debilis.
חלום	ΣΡΟΜ.	Somnium.
חלל	ΧΟΛ.	Foramen.
	ϦΟΛϦΕΛ.	Vulnerare.
	ϢΕΛϢΕΛ.	Cribrare.
	ϪΟΛϪΟΛ.	Pertusus.
חלק	ΑΗΚ.	Mollis.
חלש	ϢΑΩΟΥϢ.	Infirmus.
חם	ϢΟΜ.	Socer.
חמם	ϦΜΟΜ.	Calefieri.
חמץ	ϨΕΜϪ.	Acetum.
חמר	ϢΕΜΗΡ.	Fermentari.
חנה	ΟΝϨ.	Habitatio. Mansio.
חסיל	ΑΣΟΥΑΙ.	Locusta.

חסן ϢAϢNI. Adipisci.
חפה XOΠ. Abscondere.
ϨΩΠ. Latere.
חפה ϨOΠ. Nuptiae.
חר ϨΩPI. Stercora.
חרב APϨOYI. Stipula.
חרב ϬPOΠ. Desolatio.
חרבי KOPBI. Instrumentum quo secatur.
XPOBI. Falx.
חרה ϨPΩ. Fornax.
ϬEPE. Accendere.
חרז ϨPHϢI. Torques. Monile.
חרך POKϨ. Urere.
חרק ϦPAϪPEϪ. Stridere.
חרת XEPA. Vomer.
חשמל KAϢABEΛ. Aurichalc.
חשמן AϢEBEN. Optimas.
חתת ϦIϮ. Conterere.
ϨOϮ. Timere.

ט.

טבעה TOB. Obsignare.
טוח ΘΩϨΣ. Ungere.
טל TEΛTEΛ. Stillare.
טנא ϪANO. Corbis.
טען ϮϨOYN. Onus ferre.
טרף TOPΠ. Rapere.

י.

יאור IAPO. Fluvius.
יונים OYEININ. Graeci.
ים IOM. Mare.
ימים IAIMEN. Lacus. Piscina.
ימין OYINAM. Dextra.
ירש PAϢ. Metiri. Dividere.
ישע OYϬAI. Salvare.

כ.

כאב ϨHBI. Luctus.
כוה KΩϨT. Ignis.
כלא KHΛI. Vectis. Sera.
כליות ϬΛΩT. Renes.
כלה ϢEΛET. Sponsa.
כלח ϦEΛΛO. Senex.
כליל ϢΛIΛ. Holocaustum.
ϬΛIΛ. *Idem.*
מכלול ΣEΛΣIΛ. Ornatus.
כנה ϢHN. Planta.
כנעה ϢNAY. Mercatus.
כנף ϢNOYϤ. Sporta. Corb.

כסה ΚΩΣ. Sepelire.
ΚΑΪΣΙ. Linteum sepulcr.
כפן ϨΒΩΝ. Fames.
כף ϬΟΠ. Capere.
ΚΗΠΕ. Fornix. Camera
ϢΟΠ. Vola manus.
כפף ΚΙϤΕ. ΚΙΒΕ. Papilla.
כרוב ΧΕΡΕΒ. Figura.
כרה ϬΡΗ. Fodere.
כרי ϦΡΕ. Cibus. Esca.
כתנת ϢΘΗΝ. Tunica.

ל.

לאב ΛΙΒΙ. Sitis.
לבב ΛΩΒΛΕΒ. Amare.
לביא ΛΑΒΟΙ. Ursus.
לג ΛΟΚ. Mensura liquid.
להב ΛΩΒϢ. Ardere.
ΛΑΠΛΕΠ. Ebullitio.
לוץ ΛΑΣ. Comminui.
ΛΑΣΑϪΙ. Maledicus.
לח ΛΗΚ. Humidus.
לחך ΛΕϪϨ. Lambere.
לחם ΜΛΑϦ. Pugnare.
לחם ΛΑΧΜΗ. Cibi frustum.
לחם ΛΩϦΕΜ. Beta. Olus.
לעה ΛΑ. Loquacitas.
לעט ΛΑϨΗΤ. Gulosus.
לשון ΛΑΣ. Lingua.

מ.

מ ΜΑ. Locus.
מד ΜΕΝΤ. Mensura.
מי ΜΩΟΥ. Aqua.
מוק ΜΟΚϨ. Dolor.
מין ΜΙΝΕ. Forma.
מות ΜΩΟΥΤ. Mori.
ΜΟΥΤ. Mors.
ΜΟΤΕΝ. Quiescere.
מזג ΜΟΥϪΤ. Miscere.
מזח ΜΟϪϦ. Cingulum.
מלח ΜΟΛϨ. Salsum.
מלך ΜΕΛΧΙΑΤ. Considerare
מן ΜΑΝΙΜ. Quis. Quae.
מנוח ΜΑΝΟΥϨϨ. Locus quiet.
מנע ΜΝΟΥΤ. Custos carc.
מסרת ΜΟΥΣΕΡ. Corrigia.
מקור ΜΑΚΡΟ. Lavacrum.
מקל ΜΑΚΛΙΒΙ. Flagellum.
מרט ΜΟΡΤ. Barba.

משא MHCI. Usura.
משור BAϢOYP. Serra.
משש MAϢ. Tangere.

נ.

נאה ANAI. Pulchritudo.
נאץ NOYϬΣ. Irasci.
נבל NABΛA. Nablium (*ita quid. Pfeiff. in dub. vex.* 184).
נבה ϨONBE. Fons.
נדף NOϢΠ. Excutere.
נום ϨINIM. Dormitare.
נון NOYN. Abyssus.
נוף NIϤ. Stillae. Pluvia.
נחל ϦEΛΛOT. Vallis.
נחם NOMϮ. Consolari.
נפח NIϤI. Spirare.
נקף NEϦϤ. Expulsio.
נקר NOYKEP. Incidere.
נשא NEϨΣI. Excitare.
EΣIE. Superbi.
נשר NΩϢEP. Vultur.

ס.

סבב ΣEBEN. Fasciae.
סביב ΣEBI. Circumcisio.
סביב ΣΩΠI. Vestis.
סדין ϢENTΩ. Sindon.
סחר ϬϢHP. Navigare.
סיר ΣOYPI. Spina.
סכן ΣAϨNI. Suppeditare.
סכר ϢOP. Obstruere.
סלסלות ΣEΛΣΩA. Aptare.
סערה ΣAPAΘHOY. Procella.
סף ΣBE. Janua. Limen.
ספה ϢAϤOϤ. Congerere.
ספחת ΣOBϨ. Lepra.
ספק ϬAK. Complodere.
סתם ϢΘAM. Obstruere.

ע.

עבט AOYΩ. Pignus.
עברה BAPI. Navicula.
עבות ϨOΠT. Cymatia.
עגם ΩKEM. Contristari.
עגן ΩXEN. Cessatio. Mora.
עדשים APϢIN. Lentes.
עוג XΩX. Coquere.
עוה ϨΩOY. Malus. Iniquus
עיט BAIΣ. BAIT. Accipiter.
עץ KAΣ. Os, ossis.

עטה	ϨOITE.	Vestimentum.
עטף	ϨΩTΠ.	Occasus (Solis).
עולל	AΛOY.	Puer.
	ΛEΛO.	Puer.
עוללות	AΛOΛI.	Uvae.
עי	ϨOI.	Tumulus.
עין	OYΩINI.	Lumen.
עלה	OΛ. AΛE.	Adscendere.
עלה	ΧEΛΛE.	Vindemiare.
עלוא	TAΛO.	Holocaustum.
עלי	AΛI.	Attollere.
עמל	ϨMϨAΛ.	Servus.
ענו	XANH.	Mollis. Humilis.
עפי	ΧΩBI.	Folium.
עצר	AϬPHN.	
	ATϬPHN.	Sterilis.
ערבון	APHB.	Pignus.
עתי	ϨΩϯ.	Tempus congruum
	פ.	
פאה	ϤΩ. ϤΩI.	Coma. Capillus
פול	ΦEΛI.	Faba.
פור	ΦEPΦOP.	
	BOPBEP.	Rumpi.
פוז	ϤOΧ.	Saltare.

פח	ΦAϢ.	Laqueus.
פי	ΦI.	Osculum.
פלח	ΦEΛΧI.	Scissura.
	ΦΩΛϨ.	Vulnerare.
פנה	ΦENϨ.	Vertere.
	ΦEN.	Effundere.
	ΦΩNϨ.	Avertere.
פסס	ΦAϢ.	Frangere.
פרה	ΦIPI.	Germin. Splend.
פרי	ΠEPI.	Esca.
פרץ	ΦOPΧ.	Dividere.
פרש	ΦΩPϢ.	Expandere.
פתוח	ΦΩTϨ.	Sculptura.
	צ.	
צבה	ϢOBE.	Tumuit.
צב	ΣEH.	Tingere.
	ϢOBI.	Hypocrita.
צחה	ϢOYIE.	Siccus.
צלא	ϢAHΛ.	Orare.
צלצל	ϢKEΛKIΛ.	Tintinab.
צלע	ϬAΛOΧ.	Pes. Latus.
	ϬAΛE.	Claudus.
צעה	ΣAϨΩ.	Abscedere.
צעק	AϢKAK.	Clamare.

צרך ϢΑΡΚΕ. Fames. Penur.
ΧΟΡϨ. Deficere.
ϬΡΟϨ. Inopia.

ק.

קב ΚΑΒΙ. Vasculum.
קו ΚΑΠ. Filum. Chorda.
קטף ΚΩΤϤ.
ΚΟΤΒ. Decerpere.
קיק ΚΥΚΙ. Alcheroae gran.
קלחת ϬΑΛΑϨΤ. Olla.
קערה ΚΑΡΙΑ. Patina grand.
קץ ΧΕΤ. Finis. Extremitas
קצץ ΚΑϢ. Frangere.
קר ϨΟΡϢ. Frigescere.
קרא ϦΡΩΟΥ. Vox. Clamor.
קרח ΚΕΡϨΕ. Calvus.
קש ΚΑϢ. Stipula.

ר.

ראה ϨΡΑ. Facies.
ϨΡΑΙ. Coram me.
רבע ΡΑΟΥΗ. Cubile. Cella.
רהט ΡΑΤ. Pes.
רום ΡΑΜΑ. Sublimitas.
רחץ ΡΑϦ. ΡΟϦΙ. Lavare.
רם ΡΩΜΙ. Homo.
רמה ΡΑΜΑ. Excelsum.
רמון ΕΡΜΑΝ. Malum. Punic.
רעץ ΡΩϦΤ. Prosternere. Confringere.
רפרף ΣΡΟϤΡΕϤ. Excuti.
רצין ΡΗΙΣΙ. Pulvis.
רשיון ΕΡϢΙϢΙ. Potestas.

ש.

שאיה ΧΑΙΕ. Vastitas.
שבבים ϢΒΕ. Quisquiliae.
ϢΑΥϢΑΥ. Frusta. Fragmina.
שבט ϢΒΩΤ. ϢΕΒΩΤ. Virga
ΣΙΙΑϮ. Palmae termes cum fructibus.
שבוע ΧΕΟΥΑ. Blasphemia.
שבעים ϢΒΕ. Septuaginta.
שבץ ΣΟΒΣΕΒ. Decipere.
שבת ΣΕΒΙ. Cessare. Vacare.
שגא ΑϢΧΩ. Multiplicare.
שוב ϢΕΒΙΕ. Commutare.
ϢΟΒΤ. ϢΙΒϮ. Mutare.
ΤΩΒ. Reddere.

שוכב ΣΩΠ. Rebellis.
שור ϢΚΩϮ. Gluten.
שוה ΣϢΑ. ϢΩϢ. Aequus.
שול ΣΟΛ. Linum.
ΣΟΛΣΕΛ. Ornamentum
ϢΟΛ. Fasciculus.
שום ΣΕΜΝΕ. ΣΜΝ. Ponere.
שוף ΟΥΟϢϤ. Conterere.
שושן ϢΩϢΕΝ. Lilium.
שות ΣΕΝϮ. Fundamentum.
שחט ϢΩΤ. Sacrificare.
שחק ΣΙΚΙ. Comminuere.
שחר ϬϬΟΡ. Fumus.
שטה ΣΑΑΤ. Praeterire.
ϢΤΟ. Divertere.
שטח ϢΘΕϨ. Platea.
שטן ΜΕΣΤΕ. Odisse.
שיב ΣΧΙΜΑ. Canities.
שיה ΕΣΩΟΥ. Ovis.
ϬΙΗ. Caper.
שכר ϢϬΗΡ. Merces, edis.
שלח ΣΩΑΚ. Tendere.
שלל ϢΩΛ. Praeda.
שם ΣΜΟΥ. Benedicere.

שמנה ϢΜΗΝ. ϢΜΟΥΝ. Octo.
שמע ΣΜΗ. Vox.
שמש ϢΕΜϢΙ. Servire.
שנה ΣΝΟΥϤ. Anno superiori
שני ΣΕΝ. ΣΙΝΙ. Transire.
ΣΝΑΥ. Secundus.
שנית ΣΝΟΥϮ. Secunda.
שעע ϪΩϨ. Oblinere.
ΣΩΙ. Laevem esse.
שפה ΣΦΗ. Labium.
ΣΠΙ. ΣΑΠΙ. Dialectus.
שפכה ΣΑΜΒΕϨΙ. Virilia.
שפע ϢΑϤΟϤ. Congerere.
שפיפון ϢΟΠϢΕΝ. Acutus.
שק ΣΟΚ. Saccus.
ΣΟΚΣΕΚ. Exigere.
שק ; ϢΗΚ. ϢΟΚ. Profundus
שרב ϢΑΡΒΑ. Aestus.
שרביט ϢΑΡΒΩΤ. Virga.
ϬΡΗΙΙΙ. Sceptrum.
שרה ϬΡΟ. Vincere.
Superare.
שרט ϬΟΡΤΕ. Culter. Ensis.
שרפה ϬΡΩΠ. Furnus.

שש ΣΕ. Sexaginta.	תהלה ΘΕΛΗΛ. Exsultatio.
שתם ϢΘΑΜ. Obstruere.	תימן ΤΕΙΜΑΝ. Auster.
ת.	תלל ΘΑΛ. ΘΕΛ. Tumulus.
תאוה ΘΩΟΥϯ. Columna.	תלם ΘΑΛΩΜ. Sulcus.
תבה ΘΗΒΙ. Capsula.	תמה ΤΩΜΤ. Obstupescere.
ΤΩΒΙ. Receptacula.	תמם ΘΑΜΙΟ. *Ποιεῖν.*
תבן ϢΕΥΝΙ. Foenile.	תנה ϬΝΕ. Conducere.
ΤΟϤ. Palea.	תפר ΘΩΡΠ. Consuere.
ΤΕΒΝΕ. Jumentum.	

Nonne similium horum vocabulorum numerus major est, quam ut ea ex alterutra lingua in alteram casu tantum migrasse censeamus? Probabilior igitur mihi quidem conjectura videtur communem utrique linguae fuisse fontem. Sed Hebraeam longius quam Aegyptiacam a communi illo fonte aberrasse haud sine causa arbitror. Mirum quidem videri potest hoc a me affirmari, cui primus ille fons prorsus ignotus sit: sed exemplis rem declarabo, quae perpendantur velim. — Probe quidem viderunt linguae Hebraeae magistri litera מ, quam heemanticam appellant, quum *locum* denotari, tum etiam *instrumentum*, quo aliquid fiat, atque innumera hujus rei exempla attulit Simon (*arcan. form.* 451. 472): sed quo referenda sit haec nominibus praeposita litera nemo illorum adhuc perspexisse videtur. Nos vero reliquias in ea agnoscimus Aegyptiacae vocis ΜΑ, qua non *locus* solum, sed in compositis etiam tum *locus*, tum *instrumentum* significatur (*Rossi etym.* 110). — 371.

Conjunctio ET, quae sola litera ו ab Hebraeis notatur, plenior Aegyptiis est ΟΥΟϨ, ejusque etymon minime ex Semiticarum linguarum aliqua explicari potest; nullo autem negotio in Aegyptiaco verbo ΟΥΑϨ, quod *addere* sonat (*Didym.* 71), invenitur. Simili modo Germanorum particula *auch* ab antiquo verbo *auchen* sive *aukan*, quod idem est atque *augere*, *αὔξειν*, descendit: et pariter Hebraeam particulam גם a verbo quodam גמם derivant. — Vocem אביון, *egenus, pauper*, lexicographi a verbo אבה, quod *velle, desiderare*, vel *incurvare* sonat repetunt. Sed Coptitae eandem illam vocem ΕΒΙΗΝ scribunt, et quamvis Didymus hanc ab illa deducat, ego tamen, si omnino statuendum esset alterutrum populum ab altero eam accepisse, contrariam potius sententiam amplecterer. Sunt enim Copticae linguae plura vocabula, ut ΙΑΒΙ, *infirmitas*, ΙΒΙ, *sitis*, quae quum ad sonum, tum ad significationem illius ΕΒΙΗΝ proxime accedunt, quibusque Hebraea lingua caret. — Ita multa etiam verba theologi fecerunt, Origenes, Cyrillus, Spencerus, Biermannus, Schikardus, Clericus, alii, de insignibus pontifici Judaeorum a collo suspensis, nomine Vrim et Thummim notis; nemo autem adhuc certiores nos reddidit de harum vocum etymo. Nec latuit viros doctos Aegyptiorum jam sacerdotum principem et judicem circa collum gestasse imaginem, cui nomen esset VERITAS (*Diodor. I*, 48 *et* 75. *Plutarch. de Is. p.* 378. *Aelian. Var. XIV*, 34. *Svidas v.* *ψέλλιον*). Quem ritum apud utrumque populum similem qui perspexerunt, eorum alii a Judaeis Aegy-

ptios, alii ab his illos eum accepisse contenderunt, praesertim quum viderent, vocabulum תמים a LXX etiam interpretibus verti VERITAS. Lexicographi contra illud Thummim ab Hebraeo verbo תמם ducunt, quod quum „*Absolvere, Finire, Consumere, Perficere*“ audiat, frustra laborarunt ut aliquid excogitarent, quod insignibus illis aptum esset. Namque non omnia, quae finita et perfecta, etiam vera sunt. Quapropter Eichhornius, vir ille eximius (*Einl. in d. alte Test. I.* 472) non verbi alicujus, sed imaginis tantum similitudinem respiciendam esse conjecerat. Equidem, ad interpretes attendens Alexandrinos, linguam consului Aegyptiacam, qua verbum ΘΑΜΙΟ, *ποιειν* significans, Hebraeo quidem תמם respondet, minime autem huc pertinet; sed ΘΜΗΙ potius, quo *veritas* pariter atque *justitia* denotatur, a ΜΗΙ, *verus, justus,* originem ducens, praeposito articulo Θ, qui deinde, sicut in aliis vocabulis, cum voce coaluit. Ita in Semiticis etiam linguis notiones quidem *veri* et *justi* sibi respondere Simon (304. *v.* קשט) probe observavit; sed illius vocis radicem ex Hebraea lingua alii frustra eruere conati sunt. Quibus omnibus diligenter perpensis mihi quidem verisimilius videtur et ritum et vocabulum illud apud Aegyptios ortum esse. — Vocis ערבה vel ערבן, quam et in Graeco *ἀῤῥαβον*, in Latino *Arrhabo* et in Aegyptiaco ΑΡΗΒ eandem agnoscimus, etymon in Semiticis dialectis ceterisque omnibus linguis nequidquam quaeres: in Aegyptiaca reperies. Est enim ab ΑΡΕϨ, quod *custodire* sonat, quodque in voce *Arrha* Romani servarunt.

— Vocis תלאובה radix non magis in Hebraea lingua reperitur, quapropter ad Arabicam lexicographi confugerunt. Forsan in Aegyptiaco vocabulo AIBI *sitis* (*Rossi* 102) latet, unde et *Libya* nomen acceperit. — מן = *quis*, *quid*, unde sit ignorant lexicographi; reperient vero in Aegyptiaco MANIM, *quis;* id quod compositum ex MAY, *ubi*, et NIM, *quid*, magis contractum מָן. — Sed ne multus sim, et a proposito meo nimis abducar, praestat ad indicem illum (§. 370) lectores ablegare, qui, rei periti, materiam sane amplam habebunt, multorum verborum originem vel affinitatem penitius, quam adhuc factum esse videmus, scrutandi.

372. Attamen grammaticae legibus, quemadmodum ex Coptitarum quidem scriptis eas novimus, nos prohiberi quominus Aegyptiorum linguam eandem atque Hebraeam esse dicamus supra (§. 369) monuimus. Esse nihilominus in Grammatica etiam quaedam utrique linguae communia praestantissimus noster Hugius jam pridem (*Encycl. Hall. II.* 55) demonstravit. Sane אנכי et אנחנו cum Copticis ANOK et ANON concinunt. Gesenius quidem (*gramm. Hebr. maj. p.* 200) contendit ab Hebraeis Aegyptios pronomina ANOK, *ego,* et *ANTV* (?) *tu* (*masc.* NΘOK, *fem.* NΘO) accepisse; sed prorsus contrariam sententiam amplexus jam erat Didymus (*p.* 80). Equidem inter utramque mediam tenendam atque a communi aliquo fonte deducendas illas voces esse censeo. Binae enim linguae filiae esse videntur unius ejusdemque matris, cujus jam pridem oblivioni traditae ne memoria quidem supersit. Sed pauca exem-

pla a grammatica arcessita proferre juvat. Ita suffixa singularis numeri Hebraeis sunt י, כ, ו; Coptitis I, K, Ϥ. In plurali similiora Coptica videntur Chaldaicis vel Hebraeorum femininis. Ita Copticum ANON (*Sahid.* ANN) cum Chaldaico אנן, Copticum NΩTEN cum Chaldaico אנתון, vel Hebraeo feminini generis אתן, conveniunt. Atque, ut hoc utar exemplo, ϨΩ quum Coptitis sonet *etiam*, ANOK ϨΩ *ego etiam* quidem vertitur: sed ϨΩK (כ) *tu etiam*, ϨΩϤ (ו) *ille etiam*, ϨΩN (נו) *nos etiam*, ϨΩTEN (כן) *vos etiam*, ϨΩOY (מו) *illi etiam*. Atque ad Copticam linguam attendant velim Hebraeae grammatici, qui de insolita pluralis tertiae personae forma מו diversa ratione disputarunt (*Gesen.* 216. *Ewald.* 177. 365). Copticum enim OY in verborum fine additum sane pluralis est nota (§. 594), unde fieri potuit, ut ex communi fonte superesset additum illud ו. Alia similitudo ex linguarum genio observari poterit, neutrum videlicet populum nominum declinatione uti; utrumque geminato verbo sensum augere, ita ut cum Hebraeo קלקל conferri possint Coptica ϬEMϬΩM, ΣOΛΣEA, BEPBΩP, BEϢBΩϢ, ΦEPΦΩP, ϤOPϤEP et permulta alia. Quo etiam hanc elocutionem ϬEN OYAPEϨ ⲀPEϨ EPOI refero, quae ad literam sonat: *in custodire custodi me* (*Didym.* 89) pro eo quod dicere voluit *tutela sedula conserva me;* et illud etiam in Rosettana inscriptione μεγας και μεγας addo. Sed non nunquam ejusmodi exempla fallunt, quippe quae pluribus linguis, praesertim antiquis, communia esse possint.

373. Atque erunt fortasse qui negent e communi fonte illam similitudinem emanasse. Esto! (licet in re tam obscura nihil decerni possit), modo ne veterum theologorum e sententia statuant, ab Hebraeis immigrantibus, qui sane rudes et inculti pastores erant, Aegyptios longe quidem politiores et honestarum artium studio jam pridem cultos didicisse nimirum sermonem! Quidni potius, qui meae sententiae subscribere nolint, Aegyptios statuant a Phoenicibus (*Herodot.* 2, 112) Semiticas voces accepisse? Quidni a vicinis Aethiopibus, a quibus non semel subacti fuerunt (*Diodor.* 1, 44)? Ammonios etiam, Herodotus (2, 42) tradit, Aegyptiorum Aethiopumque colonos, sermone usos esse ex utrorumque mixto. Cujus quidem loci ope explanari possunt ea, quae ab Aethiopibus audivisse Diodorus (3, 3) refert. Namque eorum verbis deceptos esse video virorum doctorum plures, quos jure notat praestantissimus Beckius (*Welt- u. Völker-Gesch.* 1813. *I. p.* 277). Nec omnes certe Aegyptios Aethiopum colonos fuisse, sed Ammoniorum quosdam tantum ex Herodoti verbis patet.

374. Huic de linguis dissertationi antequam finem imponamus, non nulla de singulis verbis, quae inscriptionibus alia omnino lingua conceptis subinde immixta sunt (§. 340) dicenda esse videntur. Ac ne quis forte gemmarum inscriptiones legens inopinata hac re turbetur, sciat idem et in numis observari et in lapidum titulis. Ita singulae praesertim voces Graecae in Latinis inscriptionibus haud raro leguntur; ut in hac: „multis annis vivat qui dixerit *arpagi*

tibi terram levem" (*Colon. antiqu. de Lyon. p.* 100); in alia (*ap. Fabr.* 593. *Buonarr. tab.* 2. *p.* 15.): „*zeses* cum tuis omnibus;" in alia (*Murator.* 1908, 1): MATER EN HPHNE; in alia (*Corsin. not. Gr.* 12): „cum sua *symbeia;*" in alia (*Fabrett.* 284. *n.* 186): „ut cineres sint *ia* sintque rosae;" *τα ἴα* nimirum intelligenda esse ex hisce Graeci epigrammatis (*in Salengr. thesaur. I. praef. p.* 7) verbis liquet: *μη κακον αιγιπυρον, ἀλλ' ΙΑ* - - *Ουηβιε και περι σου παντα γενοιτο ΡΟΔΑ.* In hac denique (*ex Morisani marm. Regin. p.* 126): D. M. FABIA SPERATA SAΛΛVSTIS AGATHOCΛES OCAERODIOS ATOICE ΠΟΗCAN. Nimirum *ὁ και Ῥοδιος αὐτοις ἐποιησαν.* Similiter in libris (*Ruinart. act. mart.* 95) legimus: „bene venisti *tegnon.*" Sed vicissim in Graecas inscriptiones irrepsisse etiam verba Latina, haec docent (*ap. Lup. p.* 64): „*κατα θεοεις εν πακε;*" et in alia (*Fabr.* 590): „*και φιλια.*" - - Quae quidem exempla quamvis manifesta sint, cave tamen temere et incaute pro peregrinis verbis ea etiam accipias, quae ejusdem, quam tota profert inscriptio, sint linguae. Vestigia enim te terreant velim Muratorii, qui non semel in hunc incidit errorem. Ita in Latinae cujusdam inscriptionis (*Boldett.* 423) verbis „*tauta* Fotinus pater suo dulcissimo filio posuit" ille primam vocem pro Graeca accepit (1829, 1), licet Latinum vocabulum *tota* intelligendum sit, ex simili nimirum diphthongi et literae O pronuntiatione. Neque Latinum *natus* in inscriptionis Graecae (*Boldett.* 390 *f. Murator.* 1830. 4) est verbis: OYAICAO NATOC, quae perperam lecta pe-

jus etiam verterunt „*non oblivioni traderis natus.*“ Ex variatis enim literarum figuris, quas supra (§. 198. 200. 207) tradidimus, omnino melior lectio sese offert *οὐδις ἀϑανατος*, *nemo immortalis.* Figura Λ enim Delta, et O Theta, legenda erant; et *οὐδις* saepius, quam *οὐδεις* vel *οὐτεις*, in lapidum titulis obvium est. Idem vocabulum in alia inscriptione Boldettus (382 *f.*) non agnoscens, neglecto OY, *δις αϑανατος* ridicule exponit *bis immortalis.* Atque ipsam hanc inscriptionem repetiit Raoul-Rochette (*notice sur quelqu. ant. p.* 14) in qua tamen typographi, cujus quidem videtur, error corrigendus, quo perperam *οὐ δις*, quasi *non bis*, divisum est. Itidem Muratorius (1965, 9) in cratere crystallino inscriptionem *πιε ζεσαις ἐν ἀγαϑοις* perperam vertit: *Pie vivas in bonis*, et observat: „vasi convivali addita acclamatio ista *digna Christiano homini!*“ Sit licet: sed *πιε*, hoc loco non Latina, verum vera vox Graeca, vertenda, praesertim quum in vase sit inscripta, erat *bibe* (§. 528).

375. Atque haec sunt quae de linguis habebam dicere tenuia profecto et vilia. Ingenue enim fateor me juxta cum ignarissimis ignorare, quaenam conditio fuerit linguae, qua serpens cum omnium mulierum prima locutus sit. Quapropter neque in originem et cognationem tot diversarum linguarum inquisiturus eram, neque litem dirimere ausus, an ab insano turris Babyloniae opere linguarum repetenda origo sit, an a spiritu sancto, id quod de Slavonicae initio linguae quidam contenderat, an ab angelis singulis

singulae linguae concoctae, quod Origeni visum erat, ignaris tamen illis, sicut Talmudistae docent, Syriacae; an idem angelis sermo sit qui daemonibus, cet. Neque perspectum habebam, an sponte natus sermo fuerit, an communi hominum consensu; an consensu simul et natura? an Cratyli potius et recentiorum quorundam contraria sententia amplectenda, qua homo dei auxilio destitutus non nisi inconditos ac belluinos sonos edidisset? Quam scholam si intrare voluisset Platon, certe philosophus mansisset: facillimam enim quaestionis solvendae viam invenisset. At vero mihi ne de numero quidem constabat linguarum: et quamvis illud a LXXII interpretum numero sumtum argumentum magni ponderis ad probandum totidem etiam fuisse linguas videretur; ego nihilominus tam haec, quam omnia illa, utpote ab hebetiori ingenio meo longe remotiora, prudens seponens non nisi minutiora et humiliora de linguis tradidi, quippe quarum vario modo corruptarum diversas causas ignorantibus praeclusus fuisset aditus ad amuletorum intelligendas inscriptiones: quas quidem accipere debeant qualibuscunque sint sermonis vitiis inquinatae. Si vero futuri sint, quibus duriora illa frusta vel minori cura condita videantur, quam ut delicatis faucibus deglutiri possint, hos memores esse velim illius legis, quae monente Cicerone in Graecorum conviviis obtinebat: Aut bibant — aut abeant.

CAPVT VI.

De orthographia.

376. Fuerunt quidem viri docti, Aldus et Manutius, Claudius Dausquius, Ezechiel Spanhemius, Henricus Norisius, Christophorus Cellarius, Fridericus Ruhe, alii, qui genuinam orthographiam ex lapidibus et numis repetendam esse censerent: quorum studium eo magis laudandum, quo certius non nisi ex hoc monimentorum genere, minime ex libris (§. 8. 364) discere licet, quibus verba literis varie pro temporum diversitate composita fuerint. Ego vero ex iisdem illis monimentis alio prorsus consilio institui docere, quantopere *corrupta* fuerit genuina verborum orthographia. *Verae* enim cognitio parum affert praesidii ad intelligenda ea, quae ex pravo scribendi modo impenetrabilem fere induerunt obscuritatem.

377. Nec corrupta solum illa veterum scribendi ratio fuit; sed inconstans etiam et omnimodo mutabilis (§. 387) in omnibus fere linguis, ex quibus magnam exemplorum vim paulo post afferemus. Quapropter jure culpamus criticos, qui scriptis alienis suam, quantumvis magis genuinam, orthographiam obtrudere sunt ausi. Quos quidem conatus reprehendit jam Fleetwoodius (*in epist. praem. syllogi inscr.*) indignabundus ita scribens: „quod ad rem grammaticam spectat, plurima sunt quae et bilem et cachinnos moveant: praesertim quum audaciam et jactantiam criticorum tantam omnibus

libris interspersam, tam levidensi tamque infirmo fundamento innixam, quum viros alias graves, doctos, probos et prudentes, multae lectionis, et judicii multi, lites, controversias, jurgia, rixas, et tantum non bellum cientes de literula una transponenda, interponenda, mutanda, sive exterenda et delenda, coelum et terram moventes, et cum summo aliorum fastidio et pari sua jactatione de re nihili certantes et, quod dicitur, de lana caprina turpibus et foedis inter se judiciis conflictari videris." Quae ne frustra dixisse videretur, exempla attulit, ex aurea etiam Latinae linguae aetate, quibus, omnino incertam esse veterum orthographiam, luculenter probat. Cui addas velim Mabillonium (*in suppl. ad art. dipl. p.* 14. 15) eadem diligenter demonstrantem.

Ii vero, in quos doctus ille Anglus haud sine causa invehitur, 378.
iidem sunt, qui a Quinctiliano (*I,* 7. *extr.*) circa minutias *haerere* dicuntur. Sed libenter demus istis reprehendendi vel optimos scriptores facultatem (*Beck. de interpr. script. p.* 93. *not. V.*) modo ne velint errori fabrili illico tribuere ea, quorum causam perspicere nequeunt (381. 401. 484). Ita artifices et quadratarios erroris accusant in effingendis literarum figuris, quas minime didicerunt omnes (§. 201. 203. 204). Ita sermonis quoque vitia (§. 351. 422) iisdem tribuunt talia, qualia usu recepta fuisse (§. 8. 356. *sequ.*) ne in mentem quidem ipsis venit. Ita peccasse denique eosdem arguunt in orthographia, cujus inconstantiam prorsus ignorare videntur. Legentes e. g. in lapidis titulo (*Donat. suppl. ad Murat. I.*

55, 2): VINTIS BONORVM TEMPESTATIVM POTENTIBVS errori fabrili illud *Vintis* pro *Ventis* adscribunt, quamvis paulo post (*p.* 56, 5) reperiatur *Nimo* pro *Nemo*, et in aliis etiam inscriptionibus legatur *Equis* pro *Eques* (*Gruter.* 551, 8), *Nicini* pro *Niceni* (889, 11), porro *mancips*, *Senicio*, *Simpronia*, *Viratia*, *Aurilia* (*Reines. p.* 100 *f.*), *Mircurius*, *civis sirvatos*, *parentis* pro *parentes* (*Bianchi marm. Crem. p.* 182. *f.*), *cavias*, *pontifix*, *viniae*, et *ni* pro *ne* (*Ruhe philol. numism. I.* 17) multaque ejusdem permutationis alia. Ita docti quoque marmorum Taurinensium interpretes (*I. p.* 222) *κ'αι-μοξεννιταις*, quod in lapide legerant, inscitiae quadratarii adscribunt, elegantem scilicet scribendi rationem ubique quaerentes, quae ubique neutiquam reperiri potest. Quid? quod ubi bis in una eademque inscriptione idem nomen iisdem scriptum literis *Αχιαλευς* legitur, viri docti tamen errori fabrili id tribuere conantur (*Montf. diar. It.* 203). Jure igitur Graevius (*in proleg. ad T. V. thesauri*) atro carbone notavit Sirmondum et Gutherium, qui in locum vocis *bela*, quae est pro *vela* (§. 397. 410. 416), quasi fabrili mendo illatae, substituere *tabellas* conati sunt! - - Prudentior sane Quinctilianus, qui (1, 4) literae T cum D cognatione observata non mirum esse, scribit, si in vetustis operibus urbis Romae et celebribus templis legantur *AlexanTer* et *CassanTra* (*add.* §. 383).

379. In similem errorem vel doctissimus Bellermannus (3, *p.* 19) incidit, qui quum in gemma quadam angeli nomen sic incisum

ΓΑΒΡΙΗΡ reperiret, hoc artificis negligentiae tribuit. At vero eadem scribendi ratione non solum in alio amuleto (*Middleton. antiqu.* 73) mutatum alius angeli nomen ΜΕΙΧΑΗΡ, sed in novo etiam foedere (2. *Cor.* 6, 15) ab aliis *Βελιαρ*, ab aliis scriptum *Βελιας* legere poterat. Nec mirum: illis enim temporibus, ut saepe diximus, et permultis exemplis probabimus, omnis scribendi ratio a pronuntiatione pendebat. Jam vero constat, non solum fuisse homines, qui a litera L pronuncianda abhorrerent, ejusque in locum alteram liquidam R substituerent; sed vicissim etiam blaesos Plutarcho (*qu. Rom. p.* 277) teste, pronuntiasse L. Unde fieri non potuit, quin diversa etiam scriptio adverteretur, ut idem *κρίβανος* esset quod *κλίβανος*. Quae quam antiqua in scriptis diversitas fuerit e Luciano (*judic. vocal.* 4. *T.* 1. *p.* 65) liquet, qui literas Lambda et Rho, de quibusdam vocibus certantes, jam induxit. Sed permutatarum harum literarum longe antiquius exemplum Aristophanes (*Vesp.* 45) in verbis ab Alcibiade *Θεολος* et *κολαξ* prolatis tradidit. Neque Romanorum e Graeca lingua voces in suam transferendi ratio semper eadem fuit: quamvis enim Plautus leniori pronuntiatione ductus *pellegere* scripserit; plerumque tamen Romani Lambda Graecum cum Latina litera R commutarunt et *lilium* (λείριον), *mille* (μυρία) *lis* (ἔρις) *lacero* (ῥακόω) *paulum* (παυρον) *stella* (ἀστηρ) cet. scripserunt. Pari modo in Latina lingua ipsa *Lemures* a *Remures* descendisse auctor est Ovidius (*fast.* 5, 479 - 483). Taceo *Palilia* et *Parilia*, quia num eadem fuerint adhuc sub judice lis

est. Inter Graecos praesertim qui Attica dialecto utebantur P substituerunt in literae Λ locum, ut scriberent *κεφαλαργια*, *κριβανος*, *ἀργαλεος*, alia. Multa etiam sunt nomina propria, quae varia efferantur ratione. Ita Pindari scholiastes *Membriarum* habet pro *Membliaro*. Atque idem urbis nomen modo *Ἀδριβις*, modo *Ἀδλιβις* (*Steph Byz.*, *p.* 29), iidemque modo *Termessi*, modo *Telmessi* (*Spanh. I.* 563. 564) scribuntur. Quare et *Rhascuporis* forsan et *Rhascupolis* unum idemque erat nomen (*Lucan.* 5, 55). Maxime autem Byzantinorum temporibus leguntur scripta in quibus R pro L substituitur, ut in vocibus *καρδιναριος*, *φραγελλον* rel. Graecos secuti Coptitae scripserunt *Χαρκετον*, *Βελιαρ*, cet. Sed tertia contra ejusdem linguae dialectus plerumque L substituit, ubi Sahidica R habet, ut in verbis ϢΗΛΙ pro ϢΕΕΡΕ, ΛΕΜϨΗ pro ΡΕΜϨΕ, ΕΛΕ pro ΕϨΡΕ, ΠΕΛΗΗ pro ΠΕΡΗΕ (*Münter de indole version. Sahid.* 77). Ad Semiticas linguas si respexeris eandem inconstantiam observabis. Ita Hebraeos ל et ר saepe permutasse infra (§. 453) docebo. Ita Chaldaei חרץ pro חלץ, מרגליתא pro *Margarita*, et modo אלפא, modo ארבא, per utrumque *navem* notantes, scribunt, atque Rabbini מרקולים pro *Mercurius*. Ita a Samaritanis scriptum legimus ארהותך (*Gesen. carm. Sam.* 69). In recentioribus quoque linguis earumdem literarum commutatio observatur, siquidem in iis, quae Dano-Saxonica dialecto scripta sunt, Hickesio (*gramm. c.* 20. *in thes. I.* 95) teste, persaepe R pro L substituitur; et Franco-Galli fluvii, a Strabone *Σουλγας* appellati, nomen in *Sorgue* con-

verterunt. Hispani contra *milagro* a *miraculo* fecerunt. Illum igitur artificem, qui *Gabrier* pro *Gabriel* incidit, nunc ab omni culpa liberatum esse arbitror. Sed quod majus est ipse inscriptionis auctor excusari potest in peregrino illo nomine, siquidem Graeci, quum nullum in eorum lingua vocabulum in Λ desinat, inde *Hannibalis* nomen pronuntiare non potuerunt, sed *Αννιβας* scripserunt (*Diodor.* 13, 43).

Jam credo patebit ex illis exemplis, quae protuli, haud raro inscriptionum obscuritatem originem trahere a frequenti singularum literarum permutatione (§. 409), atque hanc ipsam ex varia profluxisse verborum pronuntiatione. Quo factum est, ut hujus rei imperiti saepe fallerentur. Salvinius in lapidis titulo (*ap. Maffeium in mus. Veron. p.* 108) legens: HOC MANSVM VENI, vocabulum *mansum* barbarum pro agro, et *veni* pro *venit*, idque pro *veniit* scriptum esse putavit, quum ignoraret, literam V cum O commutari dicique *eondem, Hercoles, famolus, Volcanus, divos,* al. Nihil igitur mutandum in dilucida hac inscriptione: „Hoc (*pro Huc*) mansum veni" (*Murator. ant. Ital. II.* 1009. *Maffei. Galliae ant.* 31). In alia enim (*Bianchi inscr. Cremon. p.* 263) similiter: „Hoc (*pro huc*) veniendum est" legitur, nec male, quum ipse Virgilius (*Aen.* 8, 423) „hoc descendit" Maffeio observante scripserit. Atque contra in alia inscriptione (*Mem. de l'acad.* 18 *p.* 242). „In huc locu" (*pro in hoc loco*) reperies. Sed major etiam Reinesii audacia erat, qui (*p.* 950) in lapide quodam (*ap. Aringh. II.* 57) 380.

literas BOXHTH distincte incisas correcturus legere juberet EY-XHTH. Sed quo, quaeso, casu, quave ratione primam syllabam EY cum BO olim commutari potuisse quispiam demonstrare sive nobis persvadere poterit? Equidem literas omnes servans verius vidisse mihi videor. Quoniam enim in lapide sepulcrali vocabulum illud solum comparet, recte inde colligi potest, *nomen* in eo, quemadmodum in pluribus aliis (*Aringh. I. p.* 304. 328. *Torremuza cl.* 17. *n.* 58 *sequ.*), latere *proprium*. A βοηθέω est βοηθος, quod quum apud Graecos in nomen proprium (*Murator. I.* 475, 3. *Donius p.* 23) abierit; ex eo Latinum exstitit Boethius et *Boetius* (*Don. p.* 327. *f.*), quod idem, gravius anhelata syllaba secunda, legitur etiam *Bohetyus* (*Murat. IV.* 1845 *f. Don.* 113). Femininum autem nomen, quod esse debebat *Βοηθη*, hic legitur BOXHTH, intrusa, pariter atque in masculino, in syllabam secundam adspiratione, quae tertiae perperam ademta. Neque illam H adspiratam miramur, quippe quae litera, teste Athenaeo, a Graecis cum adspiratione pronuntiata, quin a Coptitis etiam nomine ϨΗΤΑ appellata fuerit (*Scholz. gr. Copt. p.* 6). Literam X denique spiritus vice fungi non hoc solum loco videmus, sed χιηααν etiam (§. 401) legimus. Latinis contra literis usi MIHAEL pro *Michael* (*Vita in ant. Benev. II.* 230), *Hludovicus* pro *Chlodovicus*, scripserunt.

381. Quoniam autem ex hisce exemplis, quae permultis augeri possent, constare arbitror, saepissime eorum, qui proni sunt ad literas scriptas corrigendas, ignorantiam potius esse accusandam, quam

audaciam laudandam; ex iis insuper, qui perspicui sunt, criticorum erroribus colligere licet, aliis pariter scriptis, quae isti correcturi sint, subesse fortassis causas idoneas, nobis quidem adhuc ignotas. Caveant igitur sibi qui proni sunt ad corrigendum, ne in eandem reprehensionem cadant, in quam ille apud Gellium (5, 21) ipse „reprehensor audaculus verborum, qui perpauca - - legerat, habebatque nonnullas disciplinae grammaticae inauditiunculas.“ Atque vera et omnino approbanda egregii Biagii (*in mon. Gr. Nan. p.* 199) verba haec mihi esse videntur: „Ego vero vehementer abhorreo ab eorum consvetudine, qui ob supra dictas vel similes causas asperam falcem sine ullo prorsus metu in vetera monumenta immittunt, eorumque voces ita pro arbitrio permutant, ut vix aliquod antiquae epigraphes vestigium in illis intueri liceat.“ Pari quoque veritatis amore ductus Fea (*ad Winckelm. epist. de Herkul.* §. 59) artis operibus supplementa addere vetat, siquidem hoc facto veram saepe operis significationem mutari vel prorsus etiam tolli.

Tres omnino orthographiae aetates sunt distinguendae: quarum media optima erat, neque in antiquissima, neque in recentiori recte scribendi ratio exspectari potest, vel desiderari debet. Recentiori enim tempore quum sermonem ipsum corruptum deprehendamus, magis etiam orthographiam neglectam esse quilibet animadvertet. Quod autem ad antiquissima tempora adtinet, quum recte scribendi modus pars sit artis grammaticae, hoc loco 382.

repetenda esse videntur, quae de hujus artis aetate ante (§. 170 *f.*) observavimus. Namque priscis temporibus illam nondum exstitisse (*Sveton. de illustr. gramm. ab init.*) hominesque locutos esse priusquam ab usu demum loquendi certas leges petierint, easque collectas in disciplinae formam redegerint, nemo profecto negabit. Id quod ex Graecis quoque Choeroboschus grammaticus a Biagio (*in monim. Gr. Nan. p.* 199) adlatus confirmat scribens „prius inventa sunt ab hominibus vocabula propter necessitatem mutui colloquii: postea ars superveniens quaedam potuit in ordinem redigere; sed quae non potuit, in eis, quam habuere, retinuit consvetudinem." Scribentes igitur olim consvetudine et pronuntiatione solis utebantur ducibus (§. 378 *f.* 383), nec fere unquam verbi etymon quaerebant, neque uniformes orthographiae servabant leges. Id quod in recentioribus pariter atque in antiquissimis scriptis observamus. Testes apud Romanos sunt duodecim tabularum leges, Scipionum epitaphia, omnesque inscriptiones vel antiquissimae nemini non notae. Quin in una eademque etiam inscriptione orthographia variat. Ita in antiquo saue, Plauti aetate non inferiori, Claudiae cujusdam monimento (*Grut.* 769, 9. *melius in Agost. dial.* 10. *p.* 272) modo SVOM *maritum*, modo SOVO *corde* legitur, et secundi casus terminatio modo AI, modo AE scribitur. Ita in alia etiam una eademque inscriptione (*Maffei. ars. cr. lap.* 167) CASSIAI et MAXIMAI una cum SECUNDAE et AVIAE observari possunt. Ita in hac ex Kircheri museo depromta inscriptione anti-

quissima (*conf. pal. cr. p.* 99) tertia verbi persona modo litera D, modo litera T terminatur:


NOVIOS·PLAVTIOS·MED· ROMAI· FECID
DINDIA·MACOLNIA· FILEA · DEDIT·

Ita in decreto decurionum recentiori etiam tempore (*a.* CXL) scripto tam *atfuit* quam *adfectus* legitur (*Viscont. mus. Pio-Clem. VI.* 259). Ut taceam alia (§. 388). Nihil igitur verius quam quod Quinctilianus (1, 7) affirmat „orthographiam *consvetudini servire* ideoque *saepe mutatam* esse."

Sed quod majus est et probe notandum, postquam grammatici exstiterant artemque suam professi docuerant, scribentium nihilominus complures sola pronuntiatione ducti verba literis componebant. Neque hoc ex plebe tantum homines faciebant, sed viri etiam docti et inter honoratiores primi, licet haud ignorarent contra grammaticae leges se scribere. Ita Cicero ipse (*orat.* 47. 48) „impetratum est a *consvetudine*" inquit „ut *peccare* svavitatis causa liceret." Quapropter „se, *scientia* quidem sibi reservata, *indoctam* tamen *consvetudinem*, utpote svavitatis artificem" sequi fassus est. Scribendo nimirum svaviorem pronuntiationem pariter imitabatur, atque Augustum fecisse testis Svetonius (*c.* 88. *p.* 84. *Casaub.*) est. Illum enim existimasse tradit perinde nobis scribendum esse ac loqueremur. Neque hoc prorsus displicuisse Quinctiliano haec ejus verba (*I*, 7) docent: „ego, nisi quod consvetudo obtinuerit, sic

Note: the paragraph beginning "Sed quod majus est" has the section number 383 printed in the right margin.

scribendum quidque judico, quomodo sonat;" et paulo ante: „veteres sicut scribebant fortassis etiam loquebantur." Addit et Svetonius ad Augusti scribendi rationem „eundem saepe non literas modo, sed syllabas aut permutasse aut praeteriisse" - - atque hunc *communem* sua aetate hominum errorem dicit. Qua occasione oblata Casauboni (*ad Sveton. p.* 298) errores notandi sunt, quos aliis cumulavit interpretaturus haec Svetonii de Augusto verba: „Notavi et in chirographo ejus illa praecipue: non dividit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alterum transfert, sed *ibidem statim subjicit circumducitque.*" - - Quae quidem extrema verba *„literas statim subjicere et circumducere"* minime ex numis, quod Casaubono visum, sed ex hoc potius monimento,



lucem accipere posse cum Tenzelio (*Monatl. Unterred.* 1690. *p.* 170) arbitror. Namque qui ante penultimam literam conspicitur character non est litera Z, quemadmodum Muratorius (493) perperam eum repraesentavit, sed signum quo syllaba VM literis CONSILI *subiecta*, ut Svetonii verbis utar, *circumducitur* et ad illas literas rejicitur. Ceterum Praenestinis sortibus istud monimentum cum Kirchero (*in Latio p.* 94) et Begero (*III.* 414) minime adnumero; sed tesseris potius, quibus ludos (*Cic. orat.* 3, 15) oracula imitantes, hodieque usitatos, excogitarint otiosi illi homines, qui

perdere rem caram tempora nostra solent.

Illos denique, qui in tali monimentorum genere insvetam orthographiam non nisi artificum inscitiae tribuunt, adire jubeo Turcium Rufium Apronianum Asterium, grammaticum, et criticum ipsum quem (*ap. Gor. in inscr. Etr. II. p.* 452) scripsisse videbunt DISTINCXI et SET pro *sed.*

Ne quis vero credat magis certam apud Graecos fuisse scribendi rationem, legat ille Sextum Empiricum (*I,* 9. 169. *p.* 252 *sequ.*), qui inanem et nullam esse traditam a Grammaticis orthographiae artem, demonstrat, et scribendi usum solum agnoscit. Sed ne consvetudinem quidem universalem fuisse, immo doctissimos etiam viros repertos esse, qui ab ea recederent, Porphyrius (*in vita Plot. ap. Fabric. IV. p.* 107. 114. 126) testatur. Tribus enim locis tradit, „Plotinum philosophum nullam prorsus orthographiae rationem habuisse.“ Valere igitur jubemus eos, qui a nemine nisi indocta plebe contra orthographiae leges peccatum esse, contendant. Woidius quidem (*notitia cod. Alex. ed. Spohn. p.* 30. 33) ore tantum dictantium ac perperam voces pronuntiantium tot menda in libros irrepsisse sibi persvasit: quoniam autem concedit male pronuntiasse dictantes, concedat quoque necesse est, fieri potuisse ut scribentibus etiam, quibus nemo verba dictaret, perversa pronuntiatio fons esset peccatorum contra recte scribendi leges. 384.

A pronuntiatione pependisse scribendi rationem, luculentis docemur exemplis. Nonne negligenter loquentes ipsos audire nos 385.

nobis videmur, scriptum legentes „prontus" (*Boldett.* 393), „inter santos" (*Oderici diss.* 341), „fedeles en pace" (*Marini pap. dipl.* p. 261. *f.*), „durmat en pakae" (*Murat. inscr. IV.* 1835, 2), „fl*i*reaz zemper" (*Nov. op. dipl. II. Tab.* 28, *l.* 4), „meses cinque dies biginti- abet depossone" (*Murat. ant. It. II.* 1009) „fotsa" (*Gorii inscr. Etr. III.* 99) „mereti scrisi in paece" (*Buonarr.* 153. *Murat.* 1958, 6), „davit" (*Id.* 1431, 10), „totius sustatie muvele et inmouile - cora nouis ei rilicta" (*Marini Tab.* 22), „paementum" (*Boissard. IV.* 127. 130. *Gruter.* 102, 1), „penetentia, senodum, Efisinam, episcobum, praesolis, dispotaverit, apogrifum" (*Fontanin. ant. Hort.* p. 332), „alomnus" (*alumn. Murat.* 1439, 7), „aessorcista" (*Monf. diar.* p. 163. *Murator.* 1841, 6), „consevatrix." (*Boissard.* 128), „posuerun" (*Fabretti* 580 *f.*) „cojux, cosul" cet. et in Graecis „*ὑκονομου*" (*Gruter.* 1162, 11), „*ἀνεϑιχεν*" (*Raspe I. n.* 5562), *ἀνεϑικεν* (*Biagi mon. Gr. p.* 39) *ἀνεϑεικα* (*Murat.* 1930, 4), *ἀναιϑηκαν* 1948, 7), *μιτηρ* (*Murat.* 1930, 4) „MITER THEY" (*Vet. gemm. Georg.* p. 8) „*χαιερε*" (*Murat.* 72, 1), alia. Atque ex inertissima illa oris segnitie ridiculus, vel prorsus etiam contrarius verae sententiae sensus interdum obtruditur, ut in illa a Donato (*in suppl. thes.* 17, 3) edita inscriptione: „Deo *invito.* Mitir" pro „*invicto*" Mithrae.

386. Ubi iste autem arbitrarius scribendi modus, quem corrupta pronuntiatio pepererat, semel invaluerat, fieri non potuit quin adeo obscurarentur interdum voces, ut a legentibus, nisi oratio-

nis serie forsan adjutis, vix intelligi possent. Quarum ex numero sunt, quas exempli causa hic subjicere placet: „diostio" (*Murator.* 1821) „deposso, depossone" (*Lup.* 173. *Aringh. I.* 341. *Malvas. marm. Fels.* 571. *Fabr.* 573) „repossone" (*Thorlac. opusc. IV.* 103) „requisione" (*Lup.* 175) „ignucus" sive „cugnuchus" (*Marin. papyr.* 287. 351) „nabe" (*Thorlac.* 105) „bedua" (*Aringh. II.* 333. *Reines.* 991) „vone" et „vene" (*Reines.* 962. 933. 964) „enofitus" (*Murat.* 1845, 6) „svinvaginta" (1850, 8) „coius" (1852, 11) „mecorans" (1879, 7) „funat" (1888, 1) „usor" (1957, 1) „visonum" (1970, 6) „cunc" (*Gruter.* 315, 2) „coc" (*Fabrett.* 553, 37) „renanti" (*Murat.* 1857, 7) „zinnum" (1930, 6. *Buonarr.* 119 *et praef.* 10) „cod" (*Murat.* 1968, 4), cetera.

Sed obscura ista vocabula minus mirabitur, qui perpenderit, 387.
pronuntiationem pro diversa locorum hominumque ratione diversam fuisse indeque haud raro unum idemque verbum varie esse scriptum, plusve minusve corruptum, prout magis vel minus socordes in pronuntiando homines fuerint. Quo fit, ut quae prorsus depravata sunt verba nemo unquam explicaturus sit, nisi qui ejusmodi vocem falsa pronuntiatione corruptam, per omnes vitii gradus et vicissitudines persecutus diligenter observaverit. Exemplo sit illud, quod in lapide quodam (*Murator.* 1859, 4), quem Montfauconius ipse vidit (*diar. Ital.* 162), legitur verbum BISI pro VIXIT. Cujus quidem verbi perperam scripti causam quo melius intelligamus, ad varias literarum mutationes attendamus oportet.

Ita pro *vixit* in monimentis sepulcralibus legimus VIXSIT (*Gruter.* 804, 9. *Murator.* 1939, 7. *Gud.* 366, 11. *Torremuz. cl.* 10 *n.* 41) VISSIT (*Aringh. II. p.* 395. *Boldett.* 489. *Murat.* 1837, 6) VISIT (*Grut.* 1059, 4. *Murat.* 1832, 2. 1898, 2. *Donius.* 532, 44. *Fabrett:* 551, 19. 567, 113. *Bold.* 389. *Corsin. diss. I. p.* 10) WIXIT (*Bold.* 83) BIXIT (*Grut.* 307, 8. 540, 3. 569, 12. 672, 8. 840, 1. 1144, 8. *Bold.* 489. *Murat.* 1939, 1. 1946, 4. *Oderic.* 339) BIXSIT (*Aringh. I.* 332) BISSIT (*Murat.* 1891, 2. 1919, 8. *Gud.* 365, 10. *Fabrett.* 563, 38. *Reines.* 937) BISIT (*Torrem. cl.* 17. *n.* 29. *Oderici* 341. *Bold.* 429. 430. *Fabr.* 558, 30), abjectaque deinde finali T litera VIXEI (*Boldett.* 430) VISI (*Lup.* 185), et depravata denique literae B forma (§. 198. 200) illud RISI. Pari etiam modo (*ap. Buonarr. praef.* p. 20) nomen RINCENTIVS pro BINCENTIVS, idque pro VINCENTIVS scriptum videmus. Neque illa sola sunt corrupti verbi VIXIT exempla, sed innumera alia, ut VIIXIT (*Bosii Rom. subt.* 495) VIXIIT (*Ruhe I.* 57) VEIXSIT (*Fabr.* 421, 388) VICXIT (*Bold.* 461. 572. 633, *Reines.* 944. *Fabr.* 572, 54. *Murat.* 1961, 1) BICSIT (*Torrem. cl.* 17. *n.* 14) cum digamma etiam, FIXIT (*Reines.* 675, 78. 788, 15) VIXID (*Torrem. cl.* 17. *n.* 35) VITXIT (*Aringh. II. p.* 111. 120. *Gruter.* 1059, 5. *Murat.* 1939, 4) VIXXIT (*Lupi* 186. *Oderic.* 345) BIXXIT (*Bold.* 425) VIXET (*Donius.* 557, 19. *Fabr.* 568, 122) BIXET (*Gor. columb. lib.* 190) VICSIT (*Lup.* 186. *Murat.* 1938, 2) VICSET (*Murat.* 1945, 8) BIKIT (*Corsin.* 57) BIXIS (*Bold.* 364. 460. *Murat.* 1831, 1) BIXIX (*Mur.* 1891, 5. 1960, 4) VIXSIS (*Bold.* 545) VIXSIST (*Bos.*

394) VIXT (*Murat.* 1959, 6) VIBIT (*Murator.* 1956, 5) VIVIT (*Boldett.* 415) VISET (*Murator.* 1860, 5) BIZIT (*Corsin.* 13) VXIT (*Murator.* 1819, 5. *Boldett.* 460) BIXT (*Bold.* 490) QXIT (*Bold.* 387. 398) VICSIC (*Bos.* 476. *Aringh. II. p.* 118) VIXSE (*Reines.* 962) VEXSE *Fabr.* 559, 33) VISCE (*Aringh. II. p.* 118) VISXE (*Bos.* 477) VICTET (*Mur.* 1959, 11) VIXIXIT (*Bold.* 409) VIT (*Id.* 86); quin Graecis etiam literis adhibitis YIKCIΘ (§. 425) et BICXEPVN (*Gud.* 370, 2) pro *vixerunt*. Quodsi sola horum *lectio* fastidium apud lectores creaverit, quanto, quaesumus, magis taedii plenum *laborem* sordes istas colligendi fuisse consentaneum est! Sed consulto omnes illas vicissitudines uno quasi in conspectu proposui, ut ex uno verbo quid in aliis quoque statuendum sit liqueret; quorum similes permultas vicissitudines possemus enumerare, si tempus eis quaerendis terere vellemus. De varia verbi „quiescit" forma olim (*pal. crit. I.* 262. 263) quaedam jam attuli, magnamque vocabulorum ex inconstanti orthographia variatorum copiam congessit et recensuit Fleetwoodius (*in epist. ded. ad inscr. syll.*).

Ne vero aurea Latinae linguae aetate puriorem scribendi rationem adhibitam esse sibi persvadeat, qui non nisi optima ejusdem temporis specimina viderit; audiat is Ciceronem ad Quinctium (*III. ep.* 5) scribentem: „de LATINIS, quo me vertam nescio, ita MENDOSE SCRIBVNTVR." Atque haec quidem Cicero de librariorum erroribus dixerat. Sed non minora contra orthographiae leges peccata contineri etiam monimentis publica auctoritate Augu- 388.

sti aetate conditis celeberrima docent cenotaphia Pisana pluribus locis, in quibus inconstanti admodum ratione scriptum legimus *Atque* et *Adque*, *Cajus* et *Gajus*, *Decessus* et *Decesus*, *Eum diem* et *Eam diem*, *Ceteros* et *Caeteros*, *Neve* et *Nive*, *Observari* et *Opservari*, alia.

389. Atque Graecae etiam linguae periti bene observarunt minime uniformem ejus scribendae esse modum: sed nimis proni illi sunt ad tribuendum solis regionibus istam diversitatem, quum generalior potius causa respicianda sit, diversa nimirum singulorum pronuntiatio in una etiam eademque regione; vel si mavis in pronuntiando scribendoque negligentia. Praesertim criticis haec sunt observanda, ne argumenta ex orthographia temere sumant. Saepe enim in uno eodemque, ejusdem igitur regionis, lapide illa variat (*Maffei. Gall. ant.* 90. *Ejusd. ars. cr. lapid.* 70). Atque omnino inconstantem Graecorum quoque orthographiam fuisse facile intelligent, qui paululum attenti ad hanc rem fuerint. Ita vox, quae *terram* sonat, scribitur ΓΗ, ΓΑ, ΔΗ, ΓΕΑ, ΓΑΙΑ, ΑΙΑ, ΓΕΕ, ΓΑΙΗ, ΓΙ, Latinisque etiam literis GEE; et quae in pseudonumo (*v. Morgenstern. comm. de num. Basilii Dorpat.* 1826) leguntur ΚΗΓΙ pro *καὶ ἡ γῆ* eadem a Judaeo Hebraeis literis (*in Wolf. bibl. Hebr. T. III. app. p.* 2) scripta legimus קֵי אֵ יֵ - - Ita una eademque copula ET non tantum ΚΑΙ scribitur, sed etiam ΧΑΙ, ΚΕ, ΚΙ, ΚΥ, Latinisque literis CE et CAE. In hac igitur forma Ꝁ (*Montf. pal. Gr.* 159) minime scribendi compendium latet, sed


corrupta potius orthographia. Ex duabus enim literis K < nulla desideratur. Beleyus autem (*mem. de l'acad.* 24. *p.* 121) posteriorem literam non agnoscens in Maximini numo priorem solam legit, ubi *κε* legere debebat: quapropter ne cogitavit quidem de prava hac scribendi ratione.

De vario vocem *εἰρήνη* scribendi modo supra (§. 359) jam egimus, qui corruptus quidem in nomine proprio IRINE (*Oderici diss.* 337) etiam reperitur. Sed luculentius verbi *κεῖται* exemplum erit quod multiplici modo variatum in sepulcralibus monimentis legitur, videlicet KEITE (§. 359) KEITAE (*Torremuza in Sic. cl.* 10. *n.* 20) KETE (*cl.* 14. *n.* 42) KITE (*cl.* 14. *n.* 20. 61. 94. *cl.* 17. *n.* 6. 10. 12. 19. 24. 27. 38. 55. *cl.* 18. *n.* 16. *Murator.* 1819, 3. 1847, 9. 1853, 11. 1964, 9. *Donius* 528, 22. 532. *Fabretti* 740. *n.* 502. *Corsini diss.* 2. *p.* 30. *Inscr. ant. bas. S. Pauli p.* 62–64. *Gorii inscr. Etr. III.* 314. 322. *Donat.* 430, 18) KITAI (*Torrem. cl.* 17. *n.* 31. *Murat.* 1860, 12. *Burckhardt itin. Syr. p.* 102). KITH (*Martorelli thec. calam.* 527. *Gor. inscr. Etr. III.* 322) KITI (*Inscr. bas. S. Pauli p.* 62. *n.* 8); quin etiam XEITAI (*Lup. p.* 178) et XITE (*Corsini diss.* 2. *p.* 30: similiter KATAKITE (*Gruter.* 1148, 12). 390.

Varium et corruptum Graece scribendi modum olim fuisse ex lexicographorum praeterea et grammaticorum scriptis colligi potest; siquidem isti eam toties corrigere supersedissent, nisi in usu fuisset. Sane adeo deformatas perversa orthographia voces interdum deprehendimus, ut nisi ex nexu cum reliquis nemo unquam 391.

eas intelligeret. Exemplo sint *πλιρς κι γι* (§. 389), *τραγωιδια* (*Raoul Rochette not. sur un vase p.* 16) *καλλιτιχη* (*Choul. rel. Rom. p.* 182), *χαιρι* (*Muratori I.* 72) cet. Plura etiam Niebuhrius (§. 363) collegit, ut *ἱερειωσυνη* - - *ἀρχιερειοσυνη* vel *ἀρχηρειωσυνη* - - *μυρονομος* - - *ἰκοσι* - - *κατιτρυσις* - - *αρχιως*, alia.

392. Maxime nominibus propriis hodieque accidere observamus, ut toties repetita negligenter sensim pronuntiarentur, indeque corrupta etiam literis mandarentur. Ita ex nomine olim trito *Quodvultdeus* sensim haec emanarunt: *Quodbuldeus* (*Fabrett.* 580), *Quodvulteo, Cobuldeo, Coideus* (*Marini papyr.* 288. *Thorlac. opusc. IV.* 99); quibus etiam Graecis literis scripta ΚΟΔΔΑΙΟΣ (*Marin. l. c.*) et



(*Torremuza cl.* 17. *n.* 20) addenda sunt. Aeque depravatum Alexandri nomen legitur. Namque ut taceam antiquissima Romanorum monimenta in quibus *Alexanter* scriptum erat (§. 378) in aliis etiam legitur *Alexsader* (*Montf. II. tab.* 168) *Alezandros* (*Boldetti.* 343. *Reinesius* 898. *f.*). *Αλεαανδρος* (*Winckelm. Denkm.* 168. *Mem. de l'acad.* 18. *p.* 227). *Αλεσσανδρος* (*Ficoron. p.* 111) *Αλεσανδρ* (*Capell.* 69. *Montf.* 171). *Αλεξας* (*Cuper. Harp.* 5) ALIXENTROM (*Causei mus. III. tab.* 20). Atque in eodem moni-

mento, quo hoc inscriptum, MIRQVRIOΣ quoque est: quod quum in aliis etiam MIRCVRIVS (§. 373) scribatur, Etruscis cur Causeus et Lanzius (*II.* 219) illud, repugnante quidem omnium literarum forma, tribuant, equidem haud perspicio. Sed multa huic populo a viris doctis temere adscripta esse animadverti nulla alia de causa, quam propter insolentem orthographiam. Asianis denique illud Alexandri nomen *Eskandar* sonat (*Hanway itin. II.* 22), et Mogolis *Sekander Filifous* (*Allg. hist. d. Reis. XI. p.* 111). Mercurii autem nomen in notis Tironianis (*ap. Gruter.* 197) *Mercoris*, et a Judaeis *Merkolis* (§. 379) effertur. Ita pro Cereris nomine legimus CIRIƆ (*Rasp.* 1893). Quibus perspectis nemo certe mirabitur in amuletis quoque tam vario modo nomina esse exarata, ut illud *Abraxas* (§. 453), *Chnubis* (§. 483) alia. Sed de ista nominum propriorum prava scriptione inferiori loco (§. 406) plura in medium exempla proferemus.

Quo magis autem perspicias haud sine causa a me observatas ejusmodi quisquilias esse, scito in ipsarum ignoratione causam quam saepissime latere, cur verba inscripta vel a doctissimis viris non sint intellecta, quippe qui ad depravatam orthographiam non satis animum adverterent. Ita illud ipsum κειται (§. 390) non agnoscentes Donius, (525, 8) et Muratorius (1840, 6) in inscriptione quadam ενθα κιτε vertunt IMMATVRE (*Corsin. diss.* 2. *p.* 30)! Unde expiscati sint verbum illud *immature* equidem divinare nequidquam tentavi. Quapropter suspicor vulgarem illam formam *Hic jacet* 393.

ab iis non esse intellectam, quum sibi persvadere non possent vocem *κειται* in KITE latere!

394. Ita etiam Stoschius (*pierr. grav. d'Orl. IV.* 135. *II. tab.* 68) ad gemmae cujusdam hanc inscriptionem ΑΚΑΚΙΖΗCΕC animadvertit nullum ex istis literis sensum erui posse (*ces caractères ne forment aucun sens*): qui si intellexisset levi vocalium mutatione illa scripta esse pro *Ακακια ζησαις;* nullo negotio vertisset *Acacia vivas!* Pariter in alia gemma *Olimpia vivas* legitur (*Paciaud. anagl. Gr. p.* 25), et permultae similes illis inscriptiones reperiuntur. *Ακακη* enim, indeque *Acacia*, quo *innocens* denotatur, ab *ἄκακος* effictum, nomen proprium est mulieris, quemadmodum *Acacius* viri (*Grut.* 58, 10). Intellectu longe difficiliorem aliam gemmae esse inscriptionem ΖΗCΑΙC ΑΚΑΚΙΝ (*Cayl. IV. p.* 155) ex iis patet, quae Caylus (*IV. praef. p.* 17) a doctis philologis accepta retulit, quibusque subscribere equidem nequeo, quippe qui *ἀκακιαν* in illo *ἀκακιν* agnoscam simili modo scripto, quo *μαρτυριν* pro *μαρτυριον*, *σκοτιν* pro *σκοτιον* (§. 358. 365). Jam vero *κατα*, ex solita in quarto casu ellipsi suppleto, *ζησαις καϑ' ἀκακιαν* facile intelligitur. Saepe in Latinis quoque sepulcralibus titulis (*Oderici diss.* 334) additur, sepultos vixisse *innocentes.* — Sed vel doctissimos interdum viros animadvertimus levibus contra orthographiam peccatis esse turbatos. Ita parum abfuit quin Eckhelius (*IV.* 3) numos, in quibus *σωτηρα Αιγηπτου* (pro *σωτειρα Αιγυπτου*) legerat, falsos putaret! Quod certe in mentem ei non venisset, si observasset, in calendariis dies Ae-

gyptios a Romanis notatos esse scriptione haud meliori DIES AEGEP. (*Cuper. Harp.* 263), atque in basi horologii ab Augusto errecti AEGVPTO, in Neopolitana quadam inscriptione EGYPTVM (*Dausqu. orth. II.* 18) et in gemma etiam (*Wilde n.* 128) AEGIP. legi.

Quid? quod vel notissima saepe ignorantur. Nihil profecto frequentius obvium est, quam diphthongum EI cum vocali I permutatam legi (§. 187. 191. 195. 416-418. 429. 454). Attamen erat vir doctus, scriptis suis inter philologos jam notus, qui exaratum in gemma quadam, suo loco deinde accuratius examinanda, verbum ἀνειχητον agnoscere nollet, quoniam ἀνιχητον non scriptum esset. Ne vero satyram me scribere putes, adi libros typis mandatos. Videbis Galeottum (*ad Ficor. gemm. tab.* 6. *n.* 5. *p.* 41) scalptoris vitio tribuere omissam in voce ἱερηνη literam E; observabis Begerum (*in spic. ant. p.* 90) vocabulum μεισοπονηρος intelligere non potuisse, quum prima syllaba non μι scripta esset, sed μει; miraberis Boldettum οὐδεις non agnovisse (§. 374) quia οὐδις non videret; ipsum denique Bellermannum (*II.* 44) notabis, syllabam ει in nominibus Νειλος et Μειθρας (§. 454) reprehendentem, quantumvis recepta tunc et pervulgata apud Graecos ista orthographia fuerit. 395.

In hac etiam Arundeliani marmoris inscriptione *Διονυσιος Ζηνωνος του Θεοδορου Βηρυτος εὐεργετης θεοις πατριοις* vox *εὐεργετης* adeo vexavit eruditos, ut neque Seldenus (*op. II.* 1467. 1576), neque Thomasinus (*de donar. p.* 82) inscriptionem auderent Latine reddere, et Chandlerus hunc lapidis titulum prorsus omitteret. 396.

Audaciores Prideaux (*p.* 287) et Reinesius (172) „*benefactorem deorum*“ intelligunt. Sed obstat tertius verborum *θεοις πατριοις* casus, quum dicatur *εὐεργετης τινος*, vel *εὐεργετεω τινα.* Namque constanter in Graecis legitur inscriptionibus (*ap. Cuper. in apoth. Hom. app. p.* 283) „*εὐεργετην της πατριδος*“ -- „*και της πολεως εὐεργετην*“ -- „*βασιλεων εὐεργετων της πολεως*“ cet. Quapropter nisi statuere velis contra grammaticae leges peccatum in nostra esse inscriptione, ad diversam ab usitata et variam olim orthographiam respicias necesse est. Aliquando enim literae H sonus pronuntiantibus idem erat ac diphthongi AI, quapropter in pluribus dialectis (§. 401), praesertim in Attica, diphthongus haec in H transierat. Intelligas igitur licet *εὐεργεταις θεοις πατριοις;* quo facto inscriptionis sensus erit optimus. Dii enim hominibus benefaciunt, unde haud mirum illo cognomine eos appellari, atque in lapidum titulis homines, ut Pollucis (5, 140) verbis utar, *διδοναι χαριν τοις εὐεργεταις.* Vicissim in alia inscriptione (*Oderici diss.* 377. 378) *μνησθοις* legitur, ubi ejus auctor *μνησθεις* intelligi voluit. Namque non solum *οι* et *ει* pronuntiatione confundebantur; sed librarios etiam *οις* pro *εις* scripsisse Luciani libri testantur (*T. V. p.* 337. *Bipont.*).

397. Atque hanc etiam (*apud Gorium I.* 371. *n.* 123) inscriptionem:

. . . ΨΥΧΙΤΕ
ΚΛΟΝΟCΕΡΗ
ΛΕΛΩΓΕ ΕΤ
ΩΝΔΜΗΝΩ

Ν Η ΗΜΗΡΩΝΙΘ
ΡΟΥCΚΙΝΟC ΠΡΟ
ΒΟΚΑΤΩΡ ΚΑΙCΑ
ΡΟC ΠΑΤΗΡ ΚΑΙ ΤΑΩΝ
ΜΗΤΗΡ ΑΙΓΥΠΤΙΟΙC ΠΟΙ
ΗCΑΝ ❧ ΛΟΙΠΟΝ ΜΕΝΟC

Corsinus (*not. Gr.* 59) praeeunte Salvinio ita interpretatus est, ut ab initio legeret *εὐψυχι τεκνον;* deinde *οσιερηλελωγε* haberet pro defuncti filii nomine, vocandi casu posito; *προβοκατωρ* autem Latinum *procurator* esse censeret; porro *Αἰγυπτιοι ἐποιησαν* legeret; extrema denique verba *λοιπον μενος* de peculiari quodam paterno affectu (?) intelligeret. Sed multa sunt, quae contra hanc doctissimorum virorum interpretationem monere liceat. Ac primum pro inaudito et portentoso filii nomine Lipsienses quidem (*nov. act. erud.* 1751. *p.* 397) reponunt *ὃς ἔρη λελογχε*, et vertunt *qui terrae in sortem cessit*: sed quo pacto illud *ἐρη* pro *terra* defendere voluerint vix divinari potest. Equidem *λελογχε*, utpote negligenti pronuntiatione corruptum, agnosco: sed *Οσιερη* notissimum dei nomen esse censeo, quod in gemma bilingui infra proferenda OVCEPE casu recto etiam scribitur. Neque Graecis Romanisve insolitam Osiridis mentionem in lapidum titulis fuisse hi ipsi testantur (*Fabretti* 466, 102 *et* 103. 488, 172 *et* 173. *Montf. V. p.* 34). Quos qui legerit facile videbit, cur hic dicatur „*filium Osiris sortitus est*" quod idem ac *suscepit;* Germanis: *Gott hat ihn zu sich ge-*

nommen. Quin ipsis etiam Romanis usitata elocutio erat *filium sortiri* (*l.* 3. §. 5. *D. de bon. poss. c. tab.*) - - Porro *προβοκατωρ* pervulgari Graecorum orthographia (§. 416) pro Latino *provocator* scriptum, neque criticorum illa temeritas *procurator* legentium excusari potest, nisi ex ignorantia officii, cui praefuerit ille *provocator Caesaris.* Sed utinam hoc solum esset, quod nesciremus! In Gallia quidem *provocator* causarum recentioribus notus erat (*Adelung. gloss. manuale*); apud Romanos autem gladiatorum genus nomine *provocatorum* appellatum esse Cicero (*pro Sext.* 64) docet. Ummque variae per provincias gladiatorum stationes fuerint (*Guther. off. dom. Aug. III,* 35. *p.* 876); haud scio num et *Caesaris* in iis *provocatores* fuisse statui possit. Certe *secutores Caesaris,* qui ex gladiatorum etiam numero erant, in lapidum titulis (*Grut.* 334, 2) obvii sunt; mihique cum *provocatoribus* conjungendi videntur illi (*Cuper. apoth.* 303). - - Deinde quod scriptum ΑΙΓΥΠΤΙΟΙCΠΟΙΗCΑΝ est illi legunt *Αιγυπτιοι εποιησαν.* Recte quidem, modo ne velint formam C mendo artificis tribuere, quum satis notum sit literam Ε et hac forma C denotari (§. 200). Ego vero suspicor intelligendum hoc loco esse *Αιγυπτιοι εἰσεποιησαν*, ex quo festinanter pronuntiato sensim enatum *Αιγυπτιοισποιησαν.* Certe quae sequuntur voces verbum illud *εισποιειν,* idem quod *inferre,* flagitare videntur. - - In extremis denique vocibus incertus ipse Corsinus haesit neque ausus Latine eas vertere. Doctissimus quidem hujus censor (*in act. erud. l. c.*) *λυπου μενοι* legere jubet: sed sub-

stituentis in locum literarum N et Σ literas Y et I, audacia major est, quam ut eam ferre possim, praesertim quum non solum scriptura clara, sed nomini *μερος* conveniens etiam adsit adjectivum *λοιπον*. Quae quidem vocabula conjungenda esse videntur cum verbo *εισεποιησαν*, vel si mavis *εποιησαν*, quod alias praedicato careret. Quumque hujus verbi *ποιειν*, ita ut Latini *Facere*, late pateat significatio; vertere licet „(parentes) posuerunt reliquum corporis robur (sive *ossa*).“ Namque *μερος*, Phavorinus scribit, *εστι του σωματος, το δε θαρσος της ψυχης*. Latius etiam patuisse vocem *λοιπον* suspicor, quum infimo tempore *λοιπας* pro *reliquario* usurpatum fuerit (*Meursius*). In Latina quadam inscriptione (*Agostini dial.* 10. *p.* 267) haud absimilis locutio haec obvia est: „vbei se *reliquiae* conlocarent corporis:“ in alia (*Oderici diss. p.* 39): „heic *relliquia suprema* manent.“ Atque eodem, puto, sensu Trebellius Pollio (*trig. tyr. in f.*) „*corporis ultima* servare“ scripsit.

Sed erunt fortassis, qui in antiquissimis etiam Graecorum inscriptionibus orthographiam observare velint, atque ipsi disquirere, num in iis quoque instabiles ejus leges fuerint. Quibus, quamvis supra (§. 380) quaedam proposuerim exempla, hoc tamen loco integram inscriptionem dijudicandam tradere eo magis constitui, quo probabilior conjectura mihi videtur, obscuritatem, qua illa Boeckhio ipso judice laborat, in insveta tantum orthographia positam esse. Ex vase exscriptam novissimae Berolinensi Graecarum inscriptionum collectioni (*p.* 12) insertam eam videmus, sed 398.

omissis imaginibus ad quas utique sese refert. Quapropter ipsam denuo una cum illis hic inserendam curavimus:



Atque omnes hujus inscriptionis interpretes nimis inhaesisse videntur illi (*ad Pisones* 129) consilio

Rectius Iliacum carmen deducis in actus.

Ad Dolonem enim a Diomede et Ulysse interfectum verba illa retulerunt, vel ipsi, quod miror, doctissimi Berolinenses. Qui si imaginem cum Homeri fabula contulissent sane perspicere debebant, nihil profecto nisi ternarium virorum numerum cum illa congruere. Sed ante omnia de literarum vi ac potestate videamus: quarum quum quaedam a vulgari forma recedant, requiramus necesse est alia veteris aevi monimenta, quibus comparatis de illa-

rum vi certiores fiamus. Atque horum nullum literarum ductu magis cum inscriptione nostra concinit, quam tabula illa aerea musei Borgiani, post doctam Siebenkeesii (*Rom.* 1789. 4) commentationem a Berolinensibus (*p.* 9) ipsa quoque explicata. Pariter enim in ea formam Ɨ videmus pro Γ, D pro Δ, ʃ pro I, atque Λ\ pro Σ. De sola litera Gamma dubitasse video Berolinenses, reliquas haud dubios optime legentes. Unde conjicio, praeter temere conceptam opinionem de Homeri fabella hic expressa, non nisi orthographiae rationem viris alioqnin acutissimis impedimento fuisse quominus verborum sensum divinarent. Salvo enim magni honore Homeri profecto non omnia, quae in vasis leguntur, ex hoc solo repetenda sunt; sed aliunde quoque permulta videmus arcessita, quae pervulgata nimirum et svaviter enarrata prisci aevi hominibus maxime placerent. Atque iis, si qua alia, utique adnumeranda est de Arione a delphinis morti erepto, fabula, quam *omnium ore celebrari* Plutarchus (*de solert. animal. p.* 984) tradit, quam *παλαίφατον ἔργον* Oppianus (*ἁλιευτικ. ε.* 448) appellat, quamque adeo in deliciis fuisse videmus incolis magnae Graeciae (plurimorum ejusmodi vasorum patriae) ut in numis quoque (*Goltz. Sic. et magna Gr. Tab.* 33, 7. *Eckhel. I,* 143) eam repraesentandam curarent. Nec solum Methymnae, ipsius Arionis patriae, numi ejus imagine signati sunt (*Eckhel. II.* 502); sed in annulis quoque eandem incisam (*Gorlaeus I. Tab.* 27. *n.* 53) veteres in digitis ferebant. Et quamvis in medium proferre nolim illius apud Apia-

num (*inscr. p.* 496) imaginem hac inscriptione insignitam: *Pisce super curvo vectus cantabat Arion*, quippe quod novum opus esse videatur, in antiquo certe musici cujusdam sepulcro (*Gudii inscr. p.* 211. *n.* 3) symbolum idem Arionis reperitur delphino vecti; atque lyra delphino imposita, quam videre licet in lucerna quadam (*ap. Passer. I. n.* 50) non nisi eundem significare potest vatem. Jure igitur a Plutarcho illam Arionis celebritatem apud omnes esse praedicatam, praeter imagines agmen testatur scriptorum (*Herodot.* 1, 24. *Pausan. III.* 25, 5. *et IX.* 30, 2. *Strabo L.* 13. *p. m.* 715. *Hyginus in astronom. L. II. c.* 17. *et myth. fab.* 194. *in Munck. mythogr. I. p.* 273. 388. *Aelian. hist. animal.* 12, 45. *Lucian. dialog. mar. c.* 8. *Op. II. p.* 108. *Antholog. Jacobs. I.* 48. 49. *Brunck. II.* 204. (221). *Oppian ἁλιευτικ. ε. p.* 164. *v.* 448. *Tzetzes chil. I. hist.* 16. *p.* 18. *Kiesslingii. Scholiast. in Aristophan. Βατραχ.* 1352. *Dio Corinth. orat.* 37. *Reiskii II.* 101. *Cicero Tuscul.* 2, 27. *Virgil. ecl.* 8, 56 *et Servius. Martial* 8, 51, 15. *Propert.* 2, 20, 7. *Ovid. fast.* 2, 99. *Sil. Ital.* 11, 451. *Plin.* 9, 9, 8. *p.* 502. *Solin. c.* 7. *p.* 22. *et c.* 12. *p.* 32. *Fronton. op. II. p.* 373. *Gellius* 16, 19. *Appulej. flor.* 3, 17. *Op. II.* 81. *Mart. Cap. l.* 9. *p.* 307. *Euseb. chron. Olymp.* 40. *p.* 123. *Germanici interpr. in Arateis, alii*) quibus denique Plutarchum (*in sept. sap. conviv. p.* 161) addimus ipsum. Atque hanc de Arione historiam epigrammatis auctor (*ap. Brunck. v.* 410) non dubitat ἀτρεκεστάτην ex Oppiani sententia dicere. Quin similia etiam accidisse ferunt Telemacho in pelagum prolapso

(*Plutarch. solert. animal.* 985), Palaemoni (*Pausan.* 2, 1, 7), et Phalanto (*id.* 10, 13, 5) vivis illis quidem; mortuis autem Hesiodo (*Plutarch. sept. sap. conv.* 162), Melicertae (*Pausan.* 2, 1, 3. *Vaillant. num. aer. I.* 163. 170. 184) modo non idem atque Palaemon fuerit; ex Christianis denique sancto Luciano martyri, cujus corpus, referente Baronio (*T.* 3. *ad a.* 326. §. 57. *p.* 461), teste scilicet illo omni exceptione majori, „in mare demersum delphinorum dorso delatum est ad litus.“ Profecto neminem tam pertinaciter incredulum nunc fore arbitramur, quin omnia illa vera esse persvasum habeat. Namque similiter atque Arion

Jonas puppe cadens, ceto sorbente voratus,
In pelago non sensit aquas vitale sepulcrum,
Ne moreretur habens: tutusque in ventre ferino
Depositus, non praeda fuit.

Tres viros illos, qui in vase picti sunt, quum primum con- 399.
siderarem, in mentem venerat, illum qui in medio positus est, intercedere inter pugnantes: sed horum oculos observans mox animadverti eos tam oculis quam armis non nisi illum petere, quem *manus* videmus *tendere supplices*, minime vero inhibentium more. Imago igitur illud temporis momentum repraesentare mihi videtur, quo Arion, verbis ut Ovidii utar

– – *mortem non deprecor, inquit:*
Sed liceat s u m t a *pauca referre* l y r a.

Hanc enim nondum manu tenet; sed navis

— — gubernator destricto constitit ense
Ceteraque armata conscia turba manu.

Qui quidem gubernator et in vase pictus facile agnoscitur: ejus enim viri, qui a tergo conspicitur, ornatius est pallium, ornatior quoque, quam tenet, ensis vagina. Ulyssem et Diomedem profecto miraremur nudos fere et inermes gladii vaginam *manu* tenere; nautas minime, quos seminudos scimus officio fungi esse adsvetos, nec gladio accingi solitos, quem non nisi casu quodam incidente arriperent. Sed nihil me dixisse mihi ipse videor, si verba imagini addita meam non confirmant sententiam. Namque iis solis, maxime extremis *ἐπαδειν* et *ὀχειν* eo adductus sum, ut de Arione cogitarem, qui quidem vates illis non intellectis nunquam mihi in mentem venisset.

400. Literae autem imaginibus subjectae, si obsoletis vulgares substitueris, hac erunt:

ΑΙΣ ΠΕΠΥΓ ΙΔΟΣ ΤΟ ΙΟΝ ΝΥ ΕΠΑΣΑΤ ΟΧΕΕΝ

Ἀις περυγ' ᾄδος, το ἴον νυ ἐπασατ' ὀχειν.

Ac primum plurimis mirum videbitur me vocabulum *Ἴδος* pro *Ἄϊδος* accepisse. Sed de hac scribendi ratione plura mox (§. 401) dicemus. Praestat enim singula recensere verba, quorum primum est ΑΙΣ. Bis nimirum mortem effugisse dicitur Arion: primum a violento nautarum impetu instantem, dilatione nimirum ab eis impetrata; deinde a saevis pelagi fluctibus imminentem, navigii loco alia delphinorum accita vectura. Namque in mare prosiliens

erat *ὡς αὐτικα παντως ἀποθανουμενος* (*sec. Lucian.*), sive *ἀπολλυμενος* (*sec. Bianor. in anthol. Jacobs. II.* 141. (*III.* 154). Effugit sane piscium auxilio geminum periculum, ut est in anthologia

Κλεινομεθ' ἀνθρωποις, ἰχθυσι σωζομεθα.

ΙΔΟΣ. Intelligo *ᾠδος*, ut secundus nominis *ἀϊς* sit casus. De eo autem, quod pro *ᾠδος* scriptum esse *ιδος* affirmaverim vereor ut unquam veniam a philologis impetraturus sim. Illi enim sibi persvadere vix poterunt unquam sic scriptum fuisse. Sed negent licet: saepe quod fuisse negaverant nihilominus in monimentis inveni. Ac si grammaticorum aliquis contendit hoc vel illud non obvium esse, omnino omissum *sibi* est. Insanus enim ille esset, qui *omnia* se legisse perhiberet. Judicare etiam velle de insveta aliqua scribendi ratione post tot saeculorum decursum vanus sane esset conatus. Quas enim dialectos vocant eas non nisi varias fuisse pronuntiationes, indeque variam etiam rationem natam esse scribendi, mihi utique est persvasum. Ipsam autem doctrinam, quam ea de re concinnarunt, antiquissimis monimentis, ita et nostro, multo esse recentiorem, vocales Η et Ω, ad quas ubique docentes provocant, evidenter produnt. Quapropter quod docent, vocalem Α, et literas ΑΙ junctas transiisse in vocalem Ĥ, prorsus alienum est ab antiquissimis monimentis, a quibus haec vocalis omnino exsulat. In eam igitur quum, antequam fuerit, ΑΙ transire non potuerit; quidni in Ι transiisse dicamus? Atque certe transiit in Latinis verbis *Spiro* a *σπαιρω*, *Fascino* a *βασκαινω*, mul- 401.

tisque aliis. Quid? quod Graecum ipsum vocabulum ab aliis *ὡραιος*, ab aliis scribitur *ὥριος*: neque miramur *ἰκονομος* pro *οἰκονομος* (*Wheeler*. 430), *ἰαρ* pro *εἰαρ* (*Hesych. II.* 10), aliaque similiter corrupto modo scribi. Accedit quod illarum, in quibus ejusmodi vasa, quale nostrum est, colliguntur, regionum incolas saepe prima vocali neglecta aliam in ejus locum posuisse, testis est Sophron, poeta Syracusanus, qui monente viro egregio Huschkio (*de C. Annio Cimbro. p.* 59) *Ἡρυκλος* pro *Ἡρακλῆς*, *βιπτάζω* pro *βαπτίζω* scripsit. Sed futuros esse praevideo, qui hac permutatarum literarum excusatione nondum contenti, exempla ex aliis scriptis poscant, quae quidem ex libris adferre eo difficilius est, quo certius insveta talis orthographia in libris jam pridem correcta evanuit (§. 8. 364. 377). Ad monimenta igitur authentica, quae criticorum conversioni non sunt obnoxia, recurramus necesse est. Ac profecto *Lacedaemoniorum* nomine vix aliud magis notum in Graecia, nec dubia ejus scriptio erat. In quo si tertia syllaba AI in I transiisse demonstrari potest; nemo mirabitur illud *Ἰδος*. Respiciant igitur velim obloquentes ad hanc gemmam (*ap. Molinet. tab.* 28. *n.* 1 *et* 2)



in qua aperte scriptum exstat *ΛακεΔΙμονιων.* Nam reliqua in eam animadvertenda jam non curamus. Respiciant in alius monimenti, ejusdem generis, cujus nostrum est (*Ancient unedited monuments of Grecian art by James Millingen Ser. I. Painted Greek vases Lond.* 1822. *Tab.* 12), inscriptionem hanc:



quam, qui monimentum edidit, doctus ille Anglus, *ἱεσαν μοι την σφαιραν* explicat. Optime si quid video. Primo enim charactere, quamvis Montfanconio (*v. infra.* §. 483. *et pal. Gr. p.* 141) adhuc ignoto, literam X denotari supra (§. 193) demonstravimus. Quam ipsam literam pro spiritu aspero adhibitam esse certe non mirabuntur, qui meminerint *βοχητη* etiam pro *βοητη* (§. 380) legi. De *sphaera* denique eo minus dubitare licet quo certius ea in vase picta cernitur. Verum enim vero simplex illa eaque tutissima interpretatio neutiquam placuit philologo cuidam, qui (*v. Kunstblatt* 1825. *n.* 61. *p.* 242) quae sibi non arrident criticorum more evertere conatur, loco vocis *ἱησαν* lecturus *χρησαν,* quod utrum pro *χρησαι,* an pro *χρυσαν* sit positum, ambigit; *σφιραν* autem, quum de ejus significatione per imaginem ipsam dubitare non liceret, *mendo* ejus qui scripserit tribuit, ne suspicatus quidem fieri potuisse ut diversa a nostra scribendi ratione olim ille usus esset.

Scilicet qui philologiam professuri sint hodie ita plerumque instituuntur, ut grammatici potius quam philologi esse videantur. Sit licet: illos enim ipsos linguarum cognitione, quod caput omnium fere disciplinarum est, viros esse spectabiles ambabus damus, summaque laude eos prosequimur; modo ne velint monimenta interpretari, quorum auctores neutiquam eandem, quam ipsi, scholam frequentarint. Peritior omnino Biagius (*mon. Gr. Nan. p.* 200) „nihil“ inquit „prohibet, quominus aliqua vox profecta quandoque sit ex peculiari alicujus provinciae vel urbis dialecto, quae a communibus nobisque perspectis dissideat: quare *fatendum potius, nos in aliqua hujusmodi ignoratione versari,* quam *vocibus ipsis vim* aliquam *inferre.*“ Quam eandem viam ingressus doctus ille Anglus (*p.* 30. *not.* 8) de voce σπιρα sanum profecto judicium hoc fert: „σπιρα is written for σπᾶιρα probably according to some local *dialect* prevalent in that part of *Magna Grecia*; where the is manufactured. Numerous examples of the kind are to befound.“ - - Nonne autem et illius vasis inscriptio, in qua explicanda jam versamur, eadem ex terra prodiit? Nonne certius etiam in *Magnam* illam *Graeciam* (*v. Senec. in consol. ad Helv.*: *c.* 6) cadunt, quae de hominum colluvie in Romam et Athenas immigrata a Cicerone dicta esse supra (§. 354) memoravimus?

402. Sed dixerit forsan aliquis, quodsi in aliis vocibus AI transiisse in I concedendum sit, certe in AIΔΗΣ alpha, quod vocant privativum, abesse non potuisse. Cui quidem respondemus omnino

errare eos, qui vocabulorum etyma a priscis quaesita fuisse putent (§. 382); deinde minime conjecturam, qua ab εἴδω ducunt *Αἴδης*, adeo certam videri, ut nihil habeat dubitationis, siquidem prorsus contraria a Lennepio (*etym. p.* 54) doceri; denique *Αἴδης* hic non legi, sed *Ἀίς*, quod qui ab εἴδω repetere velit mirum in modum vocem detorqueat necesse sit. Sed demus cum alpha privativo compositam esse vocem; nonne in aliis etiam illud α in η transiit? neglecta sane *privativa* litera (*Buttm. lexilog I.* 13) quam et Platon (*in Crat. Bip. II.* 272) in ipsius vocis *Ἅιδης* etymo eruendo neglexit. Quod reliquum est ellipsis vocis δόμον, quam poscunt verba φεύγειν *Ἄϊδος*, linguae gnaros non morabitur.

ΤΟ ΙΟΝ, *hoc unum* verto, ut carmen intelligendum sit, ad quod *solum* canendum moriturus Arion, quasi 403.

Cantator cygnus funeris ipse sui,

veniam a nautis impetraverit. Supplendum enim μέλος est, quod post canendi verba saepe omitti nemo ignorat (*Bos. v. μέλος*).

ΝΥ. Erunt qui non nisi poeticam hanc formam esse, et in 404. soluta oratione admitti non posse contendant. Sed argutiae istae diutius valere nequeunt, quam contrarii caremus exemplis. Ita Pollux (*onom.* 2, 221) et qui eum secuti sunt ἄκοιτιν (uxorem) vocem tantum poeticam esse affirmant: attamen eadem in lapidis titulo (*Cayl. VI. Tab.* 61. *n.* 2), qui minime numeris est adstrictus, reperitur. Et hoc quidem loco illud νυ aliud nihil significare potest, quam νῦν, quamvis numeris etiam soluta inscriptio sit. Mi-

nimè tamen negaverim, potuisse fieri, ut ex versu quodam antiquiori sumta ea esset numeris deinde ab artifice neglectis. - - ΕΠΑΣΑΤο. Haud sine causa verbo ἐπαδειν usus est inscriptionis auctor, siquidem ad Arionis cantum accessit delphinus: et cantu quia *sibi* adcivit vecturam verbi genus est medium (*Matthiae gr.* §. 491), cujus aoristi primi tertiam vides personam. Germanice dixeris: *„Er hat sich das Fuhrwerk herbey gesungen."*

405. ΟΧΕΕΝ. Omnes fere epigrammatum in Arionem auctores vocabulis ejusdem radicis utuntur, vel voce *ὄχημα*, suppresso, ut in nostro, delphini nomine (*ap. Aeliam. et in anthol. I.* 49), vel *ὀχέοντες* (*anthol. I.* 48. *v.* 17), vel *ἔποχον* (*anthol. Brunk.* 2, 32. *v.* 404), atque ab eadem radice est apud Oppianum (*in ἁλιευτικων E. v.* 449. *p.* 164) vox *ὀχησάμενος.* Sed piaculum sit ita literis ludere, ut cum doctis Berolinensibus ex nostro *ὀχεεν,* quod claris et distinctis literis legitur, facere velimus *ὄχημα!* Atque illis omnino latere non poterat infinitus verbi modus *ὀχεεν, ὀχειν,* ejusque apud Graecos usus, tam praeposito articulo, quam omisso eo, nisi temere concepta opinione ducti Doloni currum quaesiissent. Quibus omnibus observatis equidem inscriptionis verba sic vertenda esse censeo: *Bis effugit mortem, qui unum nunc carmen cecinit ut aveheretur.* - - Quodsi erraverim, meus sane excusandus error erit, quum longe me doctiores Berolinenses, et in primis ille Boeckhius, prorsus obscuram inscriptionem esse, fassi fuerint.

406. Genuina pronuntiatione neglecta tot voces etiam exstiterunt,

quas decurtatas, contractas, sive correptas, appellant, Cicero imminutas dicit: quarumque *pars*, ut verbis Quinctiliani (9, 3) utar, *devorari*, *pars destitui* solet, ita ut aliqua sui parte fraudentur. Atque hujus generis nomina propria pariter atque appellativa observare licet. De illis Cicero (*orat.* 45) „quid vero licentius“ observat „quam quod hominum etiam nomina contrahebant?“ — Exemplo haec sint: *Μητρας* (pro *Μητροδωρος*), *Αρτεμας* (*Αρτεμιδωρος*), *Δαμασκληπιαδης* (*Δαμας Ασκληπιαδης. Salmas. epist. ad Menag. p.* 65) *Κλεοφας* (*Κλεοφιλος*), *Κλεοπας* (*Κλεοπατρος. Scaliger. ep.* 328. 331). *Αρποκρας* (*Αρποκρατης*), *Αντιπας* (*Αντιπατρος*), Scolapius (*Aesculapius. Cuper. Harp. p.* 3. 81), Herclanium (*Herculanium*), Prentina (*Prenestina*), Herusalem (*Hierusalem*), Stampol (*Constantinopolis. Scheybii tab. Peutinger. p.* 57), Salonichi (*Θεσσαλονικη*), Scarioth (*Iscarioth. Nov. op. dipl II.* 263), Febrarias (*Februarias. Mus. Pio-Clem. VI.* 260), Febraras, Feraras (*Murat.* 1850, 7. 1968, 7), Kalendustas (*kal. Augustas. Id.* 1931, 6) *Γουστειον* (*Αυγουστειον. Salmas. ad Vopisc. Aurelian.* 35), alia. Sed quo tandem usque illorum nominum plura depravata fuerint supra (§. 392) jam vidimus (*conf. Platon. in Cratylo. Bipont. T.* 3. *p.* 326).

Appellativorum autem vel singulorum vel plurium in unum co- 407.
arctatorum speciminis causa haec sint: *γλυτατη* (pro *γλυκυτατη. Murat.* 1855 *f.*) *ὑπατα* (*ὑπατεια. Donat.* 193, 3). *θυτρι.* (*θυγατρι. Murat.* 1920, 2) *δικοω* (*δικαιοω. Cic. in Verr.* 5, 57), *γνησεκγονω* (*γνησιω εκγονῳ. Chandler marm. Oxon. II.* 73. *n.* 36), *καττάδε* (*καταταδε. Caylus. II.*

183), *μνης χαριν* (*μνημες χαριν. Marini pap. dipl.* 244), *σεριντα* (pro *τεσσαρακοντα. Kircher. prodr. Copt.* 327), *κατλου* (*κατουλου*), *ρηγλον* (*ρηγουλον*) *σκαπλαν* (*σκαπουλαν*), *πεκεδεκον* (*πεντε και δεκατον. Corsin. not. Graec.* 13. 86), *ξατου* (*σε αυτου. Cuper. Harp.* 149), *ταληθειαν* (*την ἀληθειαν. Fabric. bibl. Gr. XIV.* 206); *καθεξης* (*κατο το ἑξης. v. lex.*) *σκολογος* (*θεολογος. Tournef. itin. II.* 225), *λεξογραφος* (*λεξικογραφος. Osanni auctar. lex. XI*), *μερων* (*ἡμερων. Murat.* 1918, 9) *μερα* (*ἡμερα*) *σκουλται* (*ausculta. Meurs. gloss.*) sciades (*ischiades. Fabric. bibl. Gr. XIII.* 416): initiales enim vocales non solum Byzantini abjicere solebant, sed de Graecis etiam hodiernis idem observat Boissonade (*ad Herodian p.* 17); idolatria (*idololatria*), tragicomoedia (*tragicocomoedia. Buonarruoti vasi p.* 140), snalii (*suam alii. Muratori* 1819, 6) benemerti (*benemerenti. Oderici diss.* 345. 349 *f.*), pares (*parentes. Id.* 337), dextraendi (*distrahendi. Mus. Pio-Clem. I.* 78), quixit (*qui vixit. Oderici diss. p.* 42. 259. *Lupus.* 131), huis (*hujus*), vius (*vivus. Orsati marm. erud.* 18), conia (*ciconia*), illexe (*illexisse*), rabo (*arrabo. Huschke de Annio Cimbro p.* 48. 44), dedron (*dederunt. Nov. op. dipl. II.* 544), storia, strix (*historia, histrix. Salm. ad Tertull. de pallio.* 286), cet. Hinc in chartis etiam publicis legimus: presentestis (*praesens testis*), histromentis (*his instrumentis*), noviterdinatae (*noviter ordinatae. Marini pap.* 244). Ita in sacramento quo foedus Ludovicus II, Ludovici Pii filius cum fratre Carolo ictum sancivit (*Bouquet. VII.* 27) legitur „dist di" pro „*de ista die.*" Ac ne quis credat istam pro-

nuntiantium, indeque etiam scribentium, socordiam in hominibus serioris tantum aevi deprehendi; legat ille quae jam pridem (*in palaeogr. crit. I.* 262) contra protuli. Confirmantur haec quoque permultis veteris aevi reliquiis, Scipionum sepulcralibus monimentis, columna rostrata, senatus consulto de bacchanalibus coercendis, Saliorum carminibus, in quibus *pa* pro parte, *po* pro populo, Ennii scriptis, in quibus *gau* (*gaudium*) *cael* (*caelum. Lips. epist. qu.* 1, 19. *p.* 29); et inter Graecas inscriptiones vetustissima illa Sigea, in qua leguntur, quae vocant craseos et apostrophi exempla, *καπισταταν* pro *και επιστατον*, *μεποιεσεν* pro *με εποιεσεν*, ejusdemque generis alia (*add. Strabon. L.* 8. *p.* 419). Ipsius Ciceronis aetate verba „*Cave ne eas*" tantopere pronuntiatione contrahebantur, ut tantum „*cauneas*" audiretur (*de divin.* 2, 40. *Plin.* 15, 19. *extr.*), et *cape si vis* non nisi *capsis* pronuntiabatur (*orat.* 45). Ac multa profecto, quae compendia scribendi esse alii putarunt, nos iis adnumeramus, quae utique perscripta, sed ex imperfecta pronuntiatione breviatam illam formam induerint. Plura etiam de imminutis vocibus lectu ac notatu digna Cicero (*l. c.*) congessit, nec non doctissimus Huschkius (*in comment. de C. Annio Cimbro*) docuit, cui quidem (*p.* 55) conjicienti, in quibusdam illarum vocum forma primigeniam utpote simpliciorem forsan latere - - quamvis neutiquam adversari velim; alia tamen earum, quas protuli, exempla originem aperte produnt, neglectam nimirum pronuntiationem. Id quod confirmare videtur Cicero (*orat.* 47) observans

„et *plenum* verbum *recte* dici, et *imminutum usitate*" (*conf.* §. 509). Quae igitur apud Plautum leguntur *dano, danere, dice, duce, face* antiquiora profecto et rectius dicta videntur, quam *imminuta* illa *do, dare, dic', duc', fac,* quibus nunc utimur.

408. E contraria autem pronuntiandi ratione factum est, ut prolongatas esse voces videamus, licet in quibusdam ad verum etymon respexisse scribentes haud negaverim. Ejusmodi vocabula a vulgari pronuntiatione discrepantia sunt „Liberitas, Vberitas (*Ruhe I.* 19) Quadracensuma, Quadragensuma, Tricensimus, Formonsus, Thensaurus, Miliens, Atlans, Pallans, Singno (22. 23), Diens (*Fabrett.* 360, 12. *Montf. suppl. V. tab.* 34. *f.*) Discipulina (*Ruhe* 33), Geloria, Facoletas, Perime (*Murat.* 1909, 5. *Oderic.* 306), Maanes (*Donat.* 58, 3) Feelix (*Agostin. dial. p.* 60). Atque illa verborum latitudo in iis quoque inscriptionibus observatur, quae antiquioribus sunt adnumerandae. Ita in ea, quam Fabrettus (*p.* 421. *n.* 388) in medium protulit, legeris *faato, naatam, coniunxs, veixsit, conleibertus,* quin etiam *ree* et *ee* pro *re* et *e*. E Graecis praesertim Jones voces prolongabant, scribebantque *αδελφεος, κτενος, ὠεον, ἡμερεων, ἐπιβατεων, ὀρεων* (*Salm. epist. p.* 215).

409. Quoniam autem eorum, quae scripta sunt, obscuritatem maxime ex literarum permutatione oriri (§. 378. 380) dixi, et peritiorum quidem hac in re memoria interdum fallitur, minus autem periti istam confusionem prorsus ignorare videntur; utrisque succurrendum esse duxi. Etsi enim Vossius (*in calce etymologici*)

ad Latinarum literarum permutationem dignoscendam sufficiens nobis subsidium attulisse videtur; parum tamen eo, quem sequitur, ordine consuluit lectorum commodo. Quae enim secundum orthographiae leges scribi debebant literae, has primo loco posuit, deinde eas, quae perperam in veterum scriptis cum illis sunt commutatae. At vero in barbaris inscriptionibus justam literam non videns interpres, a falsa demum, in quam incidit, ad quaerendam illam, cujus in vicem falsa potuerit substitui, progreditur. Inversus igitur ordo magis conveniret. Praeterea quum ejusmodi opera nunquam adeo apte concinnata atque omnibus numeris suis perfecta esse soleant, ut nihil omnino supplendum restet, ad Graecarum autem literarum permutationem cognoscendam Vossii praesidia parva sint: in appendice hujus libri, si qua forte charta superesset, illarum literarum indicem, qui mihi quidem saepe auxilio fuit, in gratiam eorum qui eo indigerent, tradere constitui.

Sed futuros esse praevideo, qui animadvertant, vix statui posse tantam omnium literarum permutationem, quippe qua posita vel admissa ipsius sententiae sensus turbatus vel ambiguus immo prorsus interdum contrarius exstitisset. Quibus equidem facile largior, hoc consequens illi esse: modo ne velint negare usurpatum olim fuisse pravum hunc scribendi modum. Sententiae enim ambiguitatem parum curantes omnino scribebant *hoc* pro *huc* (§. 380) *hac* pro *ac* (*Cayl.* 7. 277) *cibis* pro *civis* (*Murat.* 1894, 4) *parentis* 410.

pro *parentes* (*Id.* 2056) et in Graeca Rosettanae inscriptionis parte παντας pro πεντας. Quin etiam, quod majus est, concedimus, omnino ridiculas ex ista literarum permutatione prodire sententias, quales sunt: „Bibas in Christo“ (*Boldetti* 344) „Bibas in pace dei“ (*Buonarr. Tab. V*), „Bibas in deo“ (*Murat.* 1855, 7. *Morisan. inscr. Regin.* 464. 465. *Boldett.* 417) „Bibas in domino“ (*Murat.* 1945, 5) „Credo quia redemptor bibit“ (*Fleetwood* 520. *Murat.* 1841, 5) „Partem habeam (pro *habeant*) cum Juda traditorem“ (*Murat.* 1858, 5); et de mortuo „qui amaBit me“ (*Boldetti* 390), „exiBit de saeculo“ (*Buonarr. praef. p.* 25. *Murat.* 1891, 5) „conjuges sues (*pro* suae. *Gorii columb. liber. p.* 189), „me bibo (*Donat. suppl. inscr.* 450, 7), „conjugi bene bibenti que vixit“ cet. (*Fabrett.* 546, *IV*).

411. Majori etiam interpretibus impedimento mutatam illam vel inconstantem orthographiam fieri necesse est, si qua alienis a sermone literis scripta reperiantur. Fiere enim non potuit, quin ad idem verbum exprimendum a scribentibus aliis aliae adhiberentur literae, quum peregrinos characteres ob sonorum diversitatem nulla fere lingua facile admittat (§. 169). Atque haec sunt inprimis quae difficiliorem reddunt amuletorum interpretationem. Quodsi in Graecis verbis, quae Graecis etiam literis scripta sunt, a recta scribendi ratione longe diversam saepe fuisse antiquiorem modo vidimus; quanto etiam magis hoc accidisse putemus in ea quae peregrini sermonis verba Graecis literis consignata exhibet. Pro-

fecto hujus generis aenigmatibus solvendis pares non multi erunt. Exemplo haec sint: איש אַרְכִי אֶפְּלְאשִׁין אִי תִיאוּשׁ טוֹן אוּרְנוּ קִי טִין אִי (*Wolf. bibl. Hebr. III. app. p.* 2). Et quis quaeso in iis, quae ab Arabibus (*in Moelleri catal. Goth. I. app. p.* 6. *sequ.*) scripta sunt, nominibus *Bathalmius, Dschalinus, Belinas*, agnoverit *Ptolemaeum, Galenum, Plinium?* Quis in Graecorum *ἐγκλινοι* (*ap. Meurs.*) Anglos? — Quae quum ita sint, et in amuletis praesertim, praeter Graeca, vocabula etiam Latina, Coptica et Semitica illis literis exarata reperiantur; opus esse arbitramur, ut de singularum harum linguarum peregrinis literis scribendarum ratione seorsum agamus.

Scriptores Latina quidem lingua usos immiscuisse tamen verba Graeca (§. 374) Latinis saepe literis scripta eruditorum neminem fugit (*Stephan. ad. Saxon. p.* 38). Quae quam difficilia intellectu sint, et agnovit, et exemplis docuit Reinesius (*de. ling. Pun.* 12, 24. *in Graev. diss. rar. p.* 55). Inprimis addendus iis est hic Hesiodi versus: „Perigrosis ta fulve ulactis menes emorum" (*Fulgent. myth.* 1. *p.* 103. *Munckeri*), qui tantopere linguae Graecae peritissimos exercuit (*Harles. ad Fabric. bibl. Gr. I.* 612). Accedebat scilicet et librariorum Graecae linguae inscitia, qua miro modo verba sunt corrupta; ita ut pro celeberrima illa inscriptione „*Ναυσικρατης Τισαμενου Αθηναιος Κορη και Αθηνᾳ ἀνεθηκεν*" scriberent „Xaxilipcui canece comai coekpturae trata una ciezica" (*Chishull. ant. Asiat. p.* 20). Sed minus etiam corrupta vix intel- 412.

liges nisi toto, quo reperiuntur, loco perlecto. Quod ne temere affirmasse videar ecce Graecum Latinis literis scriptum verbum PHICAERO. Ecquis jam est qui hoc explicet? Sed non magis intelliget Latinum, quod idem denotat, PEITRO. Hoc in chronico Gottwicensi (*I.* 26), illud in Dausquii orthographia (170) legitur. Etenim ex criticorum notis huic figurae ☧ illa sunt adscripta, Graeca quidem *Φι και Ῥω* intelligenda, Latina *Phi et Rho;* quae primae vocabuli φροντις sunt literae. Pro corrupto illo *Peitro* paulo melius in aliis libris (*Areval. ad Isidor. III.* 63. *n.* 23) legitur *Phietro.* In aliis ne ausus quidem librarius est notae illi interpretationem adscribere (*Montf. pal. Gr.* 370). Sed percommode cecidit, quod in amuletis pauca sunt, quae Latinis literis peregrinum sermonem denotent; ut in pseudonumo (§. 298), qui amuleti vicem olim gesserat, illud HELOT, quo ἡλιου significari Solis imago addita docet. Pariter NICAR in gemma quadam (*Winckelm. catal. p.* 183) νικη explicandum esse, Victoriae imago, cui illud adscriptum, prodit. Magis tamen dubia sunt, quae in alia gemma ad imaginem manuum complicatarum adposita leguntur PROTEROS VGIAE. Sponius quidem (*misc.* 298) observat „hanc gemmam amuletum forsan fuisse ad destruendam incantationem, quae manibus pectinatim junctis facta fuerit; et verba illa Graeca esse, Latinisque sonare *primus* vel *primo convalesce.*" Mihi autem neque imaginis neque verborum interpretatio approbanda esse videtur. Imagine enim in aliis monimentis (*Agostin. dial.* 2. *p.* 39. *Biaei num.*

tab. 7. *n.* 23. *t.* 8, *n.* 9. *t.* 33, *n.* 14. *t.* 59, *n.* 12. *t.* 61, *n.* 15) *concordia* significatur eidemque imagini in gemma quadam (*ap. Passer. I. in pag. ante tab. I.*) adscripta sunt *εὐτυχως ὁμονοια.* Quidni igitur Sponii gemmam amicitiae vel amoris pignus fuisse dicamus amicae vel sponsae missum? *Υγεια* certe feminae nomen haud infrequens erat (*Grut.* 700, 2. *Montfauc. suppl. V. p.* 87. *Paciaudi Gr. anagl. interpr.* 24), et *Προτερος* viri fuisse mihi quidem verimile fit ex Latino nomine *Primi* (*Grut.* 873, 15. 1114, 5) et Graeco *Προτεριου* (*Evagrii hist. eccl. II*, 5), aliisque simili ratione factis *Ἑτερου* (§. 23), *Deuterae*, (*Cuper. apoth. Hom.* 272) *Proti, Sexti, Secundi, Quinti*, cet.

Sed juvat integros etiam locos adscribere, ex quibus perversus hic Graeca scribendi modus clarius perspici possit. Ac primum ex libris scriptis exemplum (*Nov. op. dipl. III.* 128) hoc proferam DOXA PATRI KE IO KE AIO PEVMATI KE NIN KE AI KE IS TOS ENISTOS AMIN. Profecto si in gemina quadam haec incisa legerentur, amuletis eam adnumerarent docti illi viri (§. 13. 14) qui quaecunque non intellecta magica esse verba illico contendunt. Benedictini autem Graeca haec esse intellexerunt hoc modo explicanda: „*Δοξα πατρι, και ὑιῳ, και ἁγιῳ πνευματι, και νυν, και ἀει, και ἐις τους ἐνιαυτους, αμην.*" In quibus observes velim illic KE pro *και*, IO pro *ὑιῳ*, AI pro *ἀει* (§. 221) esse scripta. Alii tamen exemplo ab iisdem Benedictinis (*p.* 142) prolato, literas Graecas subjiciamus, quo facilius verba intelligantur: 413.

O QVIRIOS EBASILEVSEN AGALLIASTO E GE EVFRANTE.
O κυριος εβασιλευσεν αγαλλιασϑω η γη ευφρανϑη.
TOSAN NESY POLLAE NEFELE CE GNOFOS CYCLO AVTV
τοσαν νησοι πολλαι. νεφελη και γνοφος κυκλω αυτου.
DICEOSYNE CE CRIMA.
δικαιοσσυνη και κριμα.

414. Ne vero desideretur exemplum ex lapidum titulis in quibus pariter Graeca Latinis literis exarata sint, inserere placet hoc à Fabretto (165 *n.* 100) editum:

D. M.
EVRESIN ENTHADE
GE CATECHI THA
NATOEO LACHVSA
METERA TEN EVTE
CHNON EVDEMONES
PARHODITAE.

Quae vir doctus sic quidem interpretatus erat: „Euresim hic terra continet mortem sortitam matrem fecundam felices viatores (procedatis)," sed Corsinus (*not. Gr.* 54) legens: *Ευρεσιν ἐνϑαδε γε κατεχει ϑαναϑῳ ἔῳ* (sic) *λαχουσα μητερα εὐτεχνον. Εὐδαιμονες παροδιται*, vertere maluit: „Euresim hic terra continet morte illius *adepta* (sivi sortita) *matrem fecundam*. Felices (estote) viatores." Quoniam autem addidit: „Itaque sensus erit, terram in Euresis morte (!) matrem rapuisse, sive tegendam obtinuisse, quae fecun-

da, vel arte insignis (*ευτεχνος*) fuerat;" pulchram, quae inscriptioni inest, sententiam haud perspexisse videtur. Interpungere debebat post *κατεχει*. Etenim a *Θανατῳ ἰῳ*, *morte sua*, orationis conversio oritur, atque haec ipsa verba me quidem eo adducunt, ut illud *λαχουσα* non ad terram sed ad sepultam referre malim quae morte sua sortita sit *μητερα την* (omisit articulum Corsinus) *ευτεχνον* matrem perquam artificiosam, quae omnia pulchre creet (ad Isidem forsan respexerit inscriptionis auctor v. §. 545) omniumque vera sit mater (*terra* nimirum). Qui vero Corsinum interpretem sequi maluerit, videbit quam frigida, immo nihili, sit sententia, „terram obtinuisse matrem artificiosam!"

Hactenus de Graecis verbis quae Latinis mandata sunt literis. 415. Videamus nunc de verbis Latinis, in quibus distinguendum est inter monimenta, quae Graecis literis solis sunt scripta, et ea quae Graecis Latinisque mixtis (§. 423). Sed tanta non nunquam inter literas utriusque populi intercedit similitudo, ut quae sint Graecae, quaeve Romanae vix discerni queat (*Nov. op. dipl. II.* 636); cujus rei illustre exemplum praebent pandectae Florentinae (*Brencmanni hist. p. Fl. p.* 110) aliaque monimenta (§. 196), quae quo paucioribus verbis constant, eo major oriri potest dubitatio, Graecaene literae sint, an Latinae.

Graecis literis solis qui verba Latina scribebant ea quidem, 416. quae literis A B D E F G I K L M N O P R S T X Y Z componenda essent, nullo negotio reddere valebant, quippe quibus Graecae Α Β Δ Ε Φ Γ Ι

ΚΑΜΝΟΩΠΡΣΤΞΥΖ satis responderent. Majorem difficultatem reliquae Latinae injiciunt. Literae C quum anceps pronuntiatio, tum etiam scriptio erat. Plerumque igitur, quia Graeci hac litera, qualis a Romanis mutata erat, carebant, vicem ejus litera K supplebant, ita ut *φηκιτ* (*Murat.* 1828, 3) pro *fecit, κρουκες φικετ* pro *cruces fecit, κεντου* pro *centum* (*Marini pap.* 145. 174) cet. scriberent. Interdum vero pro ea substituebant Σ, id quod in voce *nunsius* factum esse mox (§. 423) videbimus. - - Latinam H vel prorsus omittebant, ut *αγκ* scriberent pro *hanc, ουικ* et *οικ* pro *huic* (*Marini* 145. *f.* 140. 143); vel, ubi nequaquam ea carere poterant, ut in siglis, frequenter usurpatis, h. f. (*hon. femina*) uncialem ejus formam ｈ (*Marini* 145. 174. 186. 188) pro capitali adhibebant, ne cum H Graecorum illa confunderetur. Cangius quidem (*in gloss. Gr. I.* 981) docet literam quoque N a Graecis pro H Latina adhibitam fuisse, ita ut *Νερεδιτας, Εξενερεδιτατιω*, pro *Hereditas, Exheredatio* scripserint: sed vereor ne falsus sit vir alioquin doctissimus. Est enim literae H Latinae forma quaedam literae N simillima (§. 202) ac fieri potuit, ut qui literis Graecis Latinisque mixtis scribendi genere uterentur, Latinam **H**, adhiberent, quam incauti alii pro N postea acceperint. - - Literae Q et V conjunctae quoniam, Quinctiliano (12, 10) teste, „sequente vocali sonum efficiunt, *qualis apud Graecos nullus est;*" pro iis modo *κοι*, modo *κο*, modo *κυ* ponebant, ita ut *κυε* (*Ficor. gemm. p.* 30) vel *κυαε* pro *quae* (*Marini.* 145) *κυι*, vel *κοι*, vel *κοιυ* pro

„qui" (143. 141. 186) *κοι* etiam et *κε* pro „quae" (141. 189) scriberent. Ita nomina quoque propria *Tranquillina* et *Quintus* reddebant, illud *Τρανκυλλινα* (*Zoega num. Aeg. Tab. XVI*), hoc *Κοιντος*, vel *Κωιντος* (*Marm. Taurin. I.* 186); idemque vir, qui in alio lapide *Κυιντος Ιουλιος Μειλητος* dicitur (*Gruter.* 330, 5), in alio (1080, 3) scribitur *Κοιντος Ιουλιος Μιλητος*. - - Quum Latina etiam V destituti essent Graeci; eam vel omnino omittebant, ut scriberent *Νοεμβριος* (*Treschow tentam. p.* 129), vel supplere hanc literam vario modo studebant. Ac primum diphthongo ΟΥ pro ea utebantur, ut *σεου* scriberent pro *seu*, *πρεβουητ* pro *praebuit* (*Marini* 143. 145. *f.*), *Σεουηρος* pro *Severus* (*Zoega num. Aeg.* 269), *ουιρω* pro viro (*Ruhe II.* 49), eodemque modo alia. Interdum solam Υ pro V substituebant veluti in *Σευηρος* (*Capell.* 96. *Zoega* 266. 269. *sequ.*) *Σευηρινα* (*Zoega* 328. *Tab.* 17), *Υαλεριανος* (312), quod idem et *ΟΥαλεριανος* legitur. Quin etiam B pro Latina V usurpabant scribentes *Σεβηρος* (*Cayl. II.* 261. *Gruter.* 1102, 1. et *Σεβηρεινα* (*Gruter.* 111), *Βαλεριος* (*Gruter.* 1102. *Murat. IV.* 1953, 4), *Βολουσιανος* (*Zoega* 298) *Βενκεντιος* (*Corsin.* 55) *Βιτελλιος*, *Βεσπασιανος*, *Νερβας*, *Βηρος*, *Ιοβιανος* (*Suidas*) *Νοβεμβριων* (*Corsini* 50) *Βεσουβιος* et *Βεσβιος*, *Βερονη* (*Diss. isagog. Hercul. I.* 13) *Βικτωρια* (*Murat. IV.* 1957, 10) vel *Βεικτορια* (*Torremuza Cl.* 17. *n.* 59), et appellativa *κιβιτατε*, *ρογαβι* (*Marini* 142. 143) *βότα* (*Laur. Lyd. de mens.* 10. *p.* 160), vel *βωτα* (*Eckhel. II.* 517) alia. Ac per integras inscriptiones constantem hunc literae B usum, ibi etiam ubi voca-

lis esse debebat (§. 420), observare licet. Quid? quod in Graecis ipsis *Εβδοκη* legitur pro *Ευδοκια* (*Gemm. Victorin. p.* 10); *Αβρελιανα* pro *Αυρελιανα* (*Fabrett.* 391). - - Latina J consona quum carerent, pro ea non nunquam Graecam Z, cujus literae dulcior apud Graecos sonus erat (*Quinctil.* 12, 10) substituerunt, ut scriberent *κοζουγε* pro *conjugi*, *Ζουλια* pro *Julia* (§. 222. 417) *Μαζας* pro *Majas* (*Buonarr. p.* 53) ZESVS pro *Jesus* (*id. tab.* 17. *n.* 2) cet. Sed, quod pejus est, ne eas quidem literas, quae Latinis omnino respondent, aequaliter adhibitas esse observari potest; siquidem pro Latina X positas videmus *κσ* (§. 387) quum tamen Ξ in promtu esset; et H scriptam pro duabus IE in nomine *Κουητος* pro Quietus (*Zoega* 313).


417. Clarius etiam rem exempla illustrabunt, quorum quaedam ex lapidum titulis proferamus. Ac primum hoc a Boldetto (*cimiteri p.* 53) vulgatum

ΒΑΛΕ. ΡΙΑ ΒΙΚΤΩΡΙΑ
ΦΗΚΙΦΕΙΛΕΙΕ ΣΟΥΑΙ.
ΒΕΙΤΑΛΕΗΝΗ.

verbis divisis et ubique Latinis literis substitutis lege: Valeria Victoria! feci (*fecit*) feileie (*filiae*) suae Beitaleine (*Vitalinae*). Intellectu sane difficiliores hae duae sunt inscriptiones (*ap. Murat.* 1925, 7), prior ΒΙΝΚΕΝΤΙΩ ΠΟ. ΚΟΖΟΥΓΙ. ΣΙ ΖΟΥΛΙΑΝΗ. Conjicio „*Vincentius posuit conjugi suae Julianae.*“ Altera: ΜΕΣΑ ΚΕΥ ΒΙΞΕΙ ΚΟΥ ΒΥΓΙΖΟΥ ΣΟΥΣΥ ΜΑΤΟΥΡΟΤΙ ϛ

ΑΝΩϹ ΠΟΥ ΜΙΝΟΥϹ XXVII. Verisimiliter: *Mesa quae vixit cum virginio* (l. σουεν) *suo maturate annos plus minus XXVII.* Voce *maturate* hoc loco denotari videtur *ad breve tempus.*

Illustre Graeco-Latinae scriptionis exemplum est lapidis titu- 418.
lus, ad Severam martyrem spectans, qui ansam dedit Lupio doctissimam edendi dissertationem (*Panorm.* 1734 *fol.*) Dignam igitur censui hanc inscriptionem, quae hic insereretur:



Barbara haec verba optime Latinis literis explicavit Lupius (5) nec quidquam desideres nisi literas nonnullas ab eo praetermissas. Ita enim substitutis Latinis literis in locum Graecarum legendum est:

COSOVLE CLVDEIO
Consule Claudio
ED PATERNO NONEIS
et Paterno nonis

NOBENBREIBOVS DEIE BENERES LOVNA XXIV
Novembribus die Veneris Luna 24ta
LEVCES FELEIE SEBERE KARESSEME POSVETE
Leuca filiae Severae carissimae posuit
ED EISPEIREITO SANKTO TOVO
et Spiritui sancto tuo.
. . . . . POV A ANNOVOROM ςL
. . . . annorum 44
ED MESORON XI DEOVRON X
et mensium 11 dierum 10.

Pro nomine *Leuce* Bimardus (*ap. Murat. in inscr. I. p.* 27) qui non magis omnes accurate reddidit literas, substituit *Lucens.* Sed *Λευκας* feminae nomen est, obvium in gemmae cujusdam (*ap. Cayl. II. tab.* 52) inscriptione *Λευκας καλη χαιρε.*

419. Brevior quidem, intellectu autem difficilior haec est inscriptio: ΓΑΖΑΙΒΚΑΛΖΟΝΙΩΝ ΔΩΡΜΙΤΙΝΤΤΑΚΕΦΙΛΙΑ. ΙΑΙ. Quam iteratis curis sic interpretati sunt viri docti (*Boldett.* 406. *Lupius* 188. *Murat.* 1925, 7. *Corsin. not. Gr.* 31. *Lipsienses in act. er. a.* 1751. *p.* 392): Gaza XII Kal. Juniarum. Dormit in pace. Filia . . . ." Sed aptam trium in fine literarum explicationem nemo illorum adhuc protulit. Magis fortasse ineptae videbuntur conjecturae, quas qualescunque sint difficillimo huic loco addam. IA in notis Romanorum significat *Intra*, et I, quod sequitur, *Jacet* (*Coletii not. et siglae Rom. p.* 177). Quare vertendum esse mihi qui-

dem videtur „filia intra jacet," pro notissimo illo Graecorum ἐνθάδε κεῖται (§. 390) positum.

Quo minus autem, qui quod barbare scriptum est non intelligant, omnem protinus spem abjiciant, equidem hujus generis inscriptionum intellectu difficillimam, nihilo tamen secius a Muratorio (*ant. Ital. I. p.* 11) egregie explanatam, hic subjiciam. Perplexa enim et admodum obscura in marmore exarata haec leguntur: 420.

ΤΑΝΤΙ ΚΒΕΜ ΗΚ ΚΕΡΝΙ ΑΙΚΒΟΡΙΣ ΚΙΡΚΒΙΤΒΜ ΤΕΞΙ ΣΒΑΣΑ ΓΡΑΙΚΟΡΒΜ ΝΑΤΑ ΛΑΒΩΡΒΜ ΑΔΑΡΗΚΒΣ ƆΜΠΒΣ ΜΕ ΠΕΡΔΕΡΕ ΚΩΝΑΝΣ ΤΟΤ ΑΔΙΑΚΕΝΤΙΒΜ ΟΠΠΗΔΩΡΒΜ ΜΑΤΡΕΜ ΚΡΕΑΒΙΤ ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.

Certe Petavius, qui contra eruditissimum Julianum imperatorem (*p.* 77) de permutatione literarum B et V disseruerat, huic inscriptioni interpretandae nequaquam par fuisset. Qui vero meliora edoctus Muratorius, substituta ubique litera V pro B, et Q passim pro K commodius e tricis expedire sententiam potuit. Verbum ƆΜΠΒΣ quod unum omnium explicare neglexit Muratorius, equidem lego OMPVS, ut sit forma contracta pro *omnipus*. Quoniam enim B semper pro V usurpaverat scriptor, jam ubi hac ipsa litera B indigebat, consulto pro illa substituisse videtur Π, duriorem hujus sonum haud curans.

Neque a Romanorum numis abfuisse hunc Graecarum literarum usum numariae rei peritorum nemo facile ignorabit. Ita 421.

in aereo Commodi Antonini legitur ΑΥΓ. ΙΜΗ. Μ. ΚΟΜΟΔ. ΑΝΤ. et in ejusdem altera facie: ΦΟΕΛΙΚΙΤ. ΑΥΓ. (*Major de num. Gr. inscr.* 39. 40). In aliis Caesaris et Pii ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΝ (*Ruhe II.* 46). In aliis (§. 188) ΑΥΤ. ΚΑΙSΑΡ ΑΥΓVCΤΟC, et ΚΑΙSΑΡ SΕΜΝΟS ΑΔΡΙΑΝΟS. In aliis ΑΥΓΥCΤΟS, ΕUΡUΠUΑΟC, ΦLΙΡΕΝSΕ, ΣUΡΑ. ΛΕUΚΑΣΠΙΣ (*Spanh. I.* 105. 107).

422. Quoniam autem linguae Latinae sonis Graecae literae non omnino respondent, fieri non potuit, quin ambiguitas inde nata doctos etiam interpretes dubios interdum redderet vel in errorem induceret. Ita Herculanenses videmus academicos (*in diss. isag. in vol. Herc. ad tab. I. f.*) hanc in marmore exaratam inscriptionem


ΔΕΔΟΝΗCΔΕΗΕΘCΑΝΚΤΗΕΟΡΓΗΒΟΤΟΥΜΟΠΤΟVΜΗΚΟVΗΝΟΜΕΝΔΕΟΥCCΚΙΘ

sic legisse: ΔΕΔΟΝΗCΔΕΗΕΘCΑΝΚΤΗΓΕΟΡΓΗΒΟΤΟVΜΟΠΤ-ΟVΛΛΗΚΟVΗΝΟΜΕΝΔΕΟΥCCΚΙΘ, et Latinis literis substitutis deinde ita explicasse: DE DONIS DEI ET SANCTI GEORGII VOTVM OPTVLLI . QVI NOMEN? DEVS SCIT. Sed geminata illa L, quod pace doctorum interpretum dictum sit, in marmore minime comparet, M contra clare perspicitur, quapropter OPTVMI, nequaquam OPTVLLI legere debebant. Praeterea quaestio illa „*Qui* (pro *quod*) *nomen?*" cum responsione „*deus scit!*" in marmore admodum mira, immo inepta, esse videtur. Excusare quidem soloecam dictionem *qui nomen* (*p.* 24) student, sed frustra. Nam ΚΟVΗ, si quid video, resolvendum erat in CVI, non in QVI: nec DEVSSCIT in dua verba diri-

mendum, quippe quod nomen esset proprium, cujusmodi multa exstant, *Δεοσδεδετ* (*Marini. pap.* 353) Deusdedit, *Θεοδοτιος*, Theodorus, Adeodatus, Quodvultdeus (§. 392), *Τιμησιϑεος* (*Cuper. apoth. Hom.* 296). Atque illud prorsus idem valet, quod in sacris literis nomen הוידע. Cui simile etiam in sigillo (*Gorii inscr. Etr. I.* 314) sic insculptum coscitheo, ex nomine *Quodscitdeus*, pronuntiatione sensim corrupto, exstitisse suspicor. In illa igitur inscriptione neque soloecismus inest, nisi qui falsa interpretatione in eam illatus erat (§. 6. 351), neque inaudita in lapidibus quaestio cum responsione, sed plana omnino legitur sententia: „Votum *optimi* cui nomen *Deusscit.*" Verum enim vero quantumvis exercitatus in hoc scribendi genere sit interpres, non omnia tamen intelliget, nisi a casu quopiam aut externis rerum notis interdum feliciter adjutus fuerit. Quis, quaeso, unquam sensum eruet hujus in charta quadam subscriptionis: ΣΤΕΦΑΝΣ ΠΡΕΦΕΝΤΥΟΣ ΥΟΡΒΗ ΡΟΜΕ (*Marini* 335), nisi in chartae exordio legeretur „*Stephanus qui vocor praefectus*" urbi scilicet Romae.

Latina igitur verba Graecis literis scripturi quum hisce solis quosdam Romanorum sonos vix commode exprimi posse animadverterent; ex illo negotio sese explicare non potuerunt, nisi in subsidium vocatis literis quibusdam Latinis, quas Graecis immiscerent (§. 415). Cujus quidem rei quum plura in lapidum titulis exstent exempla imprimis hoc loco inscriptionem, quae propter insvetos etiam literarum ductus notatu digna est, inserendam esse 423.

duxi. Primus eam edidit Aringhius (*I.* 337); repetierunt deinde Mabillonius (*mus. Ital.* 141) Boldettius (233), Ruinartus (*in nova Mabill. de re dipl. edit.* 637), Benedictini (*nov. op. dipl. I.* 705), Martinus (*relig. des Gaul. I.* 39), Fabretti (390), Peignotius (*melang. liter. Par.* 1818) et Fleetwoodius (408) quamvis minus accurate. A Mabillonio mutuatus sum exemplar, quod jam subjungo:



Literae istae Graecae ab immixtis Latinis quo clarius distingui possent; inscriptionem ita repetere praestabit, ut Graecae et eae, quae utrique genti sunt communes, majori charactere, Latinae minori excudantur. Sunt igitur hae:

ΘΗs ΓΩΡΔΗΑΝus ΓΑΛΛΗΗ NuNsΗus Ηu-
ΓuΛΑΤus ΠΡΩ ΦΗΛΕ cuΜ ΦΑΜΗΛΗΑ ΤΩΤΑ
quΗΕscuΝΤ ΗΝ ΠΑΚΕ
ΥΘΦΗΛΑ ΑΝcΗΛΛΑ ΦΕcΗΤ


In quibus litera I omnino desideratur, sed pro ea literam η substitutam videmus eo etiam loco, quo consonae j vice fungitur. Ex minuta scriptura quaedam literarum formae prodierunt, minores praesertim γ et δ. Literae N figura, quae hic conspicitur

μ, ex N, N sensim emanavit, viamque patefecit ad minutam quo nunc utimur (*Montfauc. palaeogr. Gr. p.* 131. *Nov. op. dipl. I. Tab. X. et XI*).

Quod ad interpretationem attinet, meliorem nondum accepi- 424.
mus quam hanc: „Hic (?) Gordianus Galliae nuntius jugulatus pro fide cum familia tota. Quiescunt in pace. Ythphila ancilla fecit.“ – Nomen ancillae non esse Theophilam, quemadmodum non nullis erat visum, Mabillonius dudum animadverterat, veram pro illa lectionem substituens. Quapropter miror, quid in mentem venerit censori cuidam Gottingensi (*Gelehrte Anzeig.* 1819. *I. p.* 431), qui ut Gothicam mulierem in scenam produceret, persvadere nobis voluit legendum esse Ylhphila (pro *Ulfila*) quantumvis refragantibus literis scriptis. Alium errorem, a Fabretto commissum, quo pro „Galliae *nuntius*“ maluit „Galli *eunuchus*,“ obiter tantum attigisse sufficiat. Maxime autem prima inscriptionis vox vexavit eruditos (*Nov. op. dipl. I.* 705), neque ullo adhuc ejus explicandae conamine nobis satis est factum. Distinctas enim videmus literas ΘHS, quas quo modo HIC legere liceat, haud video. Sunt quidem viri docti (*Hyde. rel. Persar. c.* 4. *ab init. p.* 107. *Reland. diss. T. II. D.* 8. *p.* 198. *Massuet. ad Irenaeum p.* 170), qui a Graecis usurpatam esse literam ϑ pro *h* Latina affirment, idoneis tamen argumentis prorsus destituti. Sunt etiam lapidum tituli (*Gruter.* 697, 2. *Reines.* 924. *Fleetwood.* 386) in quibus IC pro Hic legitur, vel qui ab IC incipiunt, omissa litera H; unde dixerit forsan

aliquis litera Θ aut *Θεος* significari, aut *Obiit;* verum lectioni (h)IC omnino obstat finalis litera, quae minime C sed S est, quapropter *ης*, sive IS, minime autem IC legi potest. Neque apta esset sententia „Hic - - jugulatus,“ quoniam vix credere licet, permissum fuisse Christianis, ut martyrii loca ipsa publicis ornarent inscriptionibus. Tres igitur illas literas nisi pro siglis accipere volueris, ut forsan *Θεος Ιεσους Σωτηρ* explicarentur, equidem nihil omnino ad illustrandas eas adferre possum.

425. Sed illa Graecarum Latinarumque literarum confusio impedimento est, quo minus inscriptiones certa semper interpretatione explicare possimus. Ita ubi in marmoribus Pisaurensibus (*n.* 171) haec explicanda erant



Oliverius quidem (*II.* 204) legit: „Auxentio (s. Auchentio) filio dulcissimo e (et?) benemerenti Astianus natione Bindelicus, decurio scutariorum et Eudocia Nice parentes in pace. Vixit ann. L

mens. I.“ Quibus addit „raro exemplo parentes isti filium *quinquagenario* majorem extulerunt!“ At non erat quod miraretur, qui de isto quinquaginta annorum numero deducere poterat viginti. Quum enim videret, Graecis Latinisque literis promiscue usum esse inscriptionis auctorem; L et I pro λ et ι, Graecis numerorum notis accipere, ideoque vertere ei licebat *annos* XXX *menses* X.

Ex libris scriptis etiam Benedictini (*Nov. op. d. Tab.* 37. *II.* 8) 426.
mixtarum literarum exemplum hoc protulerunt: PΛENY CVNT KEΛY ET TEPPA KΛωPYA TVA ωCANNA YNEΞ KEΛSYS BENEDYKTVC QVY UENYT IN NωM ΔÑY, cet. Quae qui attente legerit, animadvertet, non solum plures Romanorum literas Graecis insertas, sed figuras etiam S et C promiscue pro S usurpatas esse; quin etiam characterem P duplici potestate fungi, Latinum esse in primo verbo, Graecum in sequentibus, quod idem in aliis etiam monimentis (§. 188) deprehendere licet, ita ut in inscriptione quadam (*ap. Lup.* 191) MHCOPOYM SEPTE legatur. In voce *gloria* K pro G posita est, et sane haec litera tam Graecis, quam Coptitis (429. 431), interdum K sonabat. Unde fortasse Laurentii Lydi (*de mens. in excerpt.* 23. *p.* 29 *Roeth.*) verbis AKH *το προσελθε σημαινει* lux afferri potest. Namque pro eo, quod docti eorum interpretes de prima voce varie conjecerunt, equidem malim Latinum *Age* intelligere, quo de verbo apud Romanos solemni verisimilius est Lydum scripsisse, quam de omnibus eis, quae illi in medium proferunt contra etiam fidem literarum.

427. Maximam autem hanc et literarum et linguarum confusionem Byzantinorum temporibus exstitisse constat. Ita in numis eorum legimus: ΘEOFILE AYGOYSZE SY bICAS nempe *συ νικας* (*Beger thesaur. II.* 861. *Banduri num. II.* 718. *Cangii hist. Byz.* 111); CONSZAbZINO CE (*και*) ZOH bASILIS ROMEON (*Banduri II.* 753. *Num. cimel. Caes. Tab. X. n.* 10. *Cang.* 115); ROMANO XPISTOFOR CE COHSTAb Cb (*εν*) Xm (*χω*) EVSEb bASIL R (*Cang.* 115. *Band.* 730); et id genus alia. Sed plurima negligentiae scribentium potius tribuenda sunt, quam studio veros vocum sonos exprimendi. Nihil enim proficiebant substituendo in Graecis Latinam C pro K (§. 188. *Murat.* 1910, 3. *Eckhel. VIII.* 240), D pro Δ (*Ruhe. II.* 48) L pro Λ (*Ficor. gemm. p.* 28); vel in Latinis Graecam Δ pro D (*Murat.* 1959, 1) Λ pro L (§. 374. *Boldett.* 424. 425) P pro R (*Ruhe. II.* 41) H pro P (*Id.* 40. 48) X pro Ch (41) et Ω pro O (*Cayl. IV.* 103, 1).

428. Aegyptiacae linguae orthographiam jam descripturus quo me vertam vix habeo, siquidem tot tantaque sunt impedimenta, ut prisci quidem sermonis scribendi leges certae erui nequeant. Si Coptitas circumspicio, quos Aegyptiacae linguae reliquias nobis servasse ferunt (§. 170), magis magisque retineor dubius. Namque inconstans ac promiscuus apud eos literarum, maxime vocalium, usus est, ita ut unum idemque verbum multiplici modo scribentes varient. Sic quod *Ordinare* sonat scriptum legimus TAϢ, THϢ, TΩϢ, ΘAϢ, ΘHϢ, ΘOϢ, ΘΩϢ: quod *Numerare* EH, HH, OH,

ΩΠ: quod *Volvere* ΚΕΛ, ΚΟΛ, ΚΩΛ, ΚΟΥΛΚΟΛ: quod *Habitatio* ΑΟΥΟΤ, ΑΒΟΥ, ΑΟΥΒΟΤ, ΑΒΗΤ, ΑΟΥΗΤ, ΑΟΥΒΗΤ - - et alia permulta similiter variata.

Quae quum ita sint, operae pretium facturus esse videor si 429.
singularum literarum usum hoc loco perlustraverim:

A. Vocibus saepe haec litera ab initio adjungitur otiosa (*Scholtz. gramm.* 77. *Rossi. etym.* 27. 29. 34), eademque cum E commutatur (*Scholtz. gramm. p.* 5), et in tertia dialecto pro O vel Ω interdum substituitur (*Georg. praef. p.* 56. *sequ. Münter. de indole vers. Sahid. p.* 77. *Rossi* 54).

B. Commutantur inter se literae B, ΟΥ, Π, Υ, Φ, Ϥ, et M (*Rossi.* 7. 8. 14. 25. 35. 54. 57. 68. 69. 77. 82. 119. 130. 145. 187. 191. 212. *Georg. pr.* 58 *et p.* 326. 449. *Didym. Taur. rudim.* 115. *Scholtz.* 4).

Γ. Quamvis in Aegypto peregrina haec litera, in quibusdam tamen vocibus comparet (*Crozii lex.* 14) atque interdum etiam loco literae K ponitur (*Scholtz.* 5).

Δ, in tertia dialecto non nunquam pro T adhibetur (*Georg. p.* 327. *et praef. p.* 60).

E. Pro hac interdum A substituitur (*Scholtz.* 5. *Georg.* 453). Sahidicae dialecto peculiaris est hujus literae usus pro I (*Scholtz.* 184. *Georg. pr.* 26. *Croz. lex.* 185). Litera E verbis quoque in fine adjungitur (*Scholtz.* 77).

H et Ω alternare affirmat Fabricius (*in cod. pseudepigr. V. T. II. p.* 116).

Θ cum T et cum Ϣ permutatur (*Rossi* 35. 64); pariter cum TCϨ, quia Θ fere sonat atque TSH (*Didymus p.* 47).

I vocibus saepe in fine superflua additur (*Scholtz.* 77. *Rossi* 173), ejusque in locum diphthongus EI adhibetur (*Thesaur. epist. Croz. I.* 175) quemadmodum E in dialecto Sahidica (*v. E*).

K saepe pro X usurpatur (*Croz.* 186. *Scholtz.* 6. *Georg.* 456 *f.*) ac passim pro Γ ponitur (*Scholtz.* 6), atque etiam cum Σ vel Ϭ commutatur (*Rossi* 89. 194 324), interdum cum Ϫ (102), saepius cum Ϭ (*id. in app. p.* 1. *nota*).

Λ. In hanc literam tertia quidem dialectus mutat literam P (*Münter. p.* 77. *Georg. pr.* 58. *Rossi.* 54. *Scholtz.* 7) rarissime vulgaris (*Didym.* 56. *f.*).

M cum B commutatur (*v. B.*) vocibus quoque non nunquam inseritur (*Rossi.* 182).

N, sicut M, vocibus inseri observatur (*Rossi.* 191).

Ξ et KΣ promiscue usurpantur (*Scholtz.* 6).

O. Hac sola litera Thebani verbum OI, quod *Esse* sonat, exprimunt (*Croz.* 189). Commutatur praeterea cum Ω (*Georg. p.* 327. 395. 453) et in tertia dialecto cum A (*Rossi.* 54).

Π cum Φ (*Scholtz.* 7) et B (*v. B.*) permutatur (*Didym.* 57).

P. Hanc literam tertia dialectus mutat in Λ (*Rossi.* 54. *Münter.* 77. *Georgi pr. p.* 58. 60). Idem non nunquam in Sahidica observatur (*Georg.* 367. 377. 382); rarissime in Memphitica (*Didym.* 56 *f.*) quae contra saepius P pro Λ ponit (*Scholtz.* 7.)

Σ vocibus non nunquam otiosa additur tum ab initio (*Rossi.* 184. 210) tum in fine earum (66. 227): nec non cum K commutatur (*v. K*). Sahidica dialectus pro ea passim Ϣ habet (*Didym.* 57 *f.*).
Τ cum Θ permutatur (*v. Θ*) et vicem sustinet Graecae Δ (*Scholtz.* 7). Additur non nunquam verbis in fine (*Rossi.* 55. 95. 116).
Υ in tertia dialecto interdum pro ΟΥ usurpatur (*Georg. praef.* 66).
Φ permutatur cum B (*v. B*) et Ϥ (*Georg. pr.* 46. *Didym.* 57) Sahidica dialectus pro Φ utitur simplici Π (*Scholtz.* 7. *Didym.* 57. *Croz. lex.* 189).
Χ commutatur cum literis K (*v. K*), Ϭ (*Scholtz.* 8), Ϩ, Ϫ et Ϣ (*Rossi.* 40. 51. 55. 118. 155. 215. 244. *Georgi. pr.* 155. *Croz.* 10).
Ω. Sahidica dialectus pro hac litera saepe utitur geminata ΟΟ (*Croz.* 193. *Scholtz.* 7).
Ϣ commutatur cum literis Χ (*Georg. praef.* 155. *Rossi.* 51. 118. 215. *Scholtz.* 7. *Jablonski opusc. I.* 400) Ϫ (*Rossi.* 155), Ϭ (*Rossi.* 51. 55. 255) et Θ (*Rossi.* 64).
Ϥ cum B permutatur (*v. B*) et cum Φ (*Georg.* 46. *Didym.* 57). In fine verborum saepe abundat (*Rossi.* 125).
Ϭ commutatur cum Χ (*Scholtz.* 8) et cum Ϣ (*v. Ϣ*). Sahidica dialectus loco ejus ponit Ϩ (*Didym.* 57. *Scholtz.* 8).
Ϩ aliquando in Σ mutatur (*Rossi.* 192) et affinis est literae Ϭ, siquidem quae Latina est praepositio ᴀᴅ modo ϨA redditur (*Croz.* 151), modo Ϭ (*Scholtz.* 70). In peregrinis vocibus supervacanea saepe praemittitur, ut in ϨAMEN, ϨEIPHNE, ϨIKH pro εἰκῃ.

Ϫ interdum in locum literae Γ substituitur (*Scholtz.* 8). Commutatur praeterea cum Ϣ (*Rossi.* 51. 118. 153. 327 *Georg. pr.* 156. *Scholtz.* 8) cum Ϭ (*Rossi.* 112. 158. 327. *Thesaur. epist. Croz. I.* 175. *Didymus* 57) et cum K (*Rossi.* 102).

Ϭ cum Ϣ permutari modo diximus, et plura utique sunt verba in quibus modo haec, modo illa litera adhibeatur significatione neutiquam mutata (*conf. Lexic. et Scholtz. p.* 8). Praeterea cum Ϫ commutatur (*Rossi.* 112. 158. *Didym.* 57. *Scholtz.* 8). Sed magis mirari subit Kappa aliquando hac litera exprimi (*Rossi.* 324) eamque Graecis verbis, quae a K incipiunt, praeponi (*id.*).

Ϯ plerumque syllabam TI (*Croz.* 179), interdum etiam ΔI denotat (*Scholtz.* 8).

430. Quodsi Coptitae patrium sermonem ipsum adeo incerti et inconstantes literis mandarunt, quanto magis Graecos, qui verba ex peregrino illo sermone desumta Graecis literis solis scriberent, ea corrupisse (*Schow. charta pap. p.* 88. *sequ.*) credibile est! Obscuritatem auget antiqua scribendi omissis spiritibus consvetudo, qua factum est, ut adspiratae aliorum populorum voces integrae neutiquam exprimerent. Quemadmodum enim in Hebraeis non nunquam literam Chet (§. 439. 441) ita in Copticis literam Ϩ Graeci omiserunt, unde fieri non potuit quin aliqua certe pars verborum interiret. Cujus rei ignari qui in ipsis vocalibus quasdam consonantes literas interdum latere haud perspexerint, inscriptionis sensum eruere nequidquam laborabunt.

Utique in Aegypto mixta quaedam eoque corruptior verborum 431.
tam Graecorum, quam Aegyptiacorum scribendorum ratio invaluit, quam quidem ex pronuntiationis varietate quoque exortam esse nullus dubito. Id quod magis erit perspicuum, quum verba aliquot Graeca, vel a Coptitis ipsis, vel a Graecis in Aegypto commorantibus scripta, literarum ordinem secuti, perlustraverimus.

A. Secundum Alexandrinam dialectum inter vocales hanc literam primas partes obtinuisse viri docti jam observarunt, ita ut vicem gereret vocalium E, H, O et Ω, atque AI etiam scriberetur pro E. Nec tamen minus litera E vice versa adhibita est, pro A et AI. Legimus igitur ΕΜΑΡΤΙΑΣ (*pro ἁμαρτιας*); ΡΑΜΑΣΣΗ (*pro ῥαμεσση*); ΚΕ (*pro και*); ΕΩΝ (*pro αἰων*); ΙΕΣΣΕ (*pro Ιεσσαι. Scholtz. p.* 5) ΔΙΚΕΟΣΥΝΗ (*δικαιοσυνη. Didym.* 40. *Georg. pr.* 67); ΡΗΧΑΒ (*Ραχαβ. Scholtz.* 6). ΛΑΜΠΤΗΡ (*λαμπταρ. Georg. pr.* 119). ΕΤΙΝ (*αιτειν. Did.* 67).

B. ΑϤΡΑϨΑΜ (*Αβρααμ*); ϤΡΟΥΧΟΣ (*βρουχος*); ΔΑΥΙΔ (*Δαβιδ. Scholtz.* 4 *et* 6).

Γ. ΝΓΡΗΤΗ (*Κρητας*); ϮΓΑΜΠΗ (*καμπη*); ΦΑΡΜΑΓΟΣ (*φαρμακος*); ΜΑΡΧΑΡΙΤΗΣ (*Μαργαριτης*); ΧΑΙ (*γαι. Scholtz.* 5. 6. 8); ΧΕΣΕΜ (*Γεσεμ. Croz. lex.* 165); ΑΚΡΟΣΘΙΣ (*ἀγροστις. Rossi.* 212).

Δ. ϮΑΒΟΛΟΣ (*διαβολος*); ΧΑΡΚΕΤΟΝ (*Χαλκεδων. Scholtz.* 8 *et* 5); ΑΡΧΙΜΑΝΤΡΙΤΟΥ (*αρχιμανδριτα. Georg.* 377 *et praef.* 119); ΤΑΝΙΕΛ (*Δανιελ*); ΚΛΑΤΟΣ (*κλαδοις. Scholtz.* 7).

E. ΔΥΝΑ (*δεινα. Scholtz.* 7); ΧΡΙΑ (*χρεια. Didym.* 67); ΛΑΤΡΙΑΣ (*λατρειας. Georg.* 399); ΔΙΗΣΙΝ (*δεησιν. Georg.* 394); ΨΑΛΙΝ (*ψαλλειν. Scholtz.* 8), ΙΜΗϯ (*ει μητι*); ϨΙΡΗΝΗ (*ειρηνη. Didym.* 52) et perfrequenter infiniti modi terminatio IN pro *ειν. Did.* 67).

Z. ΒΟΕΣ (*βοοζ*); ΣΕΡΟΥΧ (*ζαρουχ. Scholtz.* 7); ΒΗΣΑΝΤΙΩΝ (*Βυζαντιων. Georg.* 399); ΣΟΣΕΙΣ (*σοζεις. Georg.* 372).

H. ΝΙΦΗ (*νηφειν. Georg. pr. p.* 67); ΚΥΡΥΞ (*κηρυξ. Scholtz.* 7); ΣΚΥΝΗ (*σκηνη*); ΣΤΥΛΗ (*στηλη. Didym.* 40); ΚΑΤΟΙΧΟΥΜΕΝΟΥ (*κατηχουμενου. Georg.* 375. 412); ΘΕΟΦΙΛΕΣΤΑΤΩΣ (*ιατης. Georg.* 377). ΠΛΥΜΕΛΙΜΑΤΟΝ (*πλημμελημαιων. Georg.* 397).

I. ΑΛΗΘΥΝΟΝ (*αληθινον. Scholtz.* 7); ΘΛΥΨΙΣ (*θλιψις*); ΚΥΒΩΤΟΣ (*κιβωτος. Didym.* 40); ΘΗΒΙ (*θιβη. Did.* 68); ΤΕΛΙΣΘΕΝΤΟΣ (*τελεσθεντος. Georg.* 394).

K. ϭΙΣ (*κις*); ΕΓϭΑΚΕΙ (*ἐκκακει*); ΛΟϭΙΜΑΖΕΙΝ (*δοκιμαζειν. Scholtz.* 8); ΛΟΓΙΓΟΝ (*λογικων. Georg. pr. p.* 119).

Ξ. ΣΗϤΙ (*ξιφος. Didym.* 68).

O. ΒΟΕΣ (*βοοζ. Scholtz.* 5); ΕΝΕΚΟΥΝΤΩΝ (*ενοικουντων. Georg.* 375); ΣΑΒΕ (*σοφος. Didym.* 68.) ΠΕΙΜΕΝ (*ποιμην. Georg. pr. p.* 119); ΠΡΩΤΩΝ (*πρωτον. Georg.* 399); ΛΟΓΩΝ (*λογον. Georg.* 381).

Π. ΦΕΝΤΕ (*πεντε*); ΕΦΘΑΙ (*ἑπτα. Kirch. prodr.* 326).

Σ. ΧΩΧΕΜ (*Γωσεν. Scholtz.* 8).

Y. ΕΠΠΕΡ (*ὑπερ. Georg. pr. p.* 119); ΗΠΕΡ (*ὑπερ. Georg.* 372); ΒΗΣΑΝΤΙΩΝ (ΒΥΖ. *Georg.* 399); ΜΑΡΤΗΡΙΟΝ (*μαρτυρ. Didym.* 40); ΕΝΤΗΜΑ (*ἐνδυμα. Id.* 49). ΔΙΟ (*δυο. Kirch. prodr.* 326).

X. ΑΡϢΙΜΑΝΘΡΙΤΗΣ (*ἀρχιμανδρίτης. Scholtz.* 7), et ΑΡϢΙΜΑΝΑΡΙΤΗΣ (*Georg. pr.* 155); ΜΕΛϪΙΣΕΔΕΚ (ΜΕΛΧ- *Scholtz.* 8).
Ω. ΑΜΑΡΤΙΟΝ (*ἁμαρτιων. Georg.* 397. 412); ΟΚΘΕ (*ὀκτω. Kircher. prodr.* 326).

Atque haec speciminis tantum loco in medium sint prolata; siquidem ipsa scribendi ratio tum ex iis, quae supra (§. 361 *sequ.*) tradidi, tum ex interpretandis infra amuletis ipsis clarius perspicietur. Semiticas autem literas cum Copticis comparandas quod attinet; isto quidem labore suscipiendo lubens nunc supersedeo, quandoquidem in amuletis Semitica quidem verba, sed literis Graecis solis, notata sunt. Si quis autem nihilominus illam comparationem instituere cupiat, indicem adeat vocum utrique linguae communium, quem supra (§. 370) inserui; attente enim illo perlustrato voti facile compos fieri poterit. 432.

Morem verba alienis a sermone literis scribendi maximam inprimis ad Semitica intelligenda difficultatem afferre quilibet videbit, qui ad interpretanda illa operam contulerit. Quoniam enim in iis etiam, quae haud alienis a sermone literis scripta sunt, orthographiae leges pariter atque in aliis linguis inconstantes et incertae deprehenduntur; longe majorem incertitudinem ab illo scribendi genere oriri necesse est. Ab ipsis certe Hebraeis, suis quidem literis verba patrii sermonis notantibus, omnes fere literas permutatas esse videmus. Quo fieri non potuit, quin in lexicis dispersa non nunquam reperiantur verba, quae profecto unam eandemque 433.

radicem ab initio agnoverunt. Scilicet ne unam quidem literam Hebraeorum alphabetum habet, quam cum alia scribentes non confuderint, id quod, qui sequitur, permutatarum literarum index confirmabit:

א.

א et ה, *in vocibus* איך et היך — אמון et המון — ארר et הדר — כאת et כהה — לה et לא — שגה et שגא — רכה et רכא — עצה et ענא — להה et לאה
און et הון — נאק et נהק — ארמון et הרמון.

א et ו. לא et לו — ראם et רום — לאט et לוט — בלאים et בלויים.

א et ח. אור et חור.

א et י. ראם et רים — אשם et ישם — אסף et יסף — אחד et יחד — אמר et ימר.

א et ע. אם et עם — אגם et עגם — גמא et גמע — פתאם et פתע — אל et על —
אוד et עוד — ארך et ערך — גאל et געל — תאב et תעב.

ב.

ב et ו. גב et גו — פרבר et פרור.

ב et מ. מכבר et מכמר — דיבון et דימון — בריא et מריא — זבן et זמן — נשב et נשם.

ב et פ. גב et גף — בור et פור.

ג.

ג et י. גאה et יאה.

ג et כ. סגר et סכר — רגל et רכל — מזג et מסך — זגג et זכך — סוג et שוך —
גבר et כבר.

ג et ק. גבע et קובע — נהג et נהק.

ד.

ד et ז. דעך et זעך — גרע et גזע.

ד et ת. דור et תור.

ה.

ה et ו. להט et לוט — נהר et נור — מהל et מול.

ה et ח. אהה et אח — סהר et סחר.

ה et י. הלך et ילך — הנה et ינה.
ח et ע. זרח et זרע — *conf.* א.

ו.

ו et פ. גו et גף. *v. etiam* ב et ה.

ז.

ז et ט. זהר et טהר — זבח et טבח.
ז et ס. אזר et אסר — עלז et עלס — זור et סור — מזג et מסך.
ז et צ. זיז et ציץ — זעק et צעק — זרב et צרב — עלז et עלץ — בזע et בצע — זוק et צוק — זהב et צהב — זהר et צהר — זער et צער. *v. et* ד.

ח.

ח et י. קשח et קשי.
ח et כ. חבל et כבל — חשל et כשל — מחה et מכה — חתת et כתת — חבור et כבר.
ח et ע. חמר et עמר.
ח et ק. אנח et אנק, *v. etiam* א et ה.

ט.

ט et צ. עטא et עצה — נטר et נצר — טהר et צהר — טבע et צבע.
ט et ת. רטט et רתת — טעה et תעה — טור et תור — חטף et חתף — עטר et כתר. *v. et* ז.

י.

י et כ. ישר et כשר.
י et נ. יצב et נצב — יאה et נאה — יקש et נקש — יצג et נצג. *v. etiam* א, ג, ה, ח.

כ.

כ et ע. כתר et עטר — כפיר et עפר.
כ et ק. כהה et קהה — כנה et קנה — כובע et קובע — רכך et רקק — סכך et סקק — רכך et רקק. *v.* ג, ח, י.

ל.

ל et נ. לחץ et נחץ — לשכה et נשכה.
ל et ר. מזרות et מזלות — ארו et אלו — אלמנות et ארמנות — צהל et צהר — הצהיל et הצהיר.

.מ

מ et .נ. מוט et נוט — שטם et שטן — מוד et נד.

מ et .פ. מלט et פלט — נשף et נשם. v. et .ב.

.נ

נ et .מ. v. .מ.

נ et .ס. כמן et כמס.

נ et .ר. עכן et עכר — בנה et ברא — בן et בר. v. et י , ל.

.ס

ס et .צ. נתס et נתין — עלס et גלץ — רפס et רפין — ספן et צפן.

ס et .שׂ. נהס et נתש — סחיש et שחיס — סכך et שכך — סריון et שריון — כעס et ספן — שדר et סרר — שטם et סתם — שפע et ספה — שיך et סוג — כעשׂ — כעשׂ et כעס — רפשׂ et רפס — שרך et כרך — שלל et סלל — שׂפן et שׂובך et סבך — משוכה et מסוכה.

ס et .ת. כלל et הלל — נסך et נתך. v. etiam ז.

.ע

ע et .צ. רעע et רצין — רעה et רצה — עק et צוק. v. א , ה , ח.

.פ

פ vide .ב. ו et .מ.

.צ

צ et .שׂ. פוץ et פושׂ — צחק et שחק — רצף et רשף — רצין et רשׂשׂ — נתין et נתש.
v. et ז , ט , ס , ע.

.ק

ק vide ג , ח et .כ.

.ר

ר vide ל et נ,

.ש

ש et .ת. חרשׁ et חרת — ברושׁ et ברות — שלל et תלל — פשר et פתר. adde ס. צ.

.ת

ת vide ד , ט , ס et ש.

Atque ista incertae orthographiae documenta nullo negotio, si opus esset, augeri possent. Quid? quod unum idemque verbum sexies mutatum videmus, ita ut scriptum fuerit זרב, צרב, שרב, סרף, שרף, quin etiam צרף. Haud quidem me latet, esse grammaticos, qui neutiquam corruptae vel incertae orthographiae illa tribui velint, immo excusare omnia studeant. Sed videant ne opus et oleum perdant! Num forte Hebraeae linguae praeter omnes alias contigerit esse tam felici, ut literis eam mandantes nullum unquam contra orthographiam peccatum commiserint? Profecto si repetere vellent viri illi docti quae de aliis linguis, de Latina, Graeca, Coptica, hoc ipso capite disserui; viderent, semper pravam et mutatam pronuntiationem causam praebuisse perverso et inconstanti illi scribendi modo, neque ab Hebraeis magis quam ab aliis servatas semper esse genuinae orthographiae leges.

Quae adeo neglectae orthographiae vestigia quum in codice a 434.
doctis Judaeis toties emendato adhuc tam evidenter appareant, multo magis credibile est scribendi rationem variasse ab initio, antequam varia illa scripta in unum corpus redacta essent. Sed iidem grammatici, qui in Phoenicum, Syro-Palmyrenorum et aliorum ejusdem generis populorum scriptis, ut omnia sint ad amussim accurata postulant, iisdemque literis composita, quibus in lexicis verba legunt (§. 4), iidem, inquam, excusare Hebraeorum scripta audentque studentque provocantes semper ad literarum unius ejusdemque organi, vel labiorum, vel dentium, similitudi-

nem. At vero non istis Judaeis solis, sed Phoenicibus etiam, Palmyrenis, aliis, sua erant labia et dentes, quibus verba vario et perverso etiam modo proferebant. Quare utinam sibi persvaderent tandem viri docti hac in re omnia a diversa pronuntiatione proficisci! Quodsi hoc tenuisset De Guignes, qui multa egregia in commentatione de linguis Orientis (*mem. de l'acad. des inscr.* 36. *p.* 113) tradiderat, non tam absurde (*p.* 142) literarum צ et ע in Semiticis dialectis permutationem ex forma utriusque literae simili, quae non nisi recentiori tempore, olim minime reperiebatur, explicare conatus esset. Duplicem enim literae ע pronuntiationem fuisse, atque illam interdum fere ut γ sonasse (§. 439) nemo est qui ignoret. Quam quidem G quum in aliis etiam linguis sonum induerit propius ad literam Z accedentem, quemadmodum in pluribus recentioris Italicae linguae vocabulis audimus, et ex permutata litera Γ cum Z in vocibus φρύζω, ὀλίζον, ζεύω (*Voss. in app. etym.*) compertum habemus; et ipsa adeo I in Z abierit (§. 416): quidni a variata pronuntiatione potius variam illam orthographiam repetamus? Profecto igitur veriorem Gesenius (*in lex. l.* ע) viam ingressus est.

435. Verba Semitica Graecis literis scribendi ratio ut clarius appareat ex re esse arbitror quaedam hujus generis exempla proferre, quibus insuper, quo facilius comparatio institui queat, Hebraeas addemus literas, sive ipsa Hebraea verba sint, sive Aramaea. Ac primum ex novo, ut vocant, testamento haec: ΑΚΕΛΔΑΜΑ (חקלדמא

Act. 1, 19). ΕΛΩΙ (אלהי), ΛΑΜΜΑ (למה), ΣΑΒΑΧΘΑΝΙ (שבקתני *Marc.* 15, 34). ΕΜΜΑΝΟΥΗΛ (עמנואל *Matth.* 1, 23). ΕΦΦΑΘΑ (אתפתה *Marc.* 7, 34). ΚΗΦΑΣ (כאפא *Joh.* 1, 43), ΚΟΡΒΑΝ (קרבן *Marc.* 7, 11), ΜΑΡΑΝ (מרן), ΑΘΑ (אתא 1. *Corr.* 16, 22), ΡΑΚΑ (רקע *Matth.* 5, 22), ΟΣΑΝΝΑ (הושע־נא *Matth.* 21, 9), et quae per totum codicem obvia sunt nomina: ΙΗΣΟΥΣ (ישוע), ΜΕΣΣΙΑΣ (משיח), ΣΑΤΑΝΑΣ (שטן).

Quamvis amuletis tempore longe antecedant codicum Hebraeorum versiones a Graecis factae, nihilo tamen minus ex earum lectione me multum profecisse confiteor. Quum enim plura iis contineantur verba et nomina Hebraea Graecis literis scripta, ex his cognosci potest pronuntiatio ante Masoretharum innovationem usitata. Neque enim nunc quaerimus utra pronuntiandi ratio recta, sed quaenam illis temporibus fuerit recepta. Neque Alexandrinis solis erat diversus a Masorethico scribendi modus, sed Samaritanis quoque, quippe quorum orthographia mire interdum cum illa Graecorum conspirat. Exemplis igitur jam allatis haec addimus ex hexaplis: 436.

(*Gen.* 14, 18) ΟΥΜΕΛΧΙΣΕΔΕΚ ΜΕΛΕΧ ΣΑΛΗΜ ΩΣΙ ΛΕΕΜ
לחם הוציא שלם מלך ומלכיצדק
ΟΥΙΑΙΝ ΟΥΟΥ ΧΟΕΝ ΛΕΕΛ ΕΛΙΟΥΝ. ΟΥΙΒΑΡΧΕΟΥ
ויברכהו עליון לאל כהן והוא ויין
ΟΥΙΩΜΕΡ ΒΑΡΟΥΧ ΑΒΡΑΜ ΛΕΕΛ ΕΛΙΟΥΝ ΚΟΝΕ ΣΑΜΑΙΜ
שמים קנה עליון לאל אברם ברוך ויאמר
ΟΥΑΑΡΕΣ: ΟΥΒΑΡΟΥΧ ΕΛ ΕΛΙΟΥΝ ΕΣΕΡ ΜΑΓΓΕΝ
מגן אשר עליון אל וברוך ז(ה)ארץ

ΣΑΡΑΧ ΒΙΑΔΑΧ ΟΥΑΙΘΕΝ ΛΟ ΜΑΑΣΕΡ ΜΕΧΟΛ.
מכל מעשר לו ויתן בידך צריך
(*Genes.* 28, 19) ΟΥΑΛΑΜ ΛΟΥΖ ΣΕΜ ΛΕΙΡ. (*Lib. Reg. IV.* 1. 2)
העיר שם לח ואולם
ΒΑΒΑΛ ΖΕΒΟΥΒ ΕΛΩΗ ΕΚΡΩΝ. Quibus adjungimus ab Epi-
עקרון אלהי זבוב . בבעל
phanio (*haeres.* 65. *p.* 610 *ex Psalmo* cx *v.* 3) tradita haec verba:
ΜΗΡΕΜ ΜΕΣΣΑΑΡ ΛΑΚ ΤΑΛ ΙΕΛΕΔΕΧΕΘ. In extremo
ילדתך טל לך משחר מרחם
hoc verbo Graecae literae Θ et X transpositae esse videntur. Alia, quae idem Epiphanius (*T. I. p.* 42. 43. *T. II. p.* 156. 163) tradit, magis etiam sunt corrupta.

437. Sed sufficiant quae a nobis sunt prolata, ut satis persvasum habeamus, verba Hebraea ab eo, qui Graecis literis ista mandaret, prorsus diversa pronuntiata fuisse ratione ab ea, quae postea a Masorethis introducta a nobis adhuc servatur. Multum igitur abest, ut in amuletis reprehendamus rationem Hebraea nomina scribendi diversam ab ea qualis nunc docetur, quamque a Masorethis nobis obtrusam esse (*Michaelis orient. bibl. VI.* 174), jam pridem mihi persvasi (*Bilder und Schr. II.* 128. 129). Quapropter quum in amuletis pro Sebaoth semper legatur Sabaoth, veram et receptam hanc hujus nominis ante Masorethas fuisse pronuntiationem a veteribus interpretibus compertum habemus. Porro quum Jao pro Jehova scribatur antiquam hancce hujus nominis scriptionem fuisse (§. 262. 463) constat; nec veram ejus pronuntia-

tionem esse illam, quam Judaei nobis tradiderunt, ex punctis apparet a voce Adonai petitis. Neque erat, quod scrupulum viris doctis injiceret scriptum apud Clementem Alexandrinum (*str. V. p.* 562) nomen *Ιαου*. Hujus enim diversae scriptionis causa haec fuisse videtur: quum in illo loco de sancto *quatuor* literarum nomine sermo esset, et Clemens, יהוה Graecis literis scripturus, videret nomen *Ιαω* non nisi tribus literis esse compositum; extremam Ω mutavit in ΟΥ, ut Graecis etiam literis scriptum nomen similiter quatuor constaret elementis. Haec enim subjungit: „*και μην και καθ' Ἑλληνας θεος το ὀνομα* ΤΕΤΡΑΔΑ *περιεχει γραμματων*:“ omnia nempe dei nomina ad quatuor literarum numerum reducere pucrili opera studebat. Perperam enim Orellius, qui summa cum laude fragmenta Sanchoniathonis edidit, (*p.* 4. *n.* 4) literas illius nominis ex Clemente exscripsit.

Minime autem constantem observamus orthographiam in verbis Semiticis, quae Graecis sunt literis scripta, quandoquidem pronuntiatio varians scribentibus dux fuerit. Vocales plerumque expressas, nonnunquam omissas, saepius quoque variatas esse videmus. אתם Aquila, Symmachus et Theodotio scribunt *Ηθαν*; septuaginta autem interpretes *Οθομ*. Nomen נחשתן hi pronuntiant *Νεεσθαν*, Aquila scribit *Νααυσθαμ*, Symmachus *Νεεσθαμ*, Theodotio *Νεεσθεν*, quod idem alii est *Νοοσθαμ*. Nec in consonantibus scribendis constantes sibi fuere scriptores, adeo ut verbum פסחא ab uno eodemque Josepho scriptum deprehendamus modo *πασχα* 438.

(*Op. I. p.* 111. 177. 850. *II.* 399), modo *πασκα* (*II.* 684), quod idem Syro etiam est פצחא ! - -

439. In instituenda jam literarum Hebraearum cum Graecis comparatione, a veteribus interpretibus in illarum locum substitutis, non eis locis solum, quos supra exempli causa protuli, usus sum; sed omnibus fere quotquot reperire mihi contigerat. Minus autem caute Gesenius (*Gesch. d. Hebr. Spr.* 199 *a*) Genesin ab initio, quasi ab Origene scriptam, in partes vocat, non perpendens a Montfauconio, quod ille ipse (*p.* 14) fatetur, hanc scriptionem esse fictam. Quoniam autem Graeci non semper eandem ex suis elegerunt literam ut Hebraeam aliquam repraesentarent, sed maxime in literis א, ה, ו, י reddendis variarunt; priori equidem loco e Graecis eam ponendam esse duxi, quae usu frequentior esset. Sunt vero Hebraeae literae Graecis ita expressae:

א — *α. ω. ε. η. ο.*

ב — *β.* Rarius per *φ*, ut in nominibus *Αχσαφ* pro אכשב (*Jos.* 12, 19) *Ιασηφ* pro ישב (17, 7), quod tamen LXX efferunt *Ιασσιβ.* Interdum literae *β* etiam *μ* praefigunt, ut in nomine *Σαμβρων* pro שמרון (*Jos.* 12, 19), quod Graeco ori soli tribuendum esse literae פ ratio infra docebit. Ex illis denique literis *μβ*, minus diligenter pronuntiatis, interdum prorsus excidit *β* ut sola *μ* pro ב remaneret.

ג — Semper fere *γ*, rarissime *κ*, ut in *Ναφεκ* pro נפג (2. *Reg.* 5, 15).

ד — *δ.* Rarius *θ*, ut in *βηθ* pro באר (*Jos.* 15, 27), *βωθ* pro בוד (1. *Reg.* 4, 21).

ה — α. ε. ο. ω. In verborum fine maxime per literam α exprimitur, persaepe etiam prorsus negligitur. Quodsi articulum denotat, α sonat (§. 441).

ו — ου. ο. ω. αυ. Interdum β, ut in nomine *Δαβιδ* pro דוד. Conjunctio semper ου scribitur (§. 441).

ז — ζ. Raro σδ in nomine *Εσδρι* pro עזרי (*Jud.* 8, 32) ubi tamen alii habent *Εζρι*.

ח — η, α, αα, αε, εε, ω. χ. Consona plerumque neglecta, vocalis ponitur. Interdum tamen χ sonat, ut in *Ραχηλ* pro רחל, *ωχειμ* pro אחים (*Jes.* 13, 21), *χαμ* pro חם; attamen non omnes hanc literae χ usum approbarunt: ubi enim quidam *Οχοσιας* pro אחזיה scribunt, Aquila *Αaζια* habet (4. *Reg.* 1, 2), ubi alii *χαβωρ* pro חבור, alii *Αβωρ* praeferunt. Origenes quidem pro חיה semper *αια*, pro אחד *ααδ*, cet. scribit. Semel γ reperi in *γομορ* pro חמר (*Levit.* 27, 16) et κ in *φασεκ* pro פסח.

ט — τ plerumque, raro ϑ, ut in *αβανηϑ* pro אבנט.

י — ι. η. ε. ει. αι. αει. Quorum sonorum multi ex peculiari Graecis ratione literam I pronuntiandi fluxerunt.

כ — χ, unde ipsum literae nomen Graece scribitur *χαφ*. (*Treschow descr. cod. tab.* 3), et *Χαναav* pro כנען. Non desunt tamen, in quibus haec litera κ sonet, ut in *κανων* pro כין, *κανυρα* pro כנור (*Gesen. lex. maj.* 424. *add. Montf. in hex. p.* 50. 663. 670. 672. 687. 693). Quid? quod duriorem ambabus conjunctis sonum reddiderunt in *ακχω* pro עכו (*Jud.* 1, 31), *σοκχωϑ* pro סכות (8, 16).

ל — *λ*. Ubi enim *ρ* legitur, ut in *μαζουρωϑ* pro מזלות, hoc ad perfrequentem utriusque literae permutationem (§. 379) pertinet.

ם — *μ*. Sed ex prava pronuntiatione irrepserunt etiam *β*, ut in *Νεβρωδ* pro נמרד, et *μβ* vel *μπ*, ut in *Σαμβρων* pro שמרון (*Jos.* 12, 19) et *Σαμψων* pro שמשון. In vocabulorum fine literas *μ* et *ν* non semper accurate distinguunt. Quodsi *ν* *τῳ* *μ* praeferunt, causa in eo latet, quod Graecus sermo *μ* in fine vocum respuit: difficilius ratio intelligitur cur in extremo maxime nominum propriorum ן cum *μ* commutant.

נ — *ν*, de cujus cum *μ* confusione modo diximus.

ס — *σ*, neque ulla nota mihi exceptio est.

ע — *ε*. *αα*. *α*. *αι*. *ο*. *γ*. Vocalium usus frequentissimus est: sed *γ* quoque reperitur in *γαζα* pro עזה, *Γομοῤῥα* pro עמרה, *φεγωρ* pro פער, ita ut pro עין scriptum etiam videamus *γην*, quod Montfauconius (*in hex. I.* 218. r. 16) incaute *terram* vertit non videns, scriptorem non nisi Hebraeis literis Graecas voluisse substituere. Hieronymus interdum Latina litera G, quin etiam CH, ut ע exprimeret, est usus.

פ — *φ*, raro *π*, ut in *πασχα* pro פסח, *Περσαι* pro פרס. Hieronymus quidem (*v. Gesen. lex. maj. p.* 903) sono *π* Hebraeos carere contendit; sed in carminibus secundum literarum ordinem compositis quum post finitum alphabetum פ repetatur, vero non dissimile est, duplicem literae fuisse sonum (*Ewald krit. gramm. p.* 27): qua de re pluribus olim (*Bild. u. Schr. II.* 321) disputavi. Con-

junctis interdum *πφ* literis Graeci utebantur, ut in *σεπφωρ* pro צפור (*Jud.* 11, 25). Facilioris autem pronuntiationis causa non nunquam *μ* praefigebant, ut *μεμφιβοσϑε* scriberent pro מפיבשת (2. *Reg.* 19, 24), quo etiam pertinere videntur, quae in literis ב et פ observavi.

צ — Semper fere *σ*, ita ut literae nomen etiam *Σαδη* scriberetur (*Treschow l. c.*) Semel *ζ* usurpatum esse observatur in *μασσαβαζανης* pro משבצות.

ק — *κ*, interdum *χ*. Ita *Μελχισεδεχ* pro מלכיצדק, *σωρεχ* pro שורק (*Jud.* 16, 4) et *σαβαχϑανι* quod evangelistae pro Syriaco שבקתני habent. Quin *ιαβακχης* etiam Graecissantes pro יבוק scripserunt.

ר — *ρ* et *ρρ* (*Gesen. Gesch.* 192. *n.* 2).

ש — *σ* et *σσ*, quin etiam *χς*, veluti in literarum nominibus *Χσιν*, *Ρηχς*, pro שין, ריש (*Gesen. lex.* 1823. *p.* 715).

ת — *ϑ*, nunquam fere *τ*, nisi in *σαββατον* pro שבתון. Illud denique *Φωραϑ* pro פרת (*Gen.* 2, 14) mendum esse videtur.

Junctim positas denique sic verterunt: אח *α*, או *ω* et *αυ*, אי *ει* et *υ*, הו *ω*, עו *αυ* et *ω*, עי *ει*.

Sed quo facilius legi possint Hebraea vel Chaldaica Graecis scripta literis multum referre duxi, si inverso jam ordine Graecas primo loco ponerem, atque his demum singulis subjicerem Hebraeas, quae illis vario hoc modo denotari solent: 440.

A. א. ה. ח. ע. אה. יה. AA. ח. ע. AE. ה. ח. AEI. י. AI. י. ע.
AY. ו. או. B. ב. פ. BP. ר. Γ. ג. ע. ח. Δ. ד. ת? E. ע. ה. י. ח. א.

EE. ח. EI. י. אי. ע. Z. ז. צ. H. י. א. ה. ח. Θ. ת. ד. ט. I. י. K. ק. כ. ג. ח. KX. ק. כ. Λ. ל. M. מ. ב. MΦ. מ. MΨ. מש. N. נ. O. ו. ה. א. ח. ע. OY. ו. הו. י. Π. פ. ΠΦ. פ. P. ר. PP. ר. Σ. ש. ס. צ. ΣΔ. ז. ΣΣ. ש. T. ט. ת. Y. אי. Φ. פ. ב. X. כ. ח. ק. XΣ. ש. Ψ. ש. Ω. א. ה. ו. ח. או. ע. הו.

Litera Ξ in antiquis mihi quidem non obvia fuit. In recentiori autem amuleto, quod infra in examen vocabimus, eam pro ש positam esse conjicio. Y pro אי tantum in *χωλυμα* pro כלאים positum (*Montf. hex. p.* 687) reperitur.

441. Caveamus praeterea ne ea, quam instituimus, literarum comparatione inducamur, ad tribuenda Hebraeae linguae pronuntiationi, quae ex imperfecta Graecarum literarum conditione et minus commodo earum in linguis Semiticis usu sequuntur. Quae ut clarius pateant exemplis illustremus. Hebraeorum ו ubique conjunctis Graecis literis OY repraesentari quum videamus, minime ex hac scribendi ratione cum doctissimo Gesenio (*Gesch. d. Hebr. Spr.* 199. *n.* ζ) colligere nobis licet, illam literam ו non nisi per vocalem U a Graecis pronuntiatam esse. Hi enim, si qua alia peregrina etiam suis literis scribebant, eadem necessitate coacti conjunctis illis literis non solum vocalis, sed consonantis quoque loco utebantur. Unde Severum scribebant *Σεουερουμ*, verbum *servare* *σερουαρε*. Syriaca etiam nomina in bilinguibus Palmyrenorum inscriptionibus scripta legimus *Ουαβαλλαθον*, *Ουορωδην*, cet. Quid? quod ex Juliani imperatoris scriptis (*orat.* 2. *Op. p.* 71. 72) constat,

ipsius temporibus Romanam literam V nomine OY appellatam esse. Poterat igitur Gesenius quod exempli causa profert *ουι-κρα* haud dubie pronuntiare *wikra*. Nec mirum ab Hieronymo scribi *vajomer*. Inter Latinas enim literas V non desiderabatur, qua consona Graeci carebant (§. 262. 416). Ita etiam, quia Hebraeae literae *Chet* exactum sonum Graecis literis reddere non poterant, plerumque illam omittebant (§. 439), et sola vocali litera contenti *ολδ* scribebant pro חלד, *οσεχ* pro חשך, *θααθ* pro תחת, *ακελ* pro חקל, et in ipso משיחא nomine *Μεσσιου* consonam illam non exprimebant (§. 435). Neque a Palmyrenis אחותי scribentibus pro אחותי (*Bilder u. Schriften II.* 228) literarum ח et ה sonus magnopere discretus fuisse videtur. Ita aliae in scribendis verbis Hebraeis varietates a pronuntiatione vocum in ipso Graecorum sermone profectae sunt. Si literam י exempli causa per literas *ει* expressam legimus, hoc non semper attinet ad Hebraeam illius literae pronuntiationem, sed Graecorum potius inconstanti orthographiae (§. 395) tribuendum est, id quod probe etiam observavit Gesenius (*l. c.* 192. *n. ε*). Sed in eo virum doctum fefellit memoria, quod (*gramm. Hebr. maj. p.* 16) a LXX interpretibus spiritus additos vocalibus fuisse contendit, scriptumque ab eis cum spiritu aspero fuisse *Ἱερουσαλημ*, *Ἱεριχω*, *Ἱερεμιας*." Quis enim, quaeso, in codicibus, illis quidem temporibus exaratis, aspirationis signa vocalibus jam adscripta esse, unquam sibi persvadere poterit?

442. Graeca vicissim verba quo pacto Semiticis literis veteres reddiderint, haec ex Palmyrenis inscriptionibus exempla docebunt:

ΚΡΑΤΙΣΤΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΑ. ΑΣΤΡΑΤΗΓΑ. ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟΣ.
רמס בולא אסטרגא אפטרפא קרטסטוס

ΣΥΝΛΑΗΤΙΚΑ. ΗΓΕΜΟΝΑ. ΙΠΠΙΚΟΣ.
הפקוס. הינמונא סנקלטיקא

Recentiores quidem Judaei quemadmodum Graeca Hebraeis literis scripserint, hoc loco exponere nihil attinet, exemplum tamen supra (§. 411) inserendum curavi.

443. Latinis etiam literis quo modo Hebraea verba expressa fuerint, in primis docet Hieronymus, qui inter alia haec, quibus Hebraeas literas subjicimus, profert:

(*Gen.* 3, 8) LARVE AIOM. (4, 15) VAIOMER LO ADONAI
יהוה לו ויאמה היום. לרוח

LOCHEN CHOL OREG CAIN SOBATHAIM IOCCAMO.
יקם. שבעתים קין הרג כל לכן

(30, 8) NEPHTHVLE ELOIM NEPHTHALETHI.
נפתלתי אלהים נפתולי

(*Deut.* 21, 23) CHI CALALATH ELOIM THALVI.
תלוי אלהים קללת כי

(*Ps.* 5, 9) OSER LAPHANAI DARCHACH.
דרכך לפני הושר

(*Ps.* 44, 1) LAMANASSE AL SOSANNIM LABNE CORE
קרה לבני ששנים על למנצה

MESCHIL SIR IDIDOTH.
ידי(ר)ות שיר משכיל

In evangeliorum libro scripto notissima (*Marc.* 5, 41) verba Latinis quoque literis sic reddita: TABEA ACVLI HA CVMHI olim (*Bild. u. Schr. I.* 174) explicare conatus sum: atque ex hoc ipso exemplo patebit quam sit difficile definire, cuinam dialecto tribuenda sint verba, quae usurpare solebant veteres in sermone, quo utebantur, vulgari (§. 111). Haud igitur sine causa pro singulis dialectorum nominibus generali in hoc libro usus sum *Semiticae* linguae (*Bild. u. Schr. II.* 108). Vicissim Latina verba Palmyreni suis literis hoc modo scripserunt: דקנרא (ducenarius) קלניא (colonia) לגיונא (legionis) ספטמיס (Septimius) אורליס (Aurelius) cet. Ex Judaeorum autem scriptis praesertim huc facit Mischna, qui liber etiamsi antiquus (tertii forsan seculi) multa tamen verba continet Latina, ut קלנדא, Kalendae, סטרנורא Saturnalia, alia.

CAPVT VII.

De iis, quae amuletis continentur.

Perlectis jam iis, quae hactenus disserui, erunt sane, qui de felici conatuum meorum successu dubitantes ita me adversa acclamatione incusent: „*Heus tu, omnia qui vaga et incerta esse tua ipse disquisitione modo docuisti, profecto non magis certas illorum monimentorum nobis dabis interpretationes. Fundamento* 444.

enim parum firmo et adeo vacillante, quaecunque superstructa fuerint aeque vacillent necesse est." - - Atque haec dubia jure esse mota minime diffiteri neque dissimulare licet, argumenta ipsa tam gravia videri, ut alium quemlibet ab isto labore deterrere valeant, nisi eum qui praefractus et obfirmatus ad illud studium incubuerit. Quamvis enim haud negaverim difficilius propter tot et tanta impedimenta interpretis negotium esse, quin etiam inane interdum et irritum fieri; non omnia tamen opacis tenebris ita involuta sunt, ut illico de dissipandis eis desperemus necesse sit. Immo vero accedunt saepe externa quaedam momenta, quibus vera inscriptionum lectio vel justa explicatio defendi ac stabiliri potest. Quae quidem a similitudine praesertim repeti posse quum viderem; equidem antequam rem adgrederer in superstitionum illud immensum, ut ita dicam, pelagum descendi, in corruptum omnem loquendi usum et aeque vitiosum modum scribendi, quantum fieri poterat, me insinuavi; neque horum monimentorum uno vel altero tantum contemplando unquam contentus, quotquot inspicere licuit attentius examinavi, similia inter se contuli, imagines non minori ac literas cura perlustravi, diligentius mecum perpendens num aliis aliarum ope aliquid lucis affundi possit. Atque hoc praesertim modo me eo tandem pervenisse opinor, ut plura, quae antea prorsus erant obscura illustrare potuerim; et quod maximum verae interpretationis indicium est, ut eadem verba, diversis quamquam linguis prolata, in diversis amuletis non num-

quam repererim. Quae num vere de me sint praedicata, nec ne, pro parte jam cognitum habebunt, qui quae hactenus praemisi attente perlegerint.

Nihilo tamen minus sollicitus aliquando ac dubius animus fuit 445. de felici operis laborumque successu. Etenim si quid erat, quod in interpretandis amuletorum inscriptionibus, praeter insitam eis obscuritatem, moram mihi afferre potuerit, hoc profecto neutiquam negligentiae meae vel incuriae tribuendum est; sed mediocri potius linguarum veterum cognitioni. Quare sint licet ex interpretationibus a me traditis plures, quae sagaciorum auxilio emendari ex parte queant; sint etiam, quas me doctiores omnino impugnare valeant, id quod in re tantis tenebris involuta non mirabuntur qui jam intellexerint unius ingenio minime omnia obscura et recondita detegi posse: erunt tamen interpretationum etiam exempla a rei peritis omnino approbanda. Admoneant hi, emendent, corrigant reliquas; eo libentius horum monitis utramque praebebo aurem, quo certius tum patebit, verum esse, quod ab initio praedicaveram, justa opera data ac vera via ingressa a nobis posse obscurissimis etiam verbis interdum lucem afferri. At vero procul a censendis meis laboribus absint qui quum verae indolis ac rationis illarum inscriptionum sint ignari, earum interpretationes falsas esse nihilominus temere clamant; vel qui quae suis viribus nunquam comprehendissent, sicubi aliorum opera ut ea perspexissent contigerit, tum impense laborant summaque cura

anquirunt, quo tandem modo aucupentur, qualecunque sit quod reprehendere possint.

446. Propositum quidem mihi primum erat incerta quaeque prorsus omittere; et bene forsan mecum actum fuisset, si propositum servassem, siquidem nunc metuendum mihi est, ne ab iis, qui neutiquam mecum sentiant, quaedam a ceteris mala fide avulsa, quod nunquam non fieri solet, in medium proferantur, ut iis omnia, quae in hoc libro proposuerim, esse dubia vel falsa demonstrasse videantur. Sed perpendens meras etiam conjecturas, quamvis dilui possint, sagacioribus tamen ansam interdum praebituras esse veriora substituendi, consilium postea mutavi, et interpretationes quasdam inserui, quae mihimet ipsi non omnino satis faciunt. Quarum deinceps et reliquarum ratio quo melius perspiciatur in hoc capite primum explanabo, quibus generalioribus praesidiis instructi esse debeant, qui ad istius generis monimenta interpretanda accedere, vel alios, qui ea jam interpretati sint, ut censeant sibi sumere velint. Deinde in conspectu ponam ea, quae plerumque amuletis contineri soleant (§. 449). Ac postremum in capite, quod sequitur, quam ipse ingressus sim viam ad eruendum obscurarum inscriptionum sensum monstrabo.

447. Quoniam autem in omnibus, quae suscipiamus, negotiis, quo facilius labor procedat praeviae quaedam notiones tenendae sunt; tum nec pauca nec levia esse patebit, quibus instructum esse oporteat eum, qui in amuletorum aliarumque plurium gemma-

ruin aenigmatibus explicandis studium et operam collocare velit. Primum itaque, ut ab eo quod facilius est cognitu incipiam, literarum formas cognitas habeat, haud quidem vulgares aut pulchre scriptas, quas nemo ignorat, sed obsoletas, perquam negligenter exaratas, deformes, et omni modo corruptas. Deinde rationem teneat scribendi, ab orthographiae genuinae legibus quam saepissime recedentem, maxime eam quae Graecis literis verba exhibet peregrina. Tum praeter Graecam et Latinam linguas Semiticam quoque calleat, et Copticam. Nec tamen quid sibi velint verba et sententiae ipsae unquam intelliget, nisi accesserit veteris, praesertim Neo-Platonicae philosophiae symbolorumque, quae ex ea emanarunt, cognitio. Non magis ignorare ei licet astrologicae artis principia, nec poetarum veterum fictiones, neque ipsam demum historiam, sive memoriam, ut cum Tullio loquar, temporum. Legenda ei etiam sunt patrum ecclesiae scripta, quae, quamvis Hemsterhusius *plaustris illorum plenis* unum Polybii librum deperditum redimere vellet (*Ruhnkenii elog. p.* 29), idcirco tamen lectu digna sunt, quod veterum fragmenta in iis reperiuntur, quae scilicet refutanda illi sibi sumserant: quo nomine Origenes, Eusebius et Epiphanius notandi, eruditione autem Clemens reliquis praestare videtur. Nosse praeterea juvabit, quin etiam necesse est, antiquos diversorum populorum ritus. Quae, licet omnia raro in uno viro conjuncta reperiantur, vix tamen sufficient nisi accesserit quoddam ingenii acumen et apta quaedam animi ad imaginan-

das varias inscriptionum causas vis atque indoles. Quibus adjungatur denique necesse est permultorum ejusdem generis monimentorum cognitio diuturnaque ea tractandi consvetudo.

448. Haud igitur mirum, plurimorum amuletorum sensum adhuc nobis esse incognitum. Et si quid ego in eruendo eo interdum praestiti, profecto non ideo successit labor, quod majore quam alii illarum rerum cognitione instructus essem, quarum me rudem ante susceptum laborem adhuc fuisse haud dissimulo; sed alia omnino ac diversa causa haec est: inter eos, quos supra (§. 15) laudavi viri erant omni doctrinarum genere imbuti et immensa eruditione praediti, qui nihilominus contenderent *neminem illa monimenta unquam intellecturum et inane omne ea explicandi studium esse.* Atque hos deinde ut antecedentium gregem omnes secuti scriptores sunt, qui, cum minorum gentium diis conferendi, satis habebant via tam commoda difficillimum illud negotium declinari posse. Primarii contra viri illi quo doctiores, eo minus ad explicanda indocta et barbara illa apti erant. Trahit nempe sui quemque studii voluptas et praeconceptas parit opiniones, quas equidem semper male odi et arcui, de omnibus fere dubitans et veriora num substitui possint anquirens. Quumque longe aliter quam excellentium illorum virorum comparata mea fuerint studia; in interpretandis quae scripta essent barbare barbarus ipse facile aptissimus videbar.

449. Ad ea nunc quae contenta amuletis esse solent accessuri, quum

ad omne in eis artificium perspiciendum nihil magis conducat, quam eorum per partes descriptio, huic quidem negotio paulisper incumbamus; idque melius vix suscipi poterit, quam insertis hac de re Synesii et Nicephori verbis. Ille enim, postquam de mutua quadam necessitudine partium hujus universi (*in insomn. p.* 134) disseruerat, ita pergit: „Ac fortasse magorum incantationes nihil aliud sunt: nam a se invicem attrahuntur non minus, quam significantur; isque demum sapiens est, qui partium inter se mundi cognationem intelligit. Quippe alterum alterius beneficio ad se pertrahit, praesentia tanquam pignora quaedam habens eorum, quae maximo intervallo dissita sunt. Cujusmodi sunt *voces, materiae,* et *figurae.*" Atque in scholiis ad hunc locum dissertis verbis Nicephorus (*p.* 360) „quin etiam" inquit, „quod magis mirum est, daemones ex aëre et terra alliciuntur certis *lapidibus* aut herbis, aut quibusdam *vocibus,* aut istiusmodi *figuris,* quas etiam *characteres* vocant."

Quae igitur in amuletis reperiuntur vel imaginibus constant 450.
et signis, vel inscriptionibus (§. 451). De signis superius (§. 276. *sequ.*) jam diximus; atque imagines quum admodum variae sint, aptior quidem et commodior de iis dicendi locus erit, ubi singulae oculis lectorum subjicientur: hoc tamen teneri velim, ex Aegyptiacis, quas gemmis saepe incisas videmus, nequaquam colligi posse, natale earum solum Aegyptum omnino fuisse, multo etiam minus verba adscripta semper Aegyptiaca esse. Probe enim Bec-

kius (*de interpr. vet. script. p.* 31) observat „in Aegypto Ptolemaeorum aetate Graecas literas pariter atque artes ita se insinuasse, ut pleraque opera *ex Aegyptiorum Graecorumque manu conflata* apparerent: atque eo deinde tempore, quo Isidis cultus Romae et aliis in partibus orbis Romani introductus fuerit, homines imitari coepisse *etiam extra Aegyptum* antiquam Aegyptiorum manum." - - Quo praeterea pacto imaginum contemplatio in interpretandis etiam verbis inscriptis utilis esse possit, infra (§. 533) exemplis demonstrabimus.

451. Inscriptiones ipsae et verbis constant (§. 496) et nominibus propriis. Atque haec sunt vel eorum ipsorum, qui amuleta posséderunt, vel tutelaris alicujus numinis (§. 452 *sequ.*) vel hominis alicujus fama olim celebrati (§. 493 *sequ.*). Quod enim docent (*Ersch u. Gruber encycl. v. Amulet. p.* 431) „nomen possessoris semper abesse ab amuletis in oriente confectis" cave ne de omnibus, quae recensebimus, affirmes. Errat quoque Montfauconius (*II. p.* 372), ubi inscripta nomina eorum, qui amuleta possederint, nunquam virorum, sed tantum mulierum esse contendit; cui opinioni exempla omnino repugnant nostra (§. 332 *et infra*).

452. Tutelarium nomina ex amuletis ipsis quidem cognoscere licet: ne vero postea amuletorum interpretatio rerumque interrumpatur ordo, generaliora quaedam, praesertim de nominibus, quae frequentissime in istis monimentis comparent, hoc loco delibemus. Ac primum omnium notissimum et maxime patribus ecclesiae odio-

sum est illud ABRAXAS, quod portentosum Hieronymus (*ad Amos c.* 2) nuncupat. Quid autem significet illud nomen, nisi quod numerum 365 comprehendat, patres ipsi haud asseculi sunt. Neque ulla adhuc nostratium explanatio satisfecit. Ea sane quam Bellermannus (*I.* 49) protulit hujus nominis ab Aegyptiaca lingua petita versio: „*Sit benedictum verbum,*" substitutis Copticis AϤPEK CAXI laborat vitiosa verbi PEK interpretatione, quod quidem *inclinare*, nunquam vero, quod sciam, *benedicere* sonat: et licet *inclinare se* significare etiam possit *venerari;* minime tamen quod est inclinatum ipsum veneramur. AϤPEK enim (tertia praeteriti) sonat *Inclinavit*, neque ullo alio sensu accipi potest.

Aliam viam ingressus Jablonskius (*opusc. IV.* 80. *Misc. Lips. VII.* 63) totus in eo erat, ut secundum Basnagii aliorumque (*Memoir. de l'acad. IX. p.* 45) sententiam demonstraret, nomine illo nihil prorsus denotari praeter numerum 365, et hoc ipso annum mysticum. Duas igitur rationes affert, quarum prior: „Scribi non solum *Abraxas* sed etiam *Abrasax*, quo pateat aliam in hoc nomine quam numeri significationem inesse non posse;" posterior haec est: „In gemma quadam (*ap. Chiffl.* 69) reperiri literas TΞE, eundem numerum significantes." - - Sed utrumque viri egregii argumentum infirmum est, quin etiam levissimum. Minime enim ex illius nominis scriptione certi quidquam colligi potest, siquidem in amuletis non solum *Abrasax* et *Abraxas* legitur; verum etiam multis aliis modis idem nomen est exaratum. Legitur enim AB. 453.

PAZA (§. 457) ABPACAΣ (*Rasp.* 236. 434) BPACAΞ (*Capell.* 97), quin etiam Latinis literis scriptum ABRESSES (*Montf.* 2. *tab.* 155), ex quibus omnibus numerus ille nullo pacto elici poterit. Jure igitur Baronium (*ad a.* 120) reprehendimus, qui unius tantum gemmae auctoritate (plures enim nondum viderat) suffultus veram illius nominis scriptionem, variantem quidem apud patres ecclesiae, definire sit ausus. Nihil enim interest utrum scribatur *Abraxas* an *Abrasax*, siquidem facilis adeoque trita et perquam vulgaris ista literarum Σ et Ξ permutatio fuit.

454. Aeque falsum alterum est Jablonskii argumentum. In illa enim gemma minime leguntur literae TΞE, quod Wendelini erat somnium, a quo tum Jablonskius, tum Beausobrius (*II.* 56) incaute istud acceperunt: sed in omnibus illius gemmae exemplaribus (*Gorlaei* 416. *Montfauc. II. Tab.* 164) comparent hac potius ZΞE, quibus varii praeterea additi sunt characteres. In alio tamen amuleto (*Passer. tab.* 192), quod Jablonskium fugerat, inscriptio, ceteroquin obscura, utique literis TΞE terminatur, quibus sane pariter ac nominis Abraxas elementis numerum dierum in unoquoque anno redeuntium contineri nunquam equidem negaverim. Namque ante Hieronymum eundem in nomine numerum jam animadverterat Tertullianus (*de praescr.* c. 46). Sed ille (*in Amos.* c. 3) praeter id nomen quoque *Μειθρας* in medium profert, cujus literis idem numerus contineatur. Jam vero Mithras Persis Sol erat, qui 365 diebus Zodiaci signa permeat; unde ejus nomen una

cum nomine *τοῦ* Abraxas in una eademque gemma (§. 456) legimus. Jani quoque statua apud Romanos cum eodem numero efficta erat (§. 236), at tamen hic non anni solum sed aevi etiam deus credebatur, id quod Plinius (34, 7, 16. *p.* 645) tradit, et Codinus confirmat, qui (*in antiqu. Constant. p.* 13) simile ejusdem dei simulacrum, *ὡσανεὶ πατέρα του χρονου*, dextra manu *trecentos*, sinistra *sexaginta quinque* calculos tenere docet.

Quapropter, quamquam haud ignoramus, illum in nomine Abraxas numerum inesse; nunquam tamen eo adducemur, ut cum Jablonskio numerum *solum* in eo latere statuamus. Quod enim nec patribus ecclesiae, nec nobis ipsis ulla alia, eaque verior, harum literarum ratio adhuc innotuerit, hoc ignorantiae et illorum et nostrae tribui potest. Nemo videlicet unquam ad exprimendum illum numerum, cui tres literae sufficerent, ex tot literis compositum nomen adhibuisset, nisi aliam quoque significationem eo voluisset notari. Nec perpendisse Jablonskius videtur, in ceteris nominibus *Νεῖλος* (§. 395. 599) et *Μειθρας* (§. 395. 454), in quibus idem numerus latet, praeter hunc nihilominus aliam etiam subjectam esse notionem, illi fluvii, huic Solis. 455.

Sed certum illius nominis etymon tunc demum erui poterit, quum recens detecta monimenta clariorem rei lucem forte attulerint. Neque ego conjecturas adderem nisi censores mihi metuendi essent reprehensuri, quod rejectis aliorum sententiis aliam, eamque meliorem, ipse afferre non protuerim. Quoniam autem ne de 456.

ipsa quidem lingua constat, ad quam illud vocabulum pertineat; binas proferam conjecturas, quae quo simpliciores sint, eo magis tolerari posse puto. Sed ante omnia terminationem nominis rejiciamus necesse est. Quamvis enim pro ΑΣ etiam ΑΞ passim legatur; supra (§. 453) tamen monuimus, extremas in utraque syllaba literas permutari. Ac praeclarum hujus rei documentum praebet gemma quaedam (*Capell.* 19), in cujus parte antica ΑΒΡΑ-CΑΞ, in postica ΜΙΘΡΑΞ legitur, utique pro Mithras! Etenim omissa illa terminatione in monimentis legitur MITHIR (*Donii inscr.* 29. *Antiqu. de Lyon. p.* 95. *Nov. op. dipl. II.* 560. *Montfauc. suppl. I. tab.* 82) MITIR (§. 385) et MIHIR (*Cayl. III.* 94), quod propius etiam accedit ad Persarum MIHIR (*Reland diss.* 2. *p.* 189. *Hyde rel. Pers. c.* 4. *p.* 107).

457. Omissa igitur terminatione in *ας* vel *αξ* vox ABRAS similis est Hebraeae אבּרז pari modo composita atque notissimum nomen אברם. Illa significatur *pater mysterii*, adeoque *mysterium* ipsum. Simile nomen רזיאל novimus angeli (*Canzellier. de secretar. p.* 1013), a quo Adam edoctus fuisse dicitur (*Lambecc. prodr. p.* 49. *Fabric. cod. pseudep. I.* 26). Atque apprime convenit illud nomen cum supremo philosophorum numine, quem patrem ignotum (§. 125. *sequ.* 131) sive eum, quem sola mente comprehendi posse (§. 128) appellabant. Quibus autem haec interpretatio eo displicuerit quod nominis illius terminationem omiserim, hos ignorare arbitror, in ipsis etiam monimentis hanc interdum abesse. Ita a Macario (*ap.*

Chifflet. p. 16) gemma descripta est, in cujus adversa facie homo caput habens radiatum, sinistra flagello armatus, dextra scutum tangens, conspicitur: in aversa autem ΑΒΑΡΑΖ ΙΑΟ legitur. Quod quidem *Ἀβαραζ* quamvis Passerius, veram scriptionis causam ignorans (*II. p.* 257. *n.* 44) artifici temere vitio vertat, omnino tamen Hebraeum illud nomen exprimit. In alia gemma, quam inter Aegyptiacas interpretari tentabimus, omissa etiam S finali, ΑΒΡΑΖΑ legitur, quod cum Aramaeo אבוארזא convenit.

Si vero statuere malueris, nomen Aegyptiacae omnino esse originis, quamvis hujus opinionis perspicere causam nequeam; aliud sane etymon erit quaerendum, atque ex recentiori demum tempore, quo Aegyptiacum sermonem cum Graeco mixtum fuisse constat. Namque omnis *του* Abraxas historia in antiquis Aegyptiorum mythis inaudita est. Quoniam autem ΑϤΡΗΣ Coptitis *vigilavit*, ΕϤΡΗΣ *vigilans* sonat: fieri potuit, ut Graeci hoc verbum in Aegypto audientes et cum Graeco *ἁβρὸς* conferentes terminatione addita nomen illud eo magis fingerent, quod contraria ipsis jam dea *Βριζὼ* esset (*Spanh. ad Callim. p.* 519. *Montf. I.* 365). 458.

Certe si Abrasax interpretari liceret *Vigil*, omnia praeclare inter se cohaererent. Angeli quoque vigiles a veteribus dicebantur. Etenim qui apud Danielem (4, 10) עיר scribitur, idem ab Aquila et Symmacho *ἐγρήγορος*, a septuaginta autem interpretibus et ab Hieronymo, qui (*ad Dan. c.* 4) ex vocis sono eum cum *Iride*, arcu ad terram descendente, comparat, *angelus* vertitur. Quem qui- 459.

dem עיר, quoniam de coelo eum descendisse Daniel scripserat, angelum esse conjecerunt, et inde angelos appellarunt ἐγρηγόρους (*Clem. Alex. paedag. II*, 9. *p.* 185. *Liber. Enoch, cet.*). Sed angelis certe sua quibusque tributa fuisse munera novimus et a muneribus nomina eis imposita (§. 119. 122). Nomen igitur Abrasax, quum *vigilis* notionem fundet; *custodis* officio hunc angelum functum esse patet. Ita Romani quos geniorum, deorum tutelarium, et *custodum* nomine in lapidum titulis et in libris (*Tibull. I.* 1, 20) insigniunt, *vigiles* etiam appellant. Unde Ovidius (*fast.* 5, 142) „*Pervigilantque lares*" canit, et alio in loco (2, 616):

„*Et vigilant nostra semper in urbe lares.*"

Nonne et vigilis nomen cadit in tot amuleta, in quibus incisa est Solis omnia-videntis (§. 578) imago, vel vulgari forma (§. 566) vel illa, qua caput habet galli gallinacei, quod est vigilantiae symbolum, thoracem et clypeum, quae omnia custodiae sunt notae.

460. Atque haec quidem meae sunt de nomine Abraxas conjecturae, in cujus etymo eruendo dubium et incertum me haerere vides. Non magis exploratum habeo, quod tamen vulgaris fert opinio, an monstro illo, cui caput vel gallinacei (§. 195 *et infra*) vel leonis est, crures autem in serpentes desinunt, Abraxas repraesentetur. Bellermannus quidem (*I.* 64. *II.* 12) hoc sibi persvasit, sed probatum id argumentis sufficientibus ab eo esse, mihi certe non videtur: et quamvis in multis gemmis illi figurae adscriptum sit illud nomen; in pluribus tamen appositum ipsi videmus no-

men Jao. Patrum quoque nemo istius imaginis disertis verbis meminit, nec Tertullianus illo, quem Bellermannus pro sua sententia excitat, loco (*apol. c.* 16) de ista loquitur figura, sed de Graecorum Romanorumque deorum formis. Magis Porphyrius (*de abstin.* 4, 9. *p.* 323 *et ap. Euseb.* 3, 2, 4. *p.* 93) spectasse illam videri potest: et si quid est argumenti, quo vulgaris fulciri possit opinio, quaerendum id esse censemus in illius imaginis symbolis, quibus quum *Sol* repraesentetur, Sol omnino diebus, quibus annuum cursum absolvit, numerum eundem, qui in nominis Abraxas literis latet, denotare potest.

Ceterum quod in aliis nominibus haud raro factum esse animadvertimus (§. 392. 406. 476. 584), idem huic etiam accidit, ut, quum admodum frequenter in gemmis, compareret, ab interpretibus etiam, ubi minime scriptum esset, e literis extorqueretur. Ita Salmasius (*ann. clim.* 572) verbis ΑΒΡΑΣΑΜ corruptum nomen Abraxas contineri, temere asseruit. Nec multum abfuit, quin Montfauconius (*mus. Ital. p.* 89) primum inscriptionis Slavonicae verbum (§. 542) Abraxas legeret. Multi quoque fuerunt, qui *Abracadabra* pro illo nomine perperam acciperent. Sed omnino a nomine Abraxas illud differt, quod primum a Sereno Samonico (*de medic. praec. c.* 52. *v.* 944. *p.* 151 *et inter poet. min. II. p.* 364) proditum esse ferunt; quodque cum Abraxa confudisse video Baronium (*a.* 220. *vel in app. T. XII. p.* 1116), Kircherum (*Oed. II,* 2, *p.* 460) Saubertum (*de sacrif. c.* 23. *p.* 579) Chiffletium (*p.* 64) Sel- 461.

denum (*de diis Syris I, 2. p.* 118, *et de Teraph. I, 2. Op. I, 2. p.* 289) Buddeum (*de atheismo p.* 732) Cangium (*gloss. Lat. h. v.*) Montfauconium (*ant. II.* 378) Harduinum (*ad Plin. L.* 28. *p.* 488) Beausobrium (*Manich. II.* 55. 56), Jablonskium (*opusc. IV.* 87. *Misc. Lips. nov. VII.* 73) alios. A Judaeis hoc inventum esse videtur, haud secus atque illud שבריר (*Buxtorf. lex. Chald.* 2320). Utrumque enim verbum, tot versibus repetitur, quot sunt literae; et in quolibet versu una litera subinde omittitur, ita ut in ultimo tandem non nisi finalis litera restet (*conf.* §. 462. 583. *Saubert.* 570). Neque unquam me istud in aliquo amuleto legere memini, quum Abraxas contra pervulgatum sit. Ac multum quidem Baronius et omnes, qui eum secuti sunt, sibi sumserunt, quum characterem C, qui Σ quidem est lunatum, in nomine Graecis literis scripto ABPACAΞ, in illo ABRACADABRA Latinis literis scripto, pariter S legere et contendere auderent „hoc idem nomen esse ABPACA junctis aliis elementis“ (nempe DABRA!). Hinc ipse Jablonskius (*opusc. IV.* 88) scribit: „Abracadabra *vel Abrasadabra;* nam utroque modo eruditi legere solent.“ - - Pessime quidem!

462. Fuere etiam qui interpretari hanc vocem conarentur, quorum primus Postellus (*de orig. gent. et lit. p.* 47): Romanis quoque,“ inquit, „olim nomen Josef Arac dabar, id est, pater tenuis moderator, corrupte Abracadabra, et instar trianguli scriptum, erat morborum amuletum, teste Columella.“ Mire paucis his verbis vir illis temporibus doctissimus omnia (*Gen.* 41, 45) con-

fundit, vel Romanos ipsos scriptores! . . Audacior Wendelinus (*ap. Chifflet. p.* 65) ex istius vocabuli literis Latinis Graecas fingit siglas, quarum aliis Hebraea, aliis Graeca verba significari vult; sed haec loco laudato, si placet, legas, vel apud eos, qui incauti illum secuti sunt (*Begerum in thesaur. Brand. I.* 86. *Wilde. in gemm. p.* 107. *Harduin. ad Plin.* 28, 3, 5. *p.* 488. *Kircher. in arithmol.* 192). Alii alias proferunt interpretationes (*Nicolai de sigl. p.* 79). - - Equidem אברך הדברה legens verto *Benedico verbo* vel potius *dispositioni*, nempe versuum constituendorum rationi (§. 461. 583). הדברה enim *ταξιν* exponunt LXX interpretes: et ordo ille certus, certaque ex lege in quoque versu praescripta unius literae omissio, magis cum hac versione convenit, quam cum qualibet alia verbi דבר expositione. Recentiores Judaei in eundem superstitiosum finem loco illius adhibent *Abracalan* (*Colomes. misc. hist. p.* 94), quod, si quid video, nil nisi אברך לן, „benedico nobis" significat. Formula autem illa *Abracadabra* num vere a Sereno Samonico tradita et commendata sit, adhuc dubitari potest. Quemadmodum enim Marcellus Empiricus multis etiam locis interpolatus esse videtur, sic idem illi accidisse conjicere licet. Certe in eo, quod proxime praecedit, capite omnia alia professus scripserat:

Nam febrem vario depelli carmine posse
Vana superstitio credit. - -

Diu equidem refragatus sum, nec facile a me impetrare po- 463.

tui, ut crederem, Judaeorum Jehova et Bacchum pro uno eodemque deo olim esse habitos. Sed idem nunc persvasum habeo, atque hoc inde evenisse conjicio, quod illa vox, quae perperam Jehova pronuntiatur (§. 262. 457) sive eam Samaritanorum more *Jave,* sive cum Epiphanio (*haer.* 40. §. 5. *p.* 296) *Jabe*, sive cum veteribus aliis scriptoribus *Jao* pronunciaveris, generale dei nomen fuerit (§. 266). Id quod in Romanorum *Jove* pariter atque in Afrorum *Juba* latere conjicere licet. Mauritaniam enim regulos suos divinis honoribus prosecutam esse obscure quidem Tertullianus (*apolog.* 24), dilucide autem Minucius Felix (23, 2) Lactantius (1, 15) et Isidorus (*etym.* 8, 1) docent. Atque regibus illis commune nomen fuisse *Jubae* constat, ex quibus cujusdam statuam Athenis fuisse Pausanias (1, 17, 2) refert. Quumque antiquissimis temporibus Solem omnibus populis communem deum fuisse docuerimus (§. 311); haud miramur in Apollinis Clarii oraculo (*Macrob. Sat.* 1, 18) Solem quoque *Jao* appellari. Ex eo igitur haec gemma explicanda esse videtur



quam post Gorlaeum (*n.* 328) Chiffletius quoque (*n.* 2) et Montfauconius (*II.* 157) ediderunt. Solem in ea repraesentari viri docti

bene viderunt (*Cuper. Harp. p.* 34). At vero huic non solum nomen *Jao* claris adscriptum est literis; sed in eo etiam cum illo oraculo imago convenit, quod equus, quo Sol vectus, *lente progreditur.* Edixerat enim Apollo „eundem, qui aestivo tempore Sol, *autumno tenerum* appellari *Jao,*“ *languescentem* nimirum *Solem.* Majori igitur jure Apollini vel Macrobio hanc gemmam tribuere poterat Chiffletius, quam Basilidianis.

Sed magis ad propositum nostrum facit, quod Cornelius Labeo teste Macrobio demonstravit, Libero Patri etiam nomen *Jao* 464.
fuisse; neque hoc mirum quum omnes deos Macrobius ad Solem referat, idque me judice gravissimis argumentis confirmat, quibus plura addere poterat. Ubi enim (1, 20) a substantia Solis neque Herculem alienum fuisse contendit, a partibus ipsius stat Orphicus, qui (*hymn.* 11, 12) hujus dei labores de Sole interpretatur per duodecim Zodiaci signa meante. Atque omnes fere philosophi, excepto Heraclide (*in Galei opusc.* 453), deinceps eandem amplexi sunt sententiam (*Serv. ad Aen.* 6, 392. *Laur. Lyd. mense Apr.* 46. *p.* 222). Aliorum igitur rationes, quibus illam sententiam infringere conati sunt, me quidem parum moverunt. Certe Clericus, qui (*Bibl. univ. III.* 7), monstruosam commentus Adonidis fabulae explicationem, confutare sibi visus est Macrobium, temere omnia confundit, et diversorum populorum res gestas, et poetarum fabellas, et diversas denique linguas ipsas, ita ut illum quadrata miscuisse rotundis jure dixeris.

465. Nec Labeonis testimonio opus fuisset, quum satis constet, Soli nomen *Jao* inditum, Dionysium vero eundem Solem fuisse (*Orph. ed. Gesn. p.* 363. 371. 372. *Plutarch. symp.* 4, 5. *p.* 671. *Virgil. Georg.* 1, 7. *Macrob.* 1, 18. *Laurent. Lyd. mense Mart.* 38. *p.* 196. *Julian. imp. orat.* 4. *Cuper. Harp.* 91 *sequ.*). Ipse enim Apollo, referente Eusebio (*praep. ev.* 3, 4, 15. *p.* 125. *add.* 120) quum interrogaretur, quinam esset, hoc responsum fertur dedisse: *ΗΛΙΟΣ, Ωρος, Οσιρις, Αναξ, ΔΙΟΝΥΣΟΣ, Απολλων.*" Unde Solem Dionysiumque uno Osiridis Aegyptiaco nomine comprehensos fuisse infra demonstrabimus.

466. Ex hoc igitur generali dei nomine *Jao*, quo et Bacchus audiebat, factum esse arbitror, ut legentes de *Judaeorum Jao* sibi persvaderent, Dionysium eundem esse. Accedebat religiosorum rituum similitudo, quam Plutarchus (*sympos.* 4. 5. *p.* 671. 672) deprehendere sibi visus est; et quod conjuncta nomina ארני יהוה, et ex Bocharti (479) sententia etiam אל־אלהי צבאות ad amussim respondebant reliquis Dionysii nominibus „Jao (Jacçhus, Bacchus. *Voss. Idolol.* 2, 14) Adoneus, Eleleus (*Ovid. metam.* 4, 15. *Auson. epigr.* 30), Sabadius. In quibus tamen haud scio an Bochartus Elelei nomen recte interpretatus sit. Quum enim *ἐλελευ*, quod idem atque *ὀλολυγη*, acclamantis sit vocula (*Plutarch. in Theseo p.* 10); quid prohibet, quo minus id ab הלל deducamus? et si hoc usitatae acclamationis in Bacchi festis etymon pro vero habemus sponte sese offert Judaeorum festum הלולים cum illis comparandum.

Sabadii autem nomen qui a Sabaoth ducunt praesidium habent in Ciceronis (*de leg.* 2, 15) verbis, quibus patet deum illum et a Graecis et a Romanis pro peregrino habitum fuisse. Ipsi praeterea Judaei opinioni illi ansam praebuerunt. Non enim tantum in eorum libris (*Job.* 24, 18. *Ps.* 80, 9. *Jes.* 1, 8. 5, 1. 27, 2. *Jer.* 2, 21) frequentissima vineae et vitis fit mentio; sed vini etiam (*Zach.* 10, 7. *Ps.* 104, 15): et Jehovah ille (*Ps.* 78, 65) comparatur cum eo, „qui dormiens excitatur tanquam fortis clamans a vino" (*vel ut vulgata* 77, 65 *habet*, „tanquam potens crapulatus a vino"). Quid? quod Pseudo-Esdras (*L.* 4. *c.* 5. §. 23. *in Fabric. cod. pseudep. II.* 217) deum sic alloquitur: „Domine, ex omni silva terrae et omnibus arboribus elegisti *vineam unicam.*" Quae quidem quantumvis metaphorae specie excusaveris, hanc metaphoram ipsam tamen hilari Baccho (*Tibull.* 1, 7, 39 *sequ.*) magis convenire videbis, quam severo Judaeorum Jehova. Unde minus culpandi erant qui eos confunderent.

Quae nisi tenueris vereor ut unquam hanc gemmam interpretaturus sis: 467.



Chiffletius (*ad n.* 93. *p.* 128) suo more eam Basilidianis tribuit, nullo prorsus idoneo argumento munitus, immo ipse (*p.* 129) fatetur trium capitum ex arbore pendentium significationem se ignorare. Nec majorem gemmae lucem attulerunt Gronovius (*ad Gorl. n.* 445 *p.* 37) et Montfauconius (*II. Tab.* 160. *p.* 366) quorum ille Medusae, hic Furiarum capita videri sibi persvaserat. Verum uterque silentio praeterivit adscriptum nomen *Jao*, quippe cui neque cum Medusa, neque cum Furiis quidquam esse commune facile perspiceretur. Illud autem *Jao* si pro Bacchi nomine sumseris, omnia cohaerebunt. Non enim capita ex arbore pendent, sed larvae ad humanam effigiem arte simulatae (*Macrob. Sat.* 1, 7), de quarum in Bacchi festis usu praeclare Virgilius (*Georg.* 2, 387):

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis:
Et te Bacche vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Qui plura de oscillis legere cupiunt, quibus et grandines avertere credebant (*Heyn. opusc.* 6, 258), adeant post Heynium ad illum Virgilii locum, doctos Hesychii (*v.* αἰώρα *p.* 180. *n.* 16) interpretes, Klotzium (*von geschnitt. Stein.* 117. [illegible]8) et Boettigerum (*Deutch. Merkur* 1795. *IV.* 337), qui et monimenta indicant, in quibus oscilla repraesentantur. Addendum hisce opus quoddam caelatum (*ap. Fontanin. ant. Hort. L. III. p.* 8), vas (*ap. Montf. I. tab.* 167) et thyrsi figura cum oscillis ex eo pendentibus (*Passer. gemm. III. p.* 181), quae quum redimiculis vel copulis ad thyrsum, sicut in

gemma nostra ad arborem ligata sint, hasce copulas viri docti incaute pro anguibus accipientes Medusam et Furias finxerunt!

Vocem Jao, licet notissimum dei nomen ea exprimat, non tamen, semper eandem interpretationem admittere, mihi quidem persvasum est: neque ego omnes, quas viri docti excogitarunt, trium illarum literarum explanationes, approbare possum, minime eas, quibus praesertim theologi omnia monimenta, in quibus vox illa legitur, illico ad gnosticos referunt. Nomine enim Jehova non Judaei tantum in gemmis usi sunt; sed alii etiam, quum Graeci, tum Romani sibi persvaserunt mirum ejus esse effectum (§. 117); et longe ante illa cum gnosticis ecclesiae dissidia tritum jam fuisse nomen Jao ex Diodoro (1, 94) constat. Falsus etiam est Jablonskius, qui (*in Misc. Lips. nov. IV.* 85. *sive in Opusc. IV.* 70) „Gnosticorum“ inquit „nominis Jao veram rationem assecuti non sunt eruditi. Nihil enim aliud nisi hoc significat: *I(esus, qui est) A (et) Ω.*“ Atque eandem opinionem jam protulerat Smetius (*in ant. Neomag.* 21). Sed haud meminisse videtur Jablonskius, dum ista tam confidenter statuebat, notissimi gnosticorum placiti, quo Jao Judaeorum numen esse contenderunt, inferioris illud quidem ordinis, prorsusque diversum a patre ignoto, qui Jesum misisset (§. 124); quod certe non docuissent si vocem Jao quodam modo ad nomen Jesus referri voluissent. Alii ex gnosticis Jao vocabant ex octo principibus illum, qui princeps esset mysteriorum filii atque patris (*Origenes c. Cels. VI. p.* 296). 468.

469. Non magis probare possumus Barthelemii conjecturam, qua (*Mem. de l'acad.* 41. *p.* 521) simili ratione tribus illius nominis literis singulis singulas denotari notiones arbitratur, litera quidem I Solem, A principium, et Ω finem. Cujus quamvis viri magna semper apud me auctoritas fuerit; valde tamen dubito eum hoc loco verum vidisse. Quum enim primam literam ex vocalibus, planetis adscriptis (§. 288), explicaverat; minime debebat in interpretandis reliquis omnino diversum fontem adire. Ut taceam frequentem nominis Jao cum cognatis Sabaoth et Adonai in gemmis conjunctionem, quae illius opinioni parum favet.

470. Equidem quum nihil mihi negligendum esse putem ex iis, quae amuletis aliquando lucem afferre possint; insolentes quasdam nominis Jao interpretationes prioribus addam, quae quo minus ex recentiorum conjecturis manarunt, eo magis memoratu digna videntur. Ac primo loco audienda haec Laurentii Lydi (*de mens.* 38. *p.* 202) verba sunt: *Ὀι Χαλδαιοι τον θεον ΙΑΩ λεγουσιν αντι του φως νοητον τη Φοινικων γλωσση.* Ad nomen quidem Jehova illum respexisse, Judaeosque Phoenicum nomine intellexisse (§. 111) persvasum habemus; sed frustra laborabunt, qui ejusdem, quam ille dedit, notionis vocem *τῳ Ιαω* similem e Semiticis linguis eruere velint. Neutiquam enim ad etymon respexit, sed ad sententiam solam, quae vera Chaldaeorum eademque Judaeorum fuit, modo recte intelligamus vocabula *νοητον* et *φως*. Illud, quod sensu differt a *νοερον*, satis explanarunt Salmasius (*in epist. ad Menag.*

14 *sequ.*) et Clericus (*ad Stanleium in ind.*). Est enim quod sola mente percipi potest; unde minus recte, quod ei oppositum, *το πυρ νοερον* Graevius ignem *ratione praeditum* vertisse mihi quidem videtur, quamvis Cuperus (*Harp.* 115) hanc explicationem approbaverit. Fons enim, ex quo omnia illa manarunt, doctrina Platonis (*de re publ. VI. Bip. T. VII. p.* 116-121) quum fuerit (*Jamblich.* 8, 3. *p.* 158. 159. *Orac. Chald. v.* 49 *sequ.*); ex hac etiam voces illae explanandae erant. A Plutarcho (*sympos.* 8, 2, *p.* 718) inde philosophi *το νοητον* accepisse videntur pro eo, quod recentiores *abstractum* appellant, *concreto* oppositum. Lydo certe *νοητον* est, quod in sensus non cadit, sed mente sola percipi potest; *φως* autem, sive *lux* illi Jao sive Jehova est ex Philonis Judaei sententia, qui (*Op. p.* 6. *et ap. Euseb.* 11, 12, 24. *p.* 547) „*φως νοητον* exemplar fuisse" docet „Solis et ceterorum omnium clarissimorum siderum, quae producenda forent." Cujus doctrinae auctorem facile agnoveris eundem Platonem, qui (*in Tim. T.* 10. *p.* 7. *Bip.*) mundi exemplar, quod sola mente cognosceretur (*νοητον*) sensibili nostro mundo jam opposuerat. Quum Judaei etiam semper fere lucem cum deo conjungerent (*Dan.* 2, 22); Philo addit „tanto lucem illam, quae sola mente percipiatur (*deum*), aspectabili hac (*Sole*) illustriorem ac splendidiorem esse, quanto Solem tenebris." Pariter ex recentioribus Martianus Capella (*L.* 9. *p.* 312) monadem (*unum deum*) intelligit *lucem intellectualem* (*νοητον*); deum nimirum, qui sola mente comprehendi possit. Atque „ab Aegyptiis,"

Plutarchus (*de Is. p.* 373. 382) refert, „imagines Osiridis velatas fuisse, ut significaretur, Solem esse *σωμα της τ' ἀγαθου δυναμεως ὡς ὁρατον οὐσιας νοητης.*" Quo ex loco explanari etiam potest ille Lucani versus (9, 159), quem docti ejus interpretes neutiquam intellexerunt:

Et tectum lino spargam per vulgus Osirin.

471. Ad illam nominis *Jao* explicationem a Laurentio Lydo traditam pertinet alia, qua Tzetzes (*chil.* 7, 126) docet Hebraice hoc nomine significari id quod videri non possit (*ἑβραϊκως το Ιαω ἀορατον σημαινει*). Atque id idem est ac *το νοητον*, siquidem quod oculorum sensum effugit non nisi sola mente percipi potest. Hoc autem loco Judaeorum Jehova intelligitur: „Judaei enim," sunt verba Taciti (*hist.* 5, 5), „*mente sola* unumque (*confer.* §. 470 *Martiani monadem*) numen intelligunt."

472. Sed interdum omnino dubia vocabuli Jao est significatio, sive postmodum a recentiori manu gemmae antiquae additum fuerit, sive verum et absconditum sensum nondum capiamus. Ita Isidi puerum lactanti illud adscriptum (§. 545) non intelligo, nisi a verbo *ἰαομαι* (§. 474) repetatur. Idem in alia gemma (*Rasp. n.* 13242) equo adpositum legitur currenti et cum habena effugienti. Licet enim non ignoremus equum libertatis fuisse apud Aegyptios symbolum (*Clem. Alex. str. V. p.* 567), nec nobis ignota sit illa Platonica (*in Phaedr. T.* 10. *p.* 320. *Clem. Alex.* 572) animae rationi non obtemperantis et equi auriga carentis collatio (*Porphyr. de ab.*

stin. 1, 43. *p.* 73); neque nos lateant in gemma (*Gorl.* 67. *Beger. ad eund. p.* 19) equi, dejecto equite, currentis effigies, neque aliorum cum serpente imposito itidem currentium imagines (*Cayl.* 5. *tab.* 54. *Rasp. tab.* 56. *Spanh. I.* 298): nihil tamen omnia illa ad interpretandam vocem Jao in gemma equo adscriptam proficiunt. Ulterius igitur inquirens reperi, quod nemo forte divinaverit, *Ιαω* vocem fuisse inhibentis vel retinentis. Gnosticorum enim figmenta exponens Irenaeus (1, 4. *p.* 19) refert: „Enthymesin investigaturam lumen, quo orbata esset, ab Horo impeditam fuisse, quo minus illud recupereret. Hinc etiam Horum coercentem eam ne ulterius progrederetur inclamasse ΙΑΩ, vocemque *Ιαω inde originem traxisse.*" Haec ille: ac ne quis credat corruptum a librariis esse locum, eadem repetita ab Epiphanio (*haer.* 31. *p.* 182) legat. Neque Massuetus neque Petavius, docti illorum interpretes, obscuro loco lucem attulerunt. Neque Tertullianus rem acu tetigisse videtur, quum, eandem fabulam (*adv. Valent. c.* 14) narrans, vocis Jao! illustrandae causa adderet „quasi *Porro Quirites,* aut *Fidem Caesaris.*" Pura fortassis exclamantis vocula illa fuit similis ei, quae a nobis *Ιου* scribitur.

Dignus praeterea qui conferatur alius apud eundem Irenaeum est locus (*II.* 16, 3. *p.* 170. 171), quantumvis obscurus et idem sit. Ita enim ille: „*Jaωth* extensa cum aspiratione novissima syllaba, mensuram *praefinitam* manifestat; quum autem per o (micron) Graecum corripitur, ut puta Jaoth, eum qui *dat fugam* 473.

malorum significat." Quae qui legerunt, ad unum omnes censuere, nugas has esse Irenaei, quem pium ceteroquin virum non optimum tamen grammaticum fuisse manifestum sit. Vix enim divinari potest istis verbis quid exprimere voluerit. Atque simile discrimen statuit (*II.* 35, 5. *p.* 170) inter *Σαβαωϑ* et *Σαβαοϑ*. Fugerat etiam doctum Irenaei interpretem in una eademque gemma (§. 195) tam IAO quam IAΩ legi, et illud etiam IAΩΘ non in amuletis solum, sed apud Alexandrum etiam Trallianum reperiri, ubi similem *inhibendi* notionem in eo inesse ex reliquis verbis patet. Remedium enim, quod (*L. XI. f. p.* 658) adversus podagram et omnem fluxionem adhibendum tradit, hoc est: „Herbam sacram, quae vocatur Altercum (aliis Hyoscymanus), cum luna est in aquario aut piscibus, effodito ante Solis occasum, radicem non attingens: ubi effoderis ipsam duobus sinistrae manus digitis pollice et medico, dicas: Loquor tibi, loquor tibi, herba sacra cras voco te in domum Philiae, ut *sistas* fluxionem pedum et manuum hujus viri vel hujus mulieris. Sed adjuro te per nomen magnum *Ιαωϑ Σαβαωϑ* Deum, *qui terram* firmavit et *fixit mare* fluviis abundans fluentibus (*conf. Job.* 28, 25), qui *exsiccavit* uxorem Loth et *fecit* eam *statuam* salinariam, accipito spiritum *matris tuae terrae* (*immobilis scilicet* §. 286) et vires ejus, et *siccato* fluxionem pedum aut manuum hujus viri aut mulieris" cet. Sunt quidem omnia haec nugae tum patrum ecclesiae, tum aliorum: sed difficiliora omnino explicatu sunt absurde ab hominibus dicta, quam

quae bonae frugis mentisque sint sanae. Mihi quidem, quum hoc tantum ex praemissis colligi possit, vocabulo illi *Jaoth* notionem inesse *sistendi* et *parendi*, nulla in mentem vox venit nisi Hebraea יאות, significans *obsequens se praebebit.*

Quoniam autem proni sunt homines ad explicanda e sermone 474.
sibi familiari (§. 458. 484) nomina peregrina vix dubitamus quin Graeculi illud *Ιαω* eo libentius in amuleta interdum inciderint quod ista vox *ιαου*, quemadmodum *σαω* pro *σαου* (*Matth. gr. in add. ad p.* 347) ipsis *Sana* sonaret. Quo forsan et Phavorinus spectat ad vocem *Ιαω* adnotans *ἡ σωτηρια παῤ ἑβραιοις.* Quodsi Chiffletio fidem habere liceret, egregium etiam apud Eusebium hujus rei exstaret testimonium. Ita enim ille (*p.* 59): „Eusebius *L. IV. c.* 29: *Ιαω* est salus, hoc est dei salutare.“ At frustra haec apud Eusebium, quem haud oscitanter legeram, quaesivi, quum ne tot quidem, quot ille laudat, liber quartus capita habeat. Nihilo tamen minus Boseus (*de cultu Salutis deae, in Woltereckii elect. rei num. p.* 27 (7) Chiffletium temere exscripsit. Confudisse scilicet hic videtur nomen Jao cum nomine Jesu, et Eusebium cum Clemente (*paedag.* 3, 12. *p.* 265). Utique enim Jesu vertitur Salus: unde apud ipsum Eusebium, alio quidem loco (*hist. eccl.* 2, 23. *p.* 64. *f. Valesii*), verba *ἡ θυρα του Ἰησου* verterem „porta salutis (ישועה), nisi sequerentur verba *του σταυρωθεντος!*

Qua quidem vocis *Ιαω* varia notione perspecta lapsum quo- 475.
que arbitramur Galeottum, qui ad hanc annuli cujusdam inscri-

ptionem (*in Ficor. gemm. lit. I. Tab.* 8. *n.* 24) ΙΑΩ ΣΑΩ ΑΔΩΝΙ observarit: „*Σαω,* quis non videt esse idem ac *Σαβαωϑ?*“ At vero profecto non erat, quod tribus illis literis tantam tribueret potestatem, ut nomen sex literarum exprimerent, siquidem hujus verbi, pariter atque alterius imperativus modus positus (*Odyss.* 17, 595) et totius inscriptionis sensus hic esse videtur: „*Sana, serva Adonai!*“ .. Quod denique Salmasius (*ann. climact.* 580) docturus erat, *Jao* nomen esse *decani*, hoc nulla prorsus alia de causa affirmavit, quam quod in amuleto hoc nomen legerat. Sed non omnes, quae in ejusmodi gemmis incisae sunt, voces ad astrologiam spectant; quapropter inter meras conjecturas hanc viri docti opinionem rejiciendam esse censemus.

476. Accidit praeterea illi vocabulo, quod in aliis saepe repetitis vidimus (§. 392. 406. 461. 584) ut qui sibi familiare illud reddiderint, ex diversis prorsus literis Jao nihilominus eruere conarentur. Ita infelix ille amuletorum interpres (*Passer. II.* 255. *n.* 19) ubi in gemma est *ειη αιωνια* (§. 212) legit ΙΑΗΙΕ ΑΙΝΩ, quod explicat: „Jao terribilis.“ Nefanda profecto quum legendi tum vertendi licentia! Quid? quod alio loco (*p.* 260. *n.* 59) ΙΙΙΙΙ etiam pro ΙΑΩ accipit.

477. Quod aeque frequens in amuletis comparet nomen *Σαβαωϑ*, Latinis literis ab Hieronymo semper sabaoth scriptum, plerumque Hebraeum צבאות haud dubie significat. Affirmaverat jam Origenes (*contra Celsum I. p.* 19 *et* 20) „nomine illo cum magna veneratio-

ne ab Hebraeis tradito occultam quandam theologiam contineri;" addideratque (*V. p.* 262) „vocem *Sabaoth* frequentem esse in incantationibus, pro qua si substitueretur dominus virium (*κυριος των δυναμεων*) vel dominus exercituum (*στρατιων*), nihil effici." Fortassis superstitioni, qua in amuletis hoc nomine homines crebro uterentur, causa fuerit, quod legerent (*Jerem.* 15, 16) prophetam fassum „prospere omnia sibi successisse, quia," ut inquit, „נקרא שמך עלי יהוה אלהי צבאות (invocatum est super me nomen tuum Jehova deus *Sabaoth*). Gnosticorum circa idem nomen superstitionem Theodoretus et Epiphanius (*Macar. ap. Chiffl.* §. 20. *p.* 29) referunt, quam eandem Judaeorum non minorem fuisse, ex libro Bavabasra discimus, in quo (*Buxtorf. lex. Chald. p.* 1898) haec leguntur: „Quando fluctus submersit navem, conspiciuntur quaedam quasi scintillae ignis albi in capite ejus. Quas si percutiamus baculo, cui inscriptum est: אהיה אשר אהיה יה הצבאות אמן אמן סלה (ero qui ero Ja *Sabaoth* amen amen sela); requiescit fluctus." Ignem album interpretatur glossator „angelum noxium," quod mirum, quum alba plerumque prospera significent, atra autem noxia.

Nec tamen in omnibus amuletis, in quibus Sabaoth inscriptum legitur, ea interpretatio admitti poterit. Ne ratio quidem scribendi ubique eadem est. Toties enim fere *Σαβαω* (*Pignor. tab.* 4. *n.* 6. *Spon. misc. et Montfauc. Tab.* 156. *f. Rasp. n.* 551. 596. 607. *Macar. ap. Chiffl. p.* 18) scriptum reperimus, quoties *Σαβαωϑ*. Causa praeterea cur una interdum eademque vox complures et varias 478.

admittat interpretationes, quaerenda aliquando est in ratione verba Hebraea Graecis literis scribendi. Quum enim una Graeca Σ trium Hebraeorum literarum ס, צ et ש vices gerat, magisque etiam ancipites vocales literae sint (§. 439. 440) ita ut ΣΑΒΑ, quum צבא, tum etiam שבע legi liceat; nomen quoque SABAOTH tum צבאות, tum שבעת verti potest. Quo fit, ut illud non semper idem in amuletis significet. Quid? quod ex veteribus etiam idem verbum שבת alii Sabbatum, alii (§. 315) verterunt Septimum (*Exod.* 20, 11. *Trommii concord. ind. Hebr. p.* 119. *Theophil. ad Autolyc. II. p.* 91. *in f. op. Just. mart.*) clarisque praeterea verbis Lactantius (*de vit. beat.* 7, 14) „hic est dies Sabbati," inquit, „qui lingua Hebraeorum *a numero* nomen accepit." Quem in errorem quum ipse Lactantius inciderit, sane Ophitis et Sethianis ignoscamus necesse est, quod hoc nomine sanctam hebdomadem intellexerint, quam Irenaeo (*I.* 30, 9. *p.* 111) teste septem planetis constare sibi persvaserant. Atque in amuletis, quorum non nulla astrologica reperiuntur, verisimile est, nomine *Sabaoth* interdum Saturnum etiam planetam (שבתי) denotari (*conf. Tacit. hist.* 5, 4).

479. Certum praeterea et exploratum habemus, translatum in illud nomen, sive e septenario numero (שבע), sive a verbo, quod *ordinare* sonat (צבא), esse sensum quendam reconditum, quo *demiurgus* significaretur (§. 246). Utique in vertendis verbis Hebraeis, quae Graecis sunt scripta literis, cauti ut simus, auctor nobis est Hieronymus, qui (*in Jes.* 65, 15) ad vocem, quam *Sabaa* legit,

animadvertit „hanc multas habere intelligentias et pro diversitate accentuum variari.“ En rursus omnem interpretationem ex pronuntiatione pendentem!

Sed in iis etiam locis, in quibus nomen Sabaoth Hebraeo 480.
verbo צבאות omnino respondet, haud tamen semper *deum* intelligamus necesse est; sed astra quoque, vel daemones, a quibus illa reguntur (§. 240. 478). Ipse enim Hieronymus (*ad Algas. qu.* 10) et interpretes veteres illud verbum Hebraeum vertunt *exercitus* et *δυναμις* (*Trommius I. p.* 417). Ac si quoddam a Gnosticis profectum esse amuletum suspicare licet, verbi illius vel hanc significationem, vel alteram illam a septenario numero petitam (§. 246), aliis praeferendam esse censemus, modo reliqua verba eam admittant. Quin veri etiam dei in cultu vestigia antiquissimi astrorum cultus apud Judaeos remansisse verba כל צבא השמים (*I. Reg.* 22, 19), quae interpretibus (*Jes.* 34, 4) *αἱ δυναμεις του οὐρανου* dicuntur, indicio esse videntur. Clariora etiam Judaici erroris indicia sunt, quae ex praedicatione Petri Clemens Alexandrinus (*strom.* 6. *p.* 635) profert: „Neque colite ut Judaei: etenim illi soli se deum nosse putantes, nesciunt se adorare angelos et archangelos, mensen et Lunam (*μηνι και σεληνῃ*): et nisi Luna apparuerit, non agunt sabbatum, quod dicitur primum, neque agunt neomeniam, neque azyma, neque magnum diem.“ -- Sed Graecos pariter atque Romanos astra appellasse Jovis exercitum legimus: ex illis quidem Maximum Tyrium (*diss.* 3, 19. *p.* 33) laudasse suffi-

ciat; ex hisce Martianum Capellam, qui (*L.* 1. *p.* 17) *milites Jovis ante fores regias* constituit. Ceterum non est quod dubitemus Graecis quoque et Romanis Judaeorum שבת innotuisse (§. 315. *Plutarch. de superst. p.* 169. *Sympos.* 4, 5. *p.* 671. *Ovid. remed.* 219. *Horat. Sat.* 1, 9, 69. *Persius.* 5, 184. *Juven.* 6, 158 *et* 14, 96. *Petron.* 55, 6. *Tacit. hist.* 5, 4. *Plin.* 31, 18. *Senec. ep.* 95. *p.* 604. *Sveton. Aug.* 76. *Just.* 36, 2. *Rutil. al.*). Quamvis enim in quibusdam horum scriptorum locis dubitare liceat, num a Judaeorum die festo nomen Sabbati petierint, in aliis tamen hoc manifesto apparet.

481. Nomen ΑΔΩΝ, quod perfrequenter in amuletis legitur originis erat Phoeniciae. Ita enim Hesychius: *Αδωνις δεσποτης ὑπο Φοινικων.* Unde Hanno (*ap. Plaut. in Poen. V*, 2, 41) Poenice salutans: *Haudoni* (ארוני), quod *mi domine* sonat, dicit; quo cum epigramma (*Jacobs V. I. p.* 38) hoc conferre licet

'Αλλ' ει μεν Συρος ἐσσι, ΣΕΛΟΜ· ει δ' οὐν συγε Φοινιξ,
ΑΥΔΟΝΙΣ· ει δ' Ελλην, ΧΑΙΡΕ. το δ' αὐτο φρασον.

Assyriis sive Phoenicibus Adonin fuisse Solem Macrobius (*Saturn. I*, 21) demonstrat, atque id ipsum Martianus Capella significat (*II. p.* 43) Solem alloquens pulchris his versibus:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim.
Dissona sacra Mitram, Ditemque ferumque Typhonem.
Atys pulcher item, curvi et puer almus aratri.
Ammon et arentis Libyes ac BIBLIVS ADON.


Quibus imitatus videtur Ausonium (*ep.* 29, 30). Sed idem accidisse huic nomini patet, quod illi Beli, quo etiam Sol compellabatur, quippe qui dominus *κατ' ἐξοχὴν* esset. Quumque nominibus Osiridis et Dionysii Sol etiam significaretur; non est, quod miremur, illos eodem Adonidis nomine appellari (*Plutarch. symp.* 4, 5. *p.* 671).

Quae in amuletis leguntur ΑΔΩΝΕΙ (*Macar. p.* 18) sive ΑΔΩ- 482.
ΝΗ (*Rasp. n.* 439) Graecis literis scripta, ea Hebraeis אדוני sive אדני respondere videntur. Finali tamen Jod in hoc nomine nequaquam semper „*meus*" significari notissima res est (*Montfauc. hexapl. p.* 264. *Isidori etym. VII.* 1, 14. *Gesen. h. v.*). Non magis ex Judaeorum libris hujus nominis significationem semper petendam esse; sed tum e Phoenicum, tum e Graecorum Romanorumque placitis, satis ex iis, quae modo observavimus, patet. Quo factum est, ut Graecorum more id nomen etiam flecteretur. Quamvis enim Bellermannus (*I. p.* 35) „miram in gemma quadam esse putet rationem scribendi *Ἀδωνεος;* Origenes tamen (*c. Cels. p.* 297) et Epiphanius (*haer.* 26. §. 10. *p.* 91) Hebraeum nomen *Ἀδωναιον* etiam flexerunt, aliaque sunt amuleta, in quibus idem observetur, quod haud temere dictum Waldeccensi Jaspide infra producenda confirmabimus.

Aegyptiorum nominum frequentius nullum in amuletis com- 483.
paret, quam ΧΝΟΥΒΙΣ, hoc plerumque modo scriptum (*Capell. n.* 182. 193. 207. *Chifflet.* 71. 72. 76. *Molinet. Tab.* 30. *n.* 10. *Montfauc. Tab.* 150. *sequ. Gorlaeus II. n.* 421. 422. *Rasp. n.* 543. 545.

546. 554. 556. 558. 568), quamvis ex more literas B et M permutandi, qui frequens praesertim Graecis fuit, legatur quoque XNOYMIC (*Capell.* 28. 30. 160. 170. *Chifflet.* 73. 74. *Montfauc. Tab.* 150 *sequ. Gorl.* 413. *Rasp.* 547. 553. 559. 628). Eandem literarum permutationem observamus apud Cellarium (*orb. ant. III. p.* 84), qui ad ejusdem nominis in Thebarum nomo oppidum observat „in Palatino Ptolemaei codice legi *Chnubis*, licet vulgati *Chnumis* habeant." Egregie igitur hallucinatus est Hammerus, qui (*Fundgr. des Orients VI.* 107) in gemmis nostris nomen XNOYMIΣ non intelligens, vel non agnoscens, ut praejudicatam suam de militibus, qui vocantur, Templariis opinionem defenderet, literam M in Σ mutare et XNOYΣIΣ, ut inde fieret ΓNΩΣIΣ (!) legere auderet. Nec magis sana Montfauconii erat opinio, qui (*II. p.* 361) nomen +NOYBIC in gemma quadam obvium, ob insolentem literae primae formam (§. 401), *Anubis* legere vellet.

484. Atque illud nomen, quamvis rarius, XNOYΦIC quoque scribitur (*Capell.* 157. *Montfauc. Tab.* 151. *Rasp.* 354), et XNOYΦI (*Molinet Tab.* 29. *n.* 19. *Montfauc. Tab.* 155); quin semel etiam tum XNOYB (*Rasp.* 549) tum XNOYBC (§. 485), tum KNOYΦIC (§. 486). Champollion quidem (*l'Egypte sous les Phar. I. p.* 394. *n.* 5) affirmat in ejusmodi gemmis scriptum illud nomen legi NIΦ-US; sed hoc orthographiae monstrum ego quidem in nulla animadverti. Singularis denique ratio hoc nomen scribendi est XPOYBIC, quod in extrema hujus gemmae



ora, teste Caylo (*V. p.* 70. *Tab.* 23), incisum est, quamvis per imaginem haud dubitare liceat, Chnubin debere intelligi. Illustris ille vir mendo artificis scriptionem tribuere est paratus, ignorans scilicet haud raram literarum *r* et *n* permutationem (*Maittaire de dial. p.* 383. 387). Namque in ejusmodi gemmis (§. 576) legitur quoque CECENΓΕΡ pro CECENΓΕΝ. Potuit etiam fieri, ut Judaeus quidam Alexandrinus pro Chnubis mallet nomen sibi magis notum כרוב in gemmam incidere. Haud enim semel ejusmodi ex sonorum similitudine variatarum vocum exempla deprehendere nos nobis visi sumus (§. 116. 458. 474).


Ad significationem nominis quod attinet Salmasius (*de ann. climact. p.* 566) jam observaverat, voce XNOYB aurum denotari; 485.
qua quidem de notione nemo dubitabit, qui articulum litera X praepositum agnoverit. In eo tantum incertum me haerere fateor, utrum terminatio IΣ Graecis tantum tribuenda, an aliqua certe

ex parte a Coptica lingua petenda sit? Hujus enim gnari haud ignorant litera Σ, vocibus in fine adjecta, nomina formari derivata (*Scholtzii gr.* §. 14. *p.* 14). Certe XNOYBC etiam legitur in gemma quadam (*Rasp. n.* 555). Accedit ad firmandam Salmasii interpretationem quod omnes Chnubidis imagines caput habeant radiis circumcinctum (§. 484. 487) et leonis quidem, quod solare esse animal novimus, addito in quadam (*Molinet. tab.* 29. *n.* 19) etiam Scarabaeo, itidem Soli sacro (§. 487); quibus omnibus Solis recordari monemur, qui vere XNOYB, auri nomine (*Virg. Georg.* 1, 232. *Valer. Flacc.* 4, 92) cognominari potuit.

486. Aliam nominis Chnubis interpretandi viam Jablonskius ingressus est, eumque deinde secutus Champollion (l. c.). Ille enim postquam observaverat (*panth. I.* 90) nomen *Κνηφ*, quod idem esset, atque Chnuphis, a veteribus verti agathodaemon, ut huic interpretationi Aegyptiacam scriptionem accommodaret, finxit (*p.* 91) Ḫ-NOYϤI. Quae licet a viris Copticae linguae me longe peritioribus sic doceantur, contorta tamen illa explicatio et parum simplex mihi videtur. Ac dubito an *Κνηφ* et *Χνουβις*, unum idemque nomen sit, quum praeter illud *Κνηφ* Graeci omnino diversa ratione *χνουβις* et *χνουμις* in libris etiam scripserint. Namque non solum Hephaestion hoc nomine cum μ scripto utitur, sed Celsus etiam apud Origenem (§. 329). Quod autem Jablonskius (*p.* 87) affirmat, nomen apud Strabonem (*L.* 17. *p. m.* 944) *Κνουφις*, a K incipiens, in gemmis etiam Abraxeis legi, id semel tantum (*ap. Caylum. VI.*

Tab. 19) observavi. Et quamvis literae K et X interdum inter se permutentur, nec non Jablonskius (92) vitiosae Graecorum pronuntiationi tribuat, quod litera I in voce *ιχ* (IϨ) omissa sit; semper tamen unum idemque vitium in tot gemmis hoc nomine insignitis redire, vocemque duabus literis IϨ compositam una tantum, eaque extrema, scriptam esse, vix credi potest. Quodsi viri illi doctissimi, Jablonskius et Champollion, notionem agathodaemonis ex illo nomine omnino elicere volebant; facilius a vocabulo NOYϤI, quod *bonus* sonat (*Rossi* 138) praesidium petiissent. Certe XNOYϤI significare *κατ' ἐξοχην* agathodaemonem potuit, nec video cur in daemonis nomine daemon etiam exprimendus erat. Atque illud nomen *Κνεφ*, cujus imago a Chnubis figura omnino diversa et quasi *regis* (§. 487) describitur, ex articulo K, et voce NEϤ compositum esse videtur. Quae quidem vox quamvis pro *navis gubernatore* proprie accipiatur, (*Rossi.* 134 *f.*), apud Aegyptios tamen, quorum dii omnes navigio vehi fingebantur (§. 238), altiorem sensum, videlicet ejus, *qui regit*, habere potuit.

Nec magis Jablonskius sententiam suam probavit imaginibus, 487. ad quas provocat. Illas enim prorsus diversas ab imagine *του Κνεφ* esse quilibet animadvertet, qui Chnubin in gemmis nostris adscripto ejus nomine tanquam serpentem erectum et capite radiato insignitum consideraverit, uti in illo, quod superiori loco (§. 484) dedi, et hisce exemplis, quae ex multis aliis infra producendis selegi, comparet:



Haec igitur Chnubis figura est. Illum autem Kneph Porphyrius (*ap. Euseb. III*, 4. §. 11. *p.* 115) ait „humana specie configurari, colore caeruleo eoque nigrante, cingulum ac *sceptrum* manu tenentem, in capite *regium* ex penna galericulum gestantem.“ Eundem ante hunc scriptorem jam Philo, Sanchuniathonis interpres (*ap. Euseb. I*, 7. §. 10. *p.* 41) dixerat „capite accipitris insignitum fuisse,“ (*conf. Porphyr. de abstin. IV*, 9. *p.* 326) id quod Jablonskius (*p.* 86) tacens ad alium apud eundem Philonem locum se convertit, quo agathodaemonem serpente *in circulo* posito significari traditur, cujus tamen descriptioni quod additum est ille itidem omisit, nempe „totam figuram Graecae literae Θ persimilem esse.“ Neque haec igitur descriptio cum constanti in gemmis nostris Chnubis imagine convenit. Quod ut clarius perspiceretur, atque etiam ut illa cum litera Θ comparatio magis illustraretur, gemmam ad hunc locum depinxi, quam edidit quidem Passerius (*I.*

Tab. 30), sed ad illustrandam eam (*Il.* 77) omnia alia praeter insignem illum Philonis locum attulit. In gemma hac:



caput Solis radiatum cum tribus stellis facile agnoscitur. Medio loco fulmina subjecta esse videntur. Non enim a Sole sive Apolline fulmina aliena esse pluribus docuit Cuperus (*Harpocr. p.* 98). Inferius autem ille agathodaemon et mundus comparent, quorum integram figuram persimilem esse Philo dixerat literae Θ. Repens igitur hic serpens cernitur, seu, ut Philo ait, extentus (τεταμένος), cujus caput (videant, quibus gemmam inspicere licet, num forsan accipitris sit) nullis ornatum radiis, ita ut prorsus ei dissimilis serpenti sit, cujus imagine Chnubis repraesentatur, et ille potius spiritus esse videatur, quem Apollo (*ap. Lactant.* 1, 7) alloquitur

πανσοφε, παντοδιδακτ᾽ ἑνολονστροφε! quem Horapollo (61) dicit „universum *orbem permeare,*" quemque philosophi ajunt *omnia pervadere.* Conferri etiam potest Macrobius (*somn. Scip. I,* 14) in commentario ad pulcherrimos Virgilii (*Aen. VI.* 724) versus a Minucio Felice (*c.* 19) jam observatos:

Principio coelum ac terras camposque liquentes
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet;

quibus profecto ad Platonis (*in Tim. Tom. X. p.* 9. *Bip.*) *animam mundi* (§. 527) poeta respexit, pariter atque in hisce (*Georg.* 4, 220):

Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aetherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, coelumque profundum.

Quam antiqua autem illa serpentis orbem transeuntis imago fuerit haec figura docet, quae inter hieroglyphica Aegyptiorum signa (*Spiker Journ. der Reis. LI.*) reperitur:



Quare serpentem globo adhaerentem Viscontius (*mus. Pio-Clem. V. tab.* 29. *p.* 190) melius forsan *anima mundi* quam *aeternitate* explicasset. Frustra quoque Jablonskius (*p.* 85) ad Herodoti serpentes Aegyptiorum innoxios provocat. Quamvis enim, quod ma-

jus est, hos ipsos agathodaemones ab Aegyptiis teste Lampridio (*in Heliogab.* 28) appellatos, et aspidem quoque ab iis pro patrio deo cultam esse (*Philopon. in Fabr. bibl. Gr. IX.* 361) addere potuisset; nullis tamen argumentis probari potest, eosdem illos fuisse, qui Chnubis nomine appellantur. Quin contrarium potius ex binis cornibus, quibus illos praeditos esse, Herodotus affirmat, colligi potest. Chnubis in gemmis nostris erectus similior serpenti videtur ei, quem in Aegypto Alpinus (*rer. Aeg.* 14, 4. *p.* 214) ait, „multo tempore rectum manere et progredi in terra posse."

Quibus omnibus si aliud nihil probaverim hoc certe cogi ar- 488.
bitror, dubium adhuc illius nominis etymon esse. Sed nobis nosse sufficit, seriori licet tempore tertium Cancri decanum, qui Hephaestioni (*ap. Salmas. de ann. clim.* 611) et Celso (§. 330) *Χνουμις* est, hoc nomine esse denotatum. Atque hunc eundem esse, qui toties in amuletis comparet, ex eo persvasum habeo, quod Celsus „ab invocatis *decanis* singulos *morbos*" affirmat „sanari singularium nimirum corporis humani partium illorum tutelae subjectarum (§. 329)." Eundem etiam esse arbitror „draconem *radios habentem*" quem ex Necepsi regis praeceptis Aetius jubet in Jaspide insculpere, de quo infra.

Ceterum, si quis auctoritatem solam spectare maluerit, haud 489.
inficior, illam Jablonskii mea longe esse majorem; praesertim quum ipse Zoega (*num. Aeg. p.* 35) illius explicationem comprobaverit, et unum idemque nomen esse contenderit Kneph et Eneph,

et Chnubis, et Anubis, et Mnevis, et Canopi etiam! Qua quidem sententia omnia, quae antiquarum rerum periti adhuc didicerunt, miro modo turbat. Qui, Canopum vel deum vel genium eundem quos reliquos illos esse dum statueret, dixisset velim, quo tandem retulerit Sarapidem illum, quem a Corinthiis ἐν κανώβῳ cognominatum fuisse Pausanias (2, 4, 7) refert? Est autem praesertim agathodaemonis nomen, quo Jablonskium secutus doctus ille Danus opinionem suam fulciri arbitraretur. Illo enim epitheto quum non solum Chnubis, sed etiam Canopus a Graecis appellatus esset, hos non diversos fuisse imprudenter omnino conjicit, quasi nimirum reliqui omnes cacodaemones fuissent, nec plures inter illos in bonorum geniorum censum venire potuissent, nec nobis jam pridem notum sit bonos genios plerumque serpentium imagine denotari.

490. Equidem quamvis tutior sub illorum virorum alis degerem, ex rationibus tamen hactenus expositis a me impetrare non potui, ut in eorum sententiam transirem. Multo etiam minus mihi probantur haec Jablonskii (*p.* 89) verba: „gemmae gnosticorum (!) in quibus κνουφις (χνουφις) legitur, serpentem sive agathodaemonem, per quem Christum dominum subinnuunt (?) semper oculis nostris“ (verius dixisset *meis*) „objiciunt!“ - - At vero, quaeso, unde vir doctus didicerat, gemmas Chnuphis nomine inscriptas omnino esse gnosticorum? Vel ubinam tandem legerat hos unquam illo nomine usos esse? Sed theologis proprium esse vide-

tur in omnibus ejusmodi gemmarum imaginibus Christum videre, sive Serpens in eis repraesentatus fuerit, sive Leo, sive Sol, cet. Nec ulla fere res est, quam cum Christo non comparaverint pii illi viri (§. 31. 49). Namque

„Judicibus lites, aurigae somnia currus!“


In eo denique a Jablonskio etiam dissentiendum esse censeo, 491.
quod (*panth. I.* 94) nomen apud Jamblichum (8, 3. *p.* 158) *ημηφ*, aliorum (*Huet. dem. ev.* 4, 4, 8. *p.* 85. *Pignor. mens. Is. p.* 6. *Gale ad Jambl.* 301) opinione ductus corrigere, et *Κνηφ* legere jubet, repugnantibus licet omnibus Jamblichi libris scriptis. Profert ille haec quidem Jamblichi verba: *προταττει* (Hermes) *θεον τον Ημηφ των ἐπουρανιων θεων ἡγουμενον;* sed omisit quae sequuntur *ὃν φησιν νουν εἱναι αὐτον, ἑαυτον νοουντα και τας νοησεις εἰς ἑαυτον ἐπιστρεφοντα.* Quae si respexisset profecto nihil in illo nomine corrigendum esse statuisset vir ille Copticae linguae sane peritus, quum ab EMI, *cognitio*, et Ϥ, *ipsius*, nomen Graece scriptum ΗΜΗΦ potuisset deducere, quemadmodum recte quidem id interpretatus Rossius (*etym.* 59) est.

Quo saepius autem Chnubis nomen in gemmis legitur, eo 492.
magis miramur, in iisdem *Anubidis*, quamvis figura ejus haud raro conspiciatur, nomen nunquam reperiri. Qui enim id legere in gemma (§. 487) exhibita et infra explicanda, sibi visi sunt, me quidem judice simili vocum sono decepti erraruut. Attamen nomen ipsum esse ’ΝΝΟΥΒ *aureus*, adjectivam nimirum a ΝΟΥΒ

derivatam vocem, probe docuit Jablonskius, cujus verbis, quibus de statua Anubidis *aurea* (*in panth.* 5. *p.* 19) egit, addenda sunt, quae Theophilus Corydalus (*c.* 44. *in Fabric. bibl. Gr. XIII. p.* 724) refert „Rhodiorum colossum ex aere constare, Aegyptiorum autem *Anubin* ex *auro.*“ Sed silentio hic praeterire nolim, reperiri non solum nominis sono, sed interpretatione etiam simile Hevaeorum numen (4. *Reg.* 17, 31) quod נבחז appellatur et ab interpretibus *latrator* vertitur, ita ut in memoriam nobis redire necesse sit ille Virgilii *latrator Anubis.* Nec tamen recte ex hisce colligitur Semiticum a נבח illud esse nomen. Saepe enim vidimus veteres nominum propriorum etymon quaerentes similitudine soni cum re esse deceptos. Extremum praeterea Ṣain, quod semper radicale, ut vocant, est, illam sane deductionem respuit. De Graecorum et Romanorum in scribendo illo nomine orthographia non erat quod disputarent viri docti (*ad Lucian. T. II. p.* 482. *Bip.*); namque, ut in nominibus peregrinis assolet, saepe vitiosa est. Ita et *Ἀνιουβις* in Graeca legitur inscriptione (*Prideaux ad marm. Oxon.* 287). Sed nequaquam viri illi Luciani libros scriptos, in quibus *Ἄννουβις* legitur, corrigere debebant. Quamvis enim Ciceronem respiciens (§. 385) communem scribendi usum impugnare nolim, propius tamen *Ἄννουβις* ad Aegyptiacum 'ΝΝΟΥΒ accedit, quam *Ἄνουβις*, quod temere apud Lucianum reposuerunt (*conf.* §. 6). Observandum praeterea est saepe confundi cum Anubide tum cynocephalum, tum Hermanubidem. Licet enim Por-

phyrius (*ap. Euseb.* 3, 4, 11. *p.* 114) scribat, *Aegyptios* Mercurium nominasse *Hermanubin;* ex nomine ipso tamen patet, Graecos in Aegypto commorantes designatos a Porphyrio esse. Equidem Anubidis veram Aegyptiacam figuram minime agnosco quoties ille caduceum manu tenet.

Praeter illa nomina, quae frequentius in gemmis leguntur, 493.
alia etiam in eis obvia sunt quum angelorum (§. 194. 298. 299. 302), tum etiam virorum, quos prisca aetas celebravit, ut patriarcharum (§. 495) et maxime illorum hominum, qui credebantur magiae peritissimi fuisse. Exemplo sit gemma (*ap. Sponium in misc.* 297. *n.* 18. *et Montfauc. tab.* 156) haec:



in cujus adversa facie serpenti adscriptum est: CABAΩ IAΩ: in aversa autem: MOYCH, Hebraeum nempe nomen (משה) Graecis literis scriptum. Neque erat quod Sponius dubitaret, utrum *Musa* intelligenda esset, an *Moses?* Praeterquam enim quod serpens Judaeis morborum averruncandorum causa ab hoc erectus (§. 512 *f.*) eum satis prodere videtur, Mosen ipsum tum ab Appulejo (*de mag. p.* 580. *Oudend.*), tum a Plinio (30, 1. *p.* 524) inter magos recenseri novimus; atque suis adeo temporibus, Plinius addit, *Mosaicam* magiam a Judaeis exerceri. Eadem de causa in alia

gemma (*Spon. misc.* 297. *n.* 17. *Montfauc. tab.* 164) legitur: ΙΑΩ ΣΟΛΟΜΟΝ ΣΑΒΑΩ. Librorum enim magicorum, quos vulgo Solomoni adscribunt, veteres jam scriptores mentionem faciunt, nec non de incantationibus, quibus ille usus fuerit, Josephus (*v. supra.* §. 79) loquitur, (*conf. Fabric. in cod. pseudep. vet. test. I.* 1032. 1036. 1039. 1043. 1050) atque omnibus quoque notum id amuletorum genus est, quod sigillorum Solomonis nomine (*Cangii utrumque glossar.*) circumfertur. Neque miraremur, si aliquando amuletum reperiretur, in quo Apollonii Tyanei nomen esset insculptum (§. 90. 96. 138).

494. Ita et Abrahami in amuletis nomen obvium esse ex gemma didici, quae in Cassellano museo asservatur. Edidit eam Capellus (*n.* 25) haud tamen accurate. Neque id mirum: minutissimis enim literis inscripta est, ita ut nec mihi licuerit omnia legere. In aversa gemmae facie inscriptio incipere videtur a literis singulis, Z, T ceterisque quas non intelligo. Deinde interpositis quoque signis aliisque literis, inter quas vox λογος perspicua est, haec leguntur: ΧΑΡΙΖΟΜΕΝΟΝ ΟΝΟΜΑ ΑΒΡΑΑΜ, quae Montfauconius quidem (*pal. Gr.* 179) vertit „*qui dat* nomen Abrahae," vel „*qui dedit* nomen Abrahae (*ant. II. p.* 369. *suppl. II.* 213): multo autem melius participium illud ad ὄνομα referendum erat, quod ipsum nempe esset gratificans. Similiter enim δος μοι χαριν – κρυπτον – ὀνομα in alia ejusdem musei gemma legitur, quam Capellus (*n.* 14) minus accurate edidit; et *gratiosos fieri* exspectasse homines ab amuletis infra do-

cebimus. In illius denique gemmae adversa facie circa finem lego ΙΑΩ ΘΕΟC CΑΒΑΩ ΙΑΩ ΙΑΩ ΥΠΟ CΗΝ ΘΕC ΔΙΑΦΥΛΑΞΟΝ. Quorum extremum verbum postulare videtur, ut participium *θεις* intelligamus, et post *σην* suppleamus *ἐπιτροπιαν* sive simile quidquam. - - In alia Gemma cujus tamen verba inscripta non intelligo (*Gor. inscr. Etr. I.* 456) bis *Abram* legitur Graecis scriptum literis. Minime vero si quod Judaicum nomen in amuletis reperitur illico inde conjici licet a Judaeo auctore id profectum esse. Istud enim circulatorum genus qualiacunque auxilia implorabat sine ullo vel rituum vel religionis discrimine. Sic *Judaeos* legimus (*act. apost.* 19, 13) adjurasse daemones *in nomine Jesu* quem Paulus praedicasset. De nomine *Damnameneus*, in amuletis etiam obvio, infra (§. 504) videbimus.

Neque hic silentio praetermittendum nomen Alexandri est, 495.
quippe qui, in deorum numerum adscitus (*Aelian. var.* 2, 19. *Cyrill. contra Julian* 204. *Lamprid. in Alex. Sev.* 5), ab Alexandro Severo in larario majore inter divos et optimos consecratus esset (*Lampr.* 31 *f.*). Unde Trebellius etiam Pollio (*trig. tyr.* 14), postquam illius imaginem in Macrianorum familia admodum frequentem fuisse narraverat, haec addidit: „quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.“ Quo cum testimonio conjungenda omnino sunt haec Chrysostomi (*homil.* 21. *ad Antioch.*) verba: „quid vero diceret aliquis de his, qui carminibus et ligaturis (§. 67

sequ. 162 *f.*) utuntur, et de circumligantibus aerea *Alexandri* Macedonis numismata capiti vel pedibus?" (*add. Gretser. de cruce* 4, 47. *p.* 670). Numorum enim non nunquam eundem, quem gemmarum usum fuisse legis Romanae (28. *D. de usufr.*) haec verba docent: „Nomismatum aureorum vel argenteorum, *quibus pro gemmis uti solent,* ususfructus legari potest."

496. Hactenus de nominibus propriis. Appellativorum, quae in amuletis reperiuntur ratio maxime variat. Sunt enim in eis nemini non nota; sunt intellectu difficiliora; sunt difficillima, quin prorsus etiam ignota. Quorum verborum varias causas si quis quaerat, ei praesertim respiciendum esse arbitror ad precum et invocationum, quibus prisci utebantur, rationem. Neque enim illico, voces, quas non intellegit, fictas esse et omnino nihil significare, credat: quamvis haud negemus, fieri potuisse, ut qui lucri causa amuletis vendendis emtores decipere vellent, nihil significantia verba excogitarent, quo major incognitis adfingeretur vis et efficacia. Ita Maimonides (*idolol. c.* 11. §. 11) ad quaestionem: quis sit incantator? respondet „qui verbis utitur nulli genti usitatis et nihil significantibus, persvasurus hac stultitia aliis, verba ista esse profutura.

497. Magicis quidem artibus deditos homines aliquando susurros et, sicut est apud Psellum (*v. Clerici op. phil. ibique Stanley. s.* 2. *c.* 9. *p.* 241) „sonos inconditos et belluinos edidisse" ferunt. Sed soni isti ore tantum prolati, non literis mandati erant, nec man-

dari poterant. Ipsique poetae articulatas magorum voces ab illis probe distinguunt (*Lucan. Phars. VI, 586. sequ.*). Ac mihi quidem hoc inprimis credibile videtur, omnino in invocationibus adhibendis distinxisse veteres inter preces *diis* faciendas et invocationes *magicas*. Illas enim clara voce proferebant, et solis interdum vocalibus (§. 260); has *susurro* tantum et *murmure*, quia non nisi secreto ac furtivo modo istas artes exerceri posse vulgaris opinio ferebat. Certe omnes, quae leguntur, magicarum incantationum descriptiones in eo conveniunt. Hinc Orphei (*argon.* 1000. 1001) draconem sopituri verba compressis labiis submissa neque articulata erant. Hinc apud Ovidium (*met.* 14, 58) Circe „carmen magico *demurmurat* ore.“ Hinc apud Lucanum (6, 448) legitur „*infandum* tetigit cum sidera *murmur;*“ et paulo post (6, 686) „confundit *murmura* primum.“ Hinc apud Juvenalem (6, 539) „meditataque *murmura* praestant.“ Hinc apud Tibullum (2, 47) „jam tenet infernas magico *stridore* catervas.“ Hinc apud Flaccum (7, 464) „et totum septeno *murmure* fertur.“ Hinc Appuleji denique (*met. I. p.* 17. *Oudend.*) verba „magico *susurramine* amnes agiles reverti“ cet. et illius etiam magiae descriptio (*apolog. p.* 504. *Oud.*) quam affirmat „occultam non minus ac tetram et horribilem, plerumque noctibus vigilatam et tenebris abstrusam et arbitris solitariam et carminibus *murmuratam* esse.“ - - Ad deos certe prava tantum et impia vota, qualia Petronius (*c.* 88 *f.*) describit, voce ferebantur *depressa*. Quare Lucanus (5, 103) „*tacito*“ canit „*mala*

vota *susurro* concipiunt;" et Persius (2, 4) „quae nisi *seductis* nequeas committere divis" ea appellat, pergitque „haud cuivis promtum est *murmurque* humilesque *susurros* tollere de templis et *aperto* vivere *voto*." Confirmat haec Seneca (*ep.* 10. *p.* 402 *f. Lipsii*) ad illud egregium Athenodori „tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil deum roges nisi quod rogare possis *palam*" animadvertens „nunc autem quanta [illegible]mentia est hominum *turpissima* vota diis *insusurrant*." Ita ille etiam, quem Horatius (*ep.* 1, 16, 60) pungit

Labra movet, metuens a u d i r i *: Pulcra Laverna*
Da mihi fallere: da justo sanctoque videri:
Noctem peccatis et fraudibus objice nubem;

Atque a remotissimis inde temporibus illud, quod statuo, discrimen fuisse ex linguis etiam colligi potest. Hebraeis enim אט *levis strepitus*, אטים *incantantes* significantur (*Simon h. v. Gesen. ad Jesaj.* 19, 3. *I.* 604). Chaldaeis רטן *incantans* aeque ac *murmurans* valet. Germanis vox *raunen* est *susurrare*, quod olim *runen* pronuntiabatur duplici quidem sensu. Etenim *Rune* mysterium significat, et quoniam omnibus populis adhuc rudibus et incultis scriptura solet mysterium quoddam videri (*Bild. und Schr. II.* 54); literae etiam *Runen* appellatae sunt, in primis vero *magicae* (§. 14).

498. Erant autem alia verba, articulata quidem illa, quin et literis mandata, quae non magis intelligerentur. Eusebius (4, 1. *p.* 132) „cantationes" inquit „nescio quas adhibent cum *ignota*

quadam et barbara invocatione conjunctas:" et alio loco (3, 5. *p.* 196): „deos barbaris *omnique significatione carentibus* sonis ac vocibus inescare conantur:" et ipse Jamblichus (3, 24. *p.* 91) scribit: „invocationes *soli deo*, quem invocant, *notae* canuntur" (*conf. supra* §. 77). Quas quidem in amuletis voces Serenus Samonicus (*c.* 51. *v.* 938) „verborum *monstra*" appellat. Unde etiam Fabrettus (*inscr. p.* 531) „vanum esse," scribit, „ea interpretari, quae ipsimet repertores non intellexerint." Ego vero, etiamsi haud negaverim, serioribus praesertim temporibus amuletorum auctores formulas non nunquam adhibuisse, quarum sensum nec ipsi intelligerent, magnam nihilominus vim ac potestatem eis inesse vel sibi vel aliis persvaderent; minime tamen inde adducor, ut in omnibus amuletis idem hoc factum esse arbitrer. Imbecillitas enim hominum et ignorantia impedimento esse solent, quo minus, quod est inter fictas et veras voces discrimen internoscere valeant, efficiuntque, ut, quae non intelligant illico verba nihil significantia esse statuant.

Causae autem, cur difficilius intelligantur verba in amuletis et 499.
incantationibus obvia, plures esse videntur. Quarum omnium maxima et gravissima est, quod voces ad linguam aliquam pertinent peregrinam. Priscos certe in sacris peregrina saepe lingua usos esse, ex Pausaniae loco (§. 345) ostendi. Cujus rei haud ignarus Martianus Capella (*L.* 2. *p.* 45) „Philologiam virginem" fingit „precatam veterum ritu vocabula quaedam voce mentis inclamasse se-

cundum *dissonas nationes* numeris *varia*, sono *ignota.*" Ac de ejusmodi verbis, quae incantatoribus usitata sunt, haec Plinius (28, 2. §. 4) profert: „haud est facile dictu *externa* verba atque ineffabilia abrogent fidem validius, an Latina *inopinata*, et quae ridicula videri cogit animus semper aliquid immensum exspectans ac dignum deum movendo, immo vero quod numini imperet."

500. Fuisse etiam hominibus dictiones quasdam solemnes (§. 77), quas iisdem verbis frequenter repetitas per longum temporis spatium conservaverint, omnis fere antiquitas testatur. Ac primo quidem verba illa ab eis intellecta fuisse non est quod dubitemus. Progressu autem temporis plurimi significationis illorum ignari, non nisi sonos retinebant, illorumque verborum usum affectabant. Quae quum nemo denique intelligeret, mutilata etiam sunt et corrupta.

501. Ad verborum in amuletis inscriptorum rationem et indolem cognoscendam ut viam nobis aperiamus, quaecunque his similia apud veteres obvia sunt conquiramus oportet et in examen vocemus. Magnam et mirabilem quum nominibus, tum etiam verbis quibusdam vim et efficaciam adtributam fuisse, supra (§. 107. 109. 113) monuimus. Cujus rei causa videbatur, quod verba illa vel grata (§. 77. 114) vel formidanda diis et daemonibus essent. De vocibus quibusdam, quibus Aegyptii quoque deos elicuerint supra (§. 346) egimus.

502. Sed in iisdem Aegyptiis Porphyrius (*ad Anebonem epist. p.* 6.

Euseb. 5, 5, 10. *p.* 198) reprehendit, quod *minas* etiam in incantationibus adhibuerint: „Quod omnium absurdissimum est," inquit, „non jam vulgari cuipiam daemoni aut defuncti animae, sed ipsimet Soli, siderum principi, Lunae, reliquisque diis coelestibus homo cuilibet vitio obnoxius *minas* intendit." . . Quod quidem negans Jamblichus (6, 5. *p.* 147) qui personam sustinet Anebonis respondet „ea ab hominibus minime jaculari adversus Solem et Lunam aut aliquem e coelitibus alium; sed in daemones" et paulo post (*c.* 7. *p.* 149) „Chaldaeos, quum apud eos distinctus purusque solorum deorum cultus sit, nunquam minis uti: Aegyptios vero, quum permisceant cum symbolis deorum etiam ea quae ad daemones pertineant, ad minas ejusmodi aliquando devenire." Quem quidem morem utique valuisse ex eo colligitur, quod ipsa animalia sacra non solum minis ab Aegyptiis perterrebantur, sed morte etiam mulctabantur, si auxilium ab eis petitum frustra exspectatum esset. Quod fieri Plutarchus (*de Iside* 380) hisce verbis docet: „quum gravis aliqua calamitas incubuerit abducunt animalia sacra, *quae colunt*, in tenebras; terrent ea minis, et si malum durat immolant." Ex quibus verbis num forsan obscuro illi apud Plinium (2, 7. *p.* 73) loco: „monstra quoque *quae colunt* damnant" lux afferri possit, alii videant. Nobis id quoque observandum videtur, magicis artibus deditos apud Graecos etiam et Romanos minis usos esse (§. 129. 585). Ita enim homines fuisse superstitiosos, quemadmodum jam ab initio hujus libri animadverti, praeter

multa ejusdem generis et haec exempla docebunt. Tyrii testibus Diodoro (17, 41 *et* 46) et Plutarcho (*in Alexandro p.* 678) Apollinis dei colossum non solum catenis vinxerunt, sed hunc deum etiam contumeliose *Alexandristam*, ut ita dicam, appellarunt. Ne vero Christianos tali superstitione minus imbutos fuisse credas, audias velim Martini de Arles (*de superstit. Rom.* 1560 *ab init.*) haec verba: „Est antiquus usus in oppido quodam archidiaconatus de Ussum, ut, cum aliqua necessitas tempore siccitatis fructibus ingruerit, imaginem beati Petri ad oram fluminis deferant. Aliqui tamen eorum quaerunt ab ipsa imagine dicentes: S. Petre succure nobis in hac necessitate positis, ut impetres nobis a deo pluviam. Hoc prima, hoc secunda, hoc tertia vice; et cum ad singula nihil respondet, clamant dicentes: *submergatur beatissimi Petri imago*, si nobis apud deum omnipotentem gratiam expostulatam pro eminenti necessitate non impetraverit! Respondent aliqui de primatibus, non equidem ita fieri: nam tamquam bonus pastor impetrabit gratiam; et ita datis fidejussoribus pro parte B. Petri (ut asserunt ipsi coloni) numquam fuerunt decepti, neque destituti in necessitate et desiderio suo praesertim pluviae, quin intra 24 horas pluviam habuerint.“ Nonne haec legenti Jupiter ille pluvius (*Pausan.* 9, 39, 5) et facete de eo ab Aristophane (*in nub.* 366 *sequ.*) dicta in mentem veniant necesse est? Nonne audire sibi videbit Atheniensium *ὕσον, ὕσον, ὦ φίλε Ζεῦ?* Nec dissimilia absurda illa facta sunt, nisi agendi ratione, qua Tyrios et

Athenienses Christianis multo urbaniores et humaniores fuisse observamus.

Invocationes pariter atque in sacris faciundis preces verbis qui- 503.
busdam conceptae erant, quae toties deinde repetita, ut Quinctilianus (1, 6) ait, mutari vetabat religio. Apud Persas, Ammiano (33, 6) referente „piaculum erat aras adire vel hostiam contrectare antequam magus *conceptis precationibus* libamenta diffunderet praecursoria." Usitatas apud Romanos ejusmodi formulas permultas easque varii generis Brissonius in aureo de formulis libro summa cum diligentia collegit. Neque enim in jure tantum sed in aliis etiam negotiis praesertim in religiosis illae adhibebantur. Ita templorum dedicatio verbis solemnibus facienda erat (*Plutarch. in Poplic. p.* 104): ita ludi non rite facti censebantur, si aedilis verbo aberrasset (*Cic. orat. de harusp.* 11). A quibus igitur formulis ne quod verbum abesset, erant qui precantibus praeirent. Sic appropinquantibus post Alliensem victoriam Gallis Romanorum primarios senes pro patria se devovisse, M. Fabio, pontifice maximo carmen praefante, ferunt (*Liv.* 5, 41). Similiter Decio consuli sese devoventi pontifex populi Romani verba praeire jussus est (*Liv.* 8, 9). Eandemque rem Juvenalis (*sat.* 6, 390) tangere videtur verbis: „stetit ante aras .. *dictata*que verba pertulit, *ut mos est.*" „Et ne quid verborum praetereatur" inquit Plinius (28, 2, 5) „aut praeposterum dicatur, de scripto praeire aliquem vidimus: rursusque alium custodem dari qui attendat." Verba igi-

tur non magis mutare fas erat quam nomina, de quibus supra (§. 113. 115) diximus.

504. Pariter Graecis preces fuisse verbis solemnibus conceptas et immutabili scriptura in templorum parietibus vel fixis tabulis consignatas Galeus (*ad Jambl.* 294. 295) ex Proclo (*in Tim.* 2) docet, et exempli causa Eliadum affert hymnum. In votis etiam rite faciendis populus praeeuntium verba repetebat (*Diodor.* 20, 50). Ab illis autem precibus et supplicationibus, quas cum recentioribus Christianorum *litaniis* Heynius (*opusc. VI.* 259. *f.*) confert, originem traxisse invocationum et amuletorum formulas supra (§. 76. 77) demonstrare studui. Quarum formularum antiquissimum apud Graecos exemplum praebent illa quae Ephesia grammata vocantur, ita nobis tradita „*Ασκι κατασκι λιξ τετραξ δαμναμενευς αισιον.*“ Quae quantumvis barbare sonarent ex Graeca tamen lingua explicare conatus est apud Clementem Alexandrinum (*strom.* 5. *p.* 568) Androcydes Pythagoricus, cujus verba etiam Hesychius, quamvis corrupta, profert. Qualiscunque autem eorum sensus fuerit, sane magicam in illis inesse virtutem superstitiosi credebant homines (*Suidas et Eustath. Cuper. apoth. Hom.* 270). Unde Plutarchus (*sympos. VII.* 5. *f. p.* 706) „magos“ ait „occupatos a malis geniis jubere Ephesia verba recitare.“ Minime igitur esset, quod miraremur, si in amuletis quoque eorum vestigia invenirentur vel reliquiae. Certe in quadam ΔΑΜΝΑΜΕΝΕΥΕ et in alio DAMNAMENEY obvium esse infra docebo. Accedit et tertium, in quo Ra-

speus (*n.* 491) refert „ΔΑΜΝΑΜΕΝΟΥ legi: sed pro litera Є rotunda, in gemma ipsa incisa, fortasse perperam legerit O. - - Jam vero quum inter ultima Ephesiorum verba legatur *δαμναμενεύς;* equidem fere eo adductus eram, ut crederem illa in amuletis verba hoc imitari. Sed cautior posthac factus de ista interpretatione dubitavi. Est enim Eusebio (10, 2. 6. *p.* 475) *Damnameneus*, Straboni (*X. p. m.* 538), *Damnaneus*, et in numo Antonini Pii (*Seguin. p.* 17) *Damneus*, nomen uni ex Idaeis Dactylis proprium, quos praestigiatores fuisse, qui incantamentis et sacris ritibus mysteriisque operam darent, et in Samothracia versantes non mediocrem insulanis stuporem incussisse, tradit Diodorus (5, 64). Cabirorum illos filios fuisse Sanchoniathon (*Euseb. p.* 36) significare videtur. Refert enim a Cabirorum seu Somothracum filiis herbas, venenatorum morsuum curationes, et *incantationes* inventas fuisse. Atque Plutarchus, qui de recitandis Ephesiis verbis disseruerat, alio loco (*de profect. virt. p.* 85) haec profert: „Qui Idaeorum Dactylorum nomina didicerunt, iis singulis sensim recitandis utuntur ad averruncandos terrores." Satius igitur in medio relinquimus disquisitionem, a quonam deducenda sint verba illa in amuletis obvia, utrum a nomine Idaei Dactyli proprio an ab Ephesiorum aliquo verborum. Quodsi de veritate interpretationis ab Androcyde profectae dubitare liceat; illud nomen non appellativum, sed proprium, etiam inter Ephesia grammata legi dixerim, quippe quod illo Plutarchi loco confirmari videatur.

505. Aeque barbara, atque Ephesia illa, quaedam ex iis sunt quae Milesii Brancho vati, ipsos a fame expianti, acclamabant. Praeeunti enim illi hisce verbis „μελπετε ὠ παιδες ἑκαεργον και ἑκαεργον" populus respondebat „βεδυ, ζαψ, χθων, πληκτρον, σφιγξ, κναξζβι, χθυπτης, φλεγμος, δρωψ;" quorum quantumvis horridorum verborum nihilominus interpretatio apud eundem Clementem (*p.* 570) legitur. Verba autem illa, quibus vates populo praeivit ab Homero (*Il.* 1, 473. 474) sumta esse videntur.

506. Jam vero cum barbaris ejusmodi formulis conferamus quasdam ex iis, quae in amuletis leguntur. Remedium huc referendum erit, quod a podagra praeservaturum, sic describit Alexander Trallianus (*l.* 12. *f.* *p.* 656. 657): „In laminam auream Luna desinente quae sequuntur scribito: μευ, θρευ, μορ, φορ, τευξ, ζα, ζων, θε, λου, χρι, γε, ζε, ων." Quibus haec verba addit: „quemadmodum Sol in hisce nominibus firmatur, et quotidie renovatur, ita hoc figmentum confirmatur, sicut prius: Jam jam cito, ecce enim magnum nomen dico in quo conquiescentia (ἀναπαυομενα, malim vertere „*refocillata*") confirmantur ιαζ, αζυφ, ζυων, θρευξ, βαιν, χωωχ." Atque ex his et illis vocabulis non nulla in amuletis hodieque leguntur veluti βαιν χωωχ (§. 274), et pro illis μορ φορ in aliis infra proferendis μερ φερ. Quid autem significent ipse fortassis Alexander ignorabat. In priori formula quibusdam vocibus facies quidem est Graeca; sed an vere Graeca sint, dubitare omnino licet. Certe si quam horum verborum cognitionem ha-

buisse Alexandrum existimare velimus, ad *quotidianam*, de qua agit, *Solis in istis nominibus renovationem* attendamus necesse est. Sunt enim huc referenda Porphyrii verba, qui (*in epist. ad Anebon. et ap. Euseb.* 5, 6. *p.* 198), postquam de Aegyptiorum precibus et votis disseruerat, ita pergit: „quae tandem ratio excogitari potest, quod *eundem Solem* commemorent vel *ex limo emergentem*, vel *loto insidere*, vel *navigio provehi*, vel *singulis horis* (?) formam commutare, ac varios *per singula Zodiaci signa vultus induere.*" Quo quidem loco omnes fere interpretes, Vigerus, Galeus, Jablonskius (*I.* 159) *καϑ' ὥραν* vertunt singulis *horis*, quamvis dubitare liceat, utrum duodecim diei partes intelligendae, an potius tempestates, vel vere, aestate, autumno, et hieme, vel transitu Solis per Zodiaci signa constitutae. Veteribus horas sive diei partes omnino ignotas fuisse contendit quidem Scaligerus (*de emend. temp. ab init.*) sive Herodoti immemor, sive aliter interpretatus locum (2, 109), quo Graeci a Babyloniis accepisse dicuntur *τα δυωδεκα μερεα της ἡμερης*. Quamvis autem neutiquam intelligamus quo pacto dici potuerit Solis faciem singulis diei horis mutari; hoc tamen voluisse Alexandrum ex aliorum scriptorum locis colligitur. Jamblichus enim (7, 3. *p.* 152) pariter Solem *τας μορφας ἀμοιβειν καϑ' ὥραν* affirmat; Macrobius (*Saturn.* 1, 21) taurum, Hermunthite Soli sacrum, tradit „insignem miraculis esse *convenientibus naturae Solis:* nam et *per singulas* HORAS *eum colores* mutare;" Martianus denique Capella (*I. p.* 20) refert „Solem

duodecim formas convertere a non nullis credi.“ Alexandri igitur formula, quamquam obscura, ad Solis tamen formas, certis temporibus mutandas, spectare mihi videtur.

507. Varias certe Solis formas gemmae exhibent, quas infra explicare tentabimus. In iis enim Sol aeque ac Porphyrius dixerat pingitur tum *loto insidens*, tum *navigio vectus* (§. 609. 611); porro modo debilis vel languescens proponitur, et lente procedens (§. 463) modo viribus pollens, vel capite Leonino praeditus, vel in Leonis signo commoratus, vel quadrijugos flagello incitans (§. 566).

508. Atque apud Romanos haud dissimiles Graecis illis formulae reperiuntur. Namque ut taceam, quae ad sacra pertinent, antiquissima Saliorum et Arvalium carmina, propius etiam ad amuleta accedunt ea, quae a rusticis adhibebantur malorum averruncandorum causa. Exemplo sit remedium, quod Cato (*de R. R. c.* 160. *p.* 126. *Gesneri* 1773) memoriae prodidit hoc: „Huat hanat huat ista pista sista domiabo damnaustra.“ Quae si minus intelligamus haud utique mirum est. Sunt enim Ephesiis vocibus similia, quae unumquemque sane interpretem vexare et deterrere valeant. Nihilo tamen minus persvasum habeo, illa eo tempore intellecta fuisse, quo in usu esse coeperint. Saepius enim accidit, ut verba frequenter repetita, et ea maxime, quibus rustici utantur, tum negligenter pronuntiata, tum mutilata adeo corrumpantur ac depraventur, ut Oedipo jam opus sit, qui ea explanet. Accedit, quod non solum incantatores, sed ipsi etiam rustici ama-

runt similes verborum exitus, ut in hoc uxoris illius apud Virgilium pastoris:

„Limus ut hic durescit
et haec ut cera liquescit.“

Quo factum est, ut extremae etiam voces mutarentur (§. 206). In illa autem Catonis formula rustici dixisse mihi videntur: „Fuat fanum; fuat ista pestis sistata (pro recentiori *stata*): domabo damna astrorum“ (*conf. Fest. voce hanula*). Namque *Haba* etiam pro *Faba* dicebant veteres docente Velio Longo; atque eandem harum literarum permutationem in lingua Hispanica remansisse videmus.

Sed plerumque ne divinando quidem assequi possumus, quo- 509.
nam modo verba, quibus superstitiosi homines usi sunt, adjumento sibi fore crediderint. Et auxit eorum obscuritatem ignorantia vel librariorum vel eorum, qui perperam ea repeterent. Sic in illis quae apud Plinium (28, 2. *p.* 447) legimus: „Attalus affirmat, scorpione viso, si quis dicat DVO, cohiberi nec vibrare ictus“ difficillime intelligitur quid sibi velit illa vox, quae hoc loco adeo est obscura, ut ne audax ille Harduinus eam explicaverit. Quodsi vel unus esset ex libris scriptis, qui levissima formarum mutatione C haberet pro O, conjicerem, voce DVC ex plebis ore emanata, quemadmodum apud Plautum aliosque scriptores (*Salmas. ad Tertull. de pallio p.* 207) invenimus, significari *ὕπαγε*, *duc te*, *recede*. Sed forsan Graecum verbum intelligendum *Δύω*, notione *occultandi se?*

510. Mittamus autem haec, quae meris utique conjecturis nituntur. Certiora sunt quae de decurtatis, vel quasi fractis illarum formularum vocibus observamus, quas Lucianus (*Necyom. c.* 9. *T. III. p.* 12) inde syllabarum nomine appellat. Ratio verba decurtandi sive a negligentia in pronuntiando originem traxerit, sive vera interdum et primigenia verborum haec priscorum forma fuerit (§. 407), in aliis certe scriptis aeque deprehenditur (§. 406. *sequ.*); sed in nullis magis quam in ejusmodi formulis; id quod exempla docent, quae modo protuli. Non autem decurtata tantum esse vocabula in iis videmus; sed persaepe etiam omnis inter ea desideratur nexus, ut in amuleto, quod infra interpretari conabimur verba: *Σαβαω, φως, ἀνατολη, χθων!* Cujus rei vestigia in hymnis jam deprehenduntur Orphicis.


511. Multae ex iis, quae ad averruncanda mala, conceptae sunt formulae, tum a similibus, tum a contrariis (§. 520) petitae esse videntur. Homines enim sibi persvaserunt inesse in rerum natura aliquid quod vel consentiat vel repugnet; quodque sympathiam vocant et antipathiam. Ita Proclus (*de magia ab init.*) „Veteres agnoverunt in rebus naturalibus cognationem quandam compassionemque aliorum ad alia, et in infimis suprema, in supremis infima: in coelo quidem terrena modo coelesti; in terra coelestia, modo terreno“ (*conf.* §. 449); et paulo post „ergo sacerdotes per mutuam rerum cognationem compassionemque adducebant, et per repugnantiam expellebant.“ Quin Jamblichus etiam (3, 28.

p. 98) „ipsam imaginum fictionem portionem aliquam genitalem, quamvis debilem, ab influxibus coelestibus haurire" arbitratus est. Ex recentioribus inprimis evolvendus Gaffarellus (*curios. inaud. per tot. cap. V*), cujus absurdam de hac re opinionem totam perspicies si haec ejus verba legeris: „Videmus quotidie figuras in similia operari. Ita Heliotropium, quod *guttulis sanguinis* distinctum videtur, *sanguinem* sistit membro, ex quo sanguis manet, applicatum.

Ad mirabilem quoque *imaginum* effectum translata est illa de 512.
similium vi ac potestate opinio. Hinc olim sibi persvaserant homines marmoreis ciconiis veras profligi, culice culices expelli (§. 161) plumbei crocodili signo veros coerceri (*Scalig. ad Cardan.* 196, 6. *p.* 637), triplici serpente ex aere conflato veros abigi posse (*Leunclav. pand. Turc. c.* 130. *addit. Laonico Chalcocondylae p.* 442). Astrologi enim docebant „vultus hujus seculi esse subjectos vultibus coelestibus, ideoque sapientes, qui imagines facerent, inspicere introitus in coelestes vultus et tunc demum operari necessaria" (*Centiloqu. Ptolemaeo tribut.* §. 9). Ad quae Arabs quidam haec addidit: „Figurae, quae hic infra sunt, respondent iis, quae sunt supra, a quibus adficiuntur. Exempli gratia coelestis scorpius terrestribus scorpiis (§. 161), et serpens coelestis terrestribus anguibus praeest. Periti stellarum observabant, quando planeta ex radiis solaribus emergebat et ingrediebatur constellationem aliquam, cui figura hujusmodi tribuitur, tum, planeta in horoscopio collo-

cato, insculpebant figuram lapidi, addebantque alia necessaria, et imaginem ad exitium vel ad tutelam aptabant" (*Stanley. I*, 2, 26. *ap. Cleric. II. p.* 234. *add. Agripp. II*, 51. *p.* 228). Quae quidem praecepta secuti, teste Scaligero (*in epist. II. ep.* 180. *III. ep.* 226) numos signabant aut gemmas scalpebant ad horoscopum, easque imagines amuletorum loco habebant, e. c. adversus scorpionis ictum imaginem Scorpionis. - - Sed ejusmodi superstitionem qui Judaei vel Christiani essent, facile excusare poterant pentateuchi loco (*Num.* 28, 8), quo Moses dicitur serpentem aeneum erexisse, ut remedio esset illis, quos serpens momordisset (*conf.* 1. *Reg.* 6, 5).

513. Quibus omnibus perpensis facile nunc hanc, quam ex museo Florentino (*II. Tab.* 95. *n.* 8) exscripsi, gemmam



explicari posse arbitror, licet neque Gorius (*p.* 151), neque Winckelmannus (*cat. p.* 554. *n.* 127), ea quid significaretur intellexerit. Octo videlicet animalia, quae oculum humanum, in medio collocatum, singula petere videntur, quodam naturae munere apta et accomodata esse ad oculorum morbos tollendos homines sibi

persvaserunt. Adjungitur siquidem illis in gemma TESTUDO (*Plinius.* 32, 4, 14. *p.* 577. 578. *Marcell. Empir. c.* 8. *Basil.* 1536 *fol. p.* 59), LACERTA (*Id.* 29, 6, 38. *p.* 514. *Marcell. Emp. c.* 8. *p.* 57. 59. 61. 67. 70), SCORPIUS (*Plin.* 32, 7, 24. *p.* 582. *Seren. Samon. c.* 13. *v.* 199. *int. poet. min. II.* 235. *Buxt. lex. Chald.* 790), RANA (*Plin.* 32, 7, 24. *p.* 582 *et* 32, 10, 547. *p.* 91. *Seren. Sam.* 35, 675. *p.* 320. *Marc. Emp. p.* 67. 70) MUSCA (*Id. p.* 58), SERPENS (*Plin.* 29, 6, 38. *p.* 513 *et* 32, 7, 24. *p.* 582. *Seren. Sam.* 13, 220. *p.* 238. *Marc. Emp. p.* 61. 62. 72), CANCER (*Plin.* 32, 7, 14. *p.* 583. *Marc. Emp. p.* 58). De ea quae superest *formica,* modo vera ejus imago sit, nihil habeo dicere, quam, quod Plinius (30, 14, 36. *p.* 541) tradit, formicarum ovis supercilia denigrari. Sed alii fortassis plura de earum in oculorum morbis curandis usu reperient. Hoc sane ex reliquis patet, voluisse imaginum auctorem remedia illa denotare. Certe in gemmis etiam votivis idem observatur, quarum unam Winckelmannus (*p.* 553. *n.* 124) descripsit: addita enim *lacertae* imagini Latina inscriptio est: LVMINA RESTITVTA. Quem in finem animalia illa sint insculpta, adhuc ambigo, utrum picta quoque ut prodessent, id quod ex praecendentibus verisimile fit, an ut medico alicui ocular io gemma ornamento esset?

Postquam haec scripseram, incidi forte in dua monimenta 514. illi similia quorum utrumque ex aurea lamina est confectum (*ap. Cayl. V.* 57. *VI.* 38), atque non multum aberat, quin illam, quam dederam, interpretationem abjicerem. Praeter illa enim animalia,

oculum circumdantia in istis laminis plura etiam addita erant tum notu facillima, tum prorsus obscura, ita ut ne Caylus quidem omnia internoscere posset (*V. p.* 161). Argumento est, quod, quae formica nobis erat, in suo ectypo speciem habet fulminis; quod hippopotamum dicit, qui distinctam in suo monimento formam habet elephanti (*V.* 57); quod alata quaedam figura inter scorpium et leonem (*VI.* 38), quae ex avium genere esse verisimile est, speciem prae se fert penis, cui inter animalia cetera vix locus esse potest; quod denique perperam stellam appellat Caylus (*V. p.* 161) figuram cujus apices minime sunt aequales, quare ex marinarum potius animantium genere ea esse videtur. Quae quum animadverterem in illa animalia, quorum forma certa est, ulterius inquisivi reperique omnino medicinam oculorum olim paratam esse ex *ansere* (*Plinius.* 28, 11, 47), ex *gallinaceo* (*Seren. Samon. c.* 13. *v.* 211. *Marcell. Emp. c.* 8. *p.* 62. 68) ex *cane* (*Plin.* 29, 6, 83. *Ser. Sam. c.* 13. *v.* 219. *Marc. Emp. p.* 67. 70) ex *leone* (*Plin.* 28, 8, 25). De remedio ab *elephantis* petito nihil adhuc reperi, nisi quod ipsos eorum oculis adhibitae medicinae vim magna cum voluptate sicut homines agnoscere Aelianus (*N. A.* 13, 7) refert. Quibus omnibus perspectis non erat, quod sententiam meam retractarem.

515. Certe ex eadem opinione de similitudinis vi exortae esse videntur formulae illae decrescentibus versibus repetitae, Ablanath (§. 583) Schabriri, Abracadabra (§. 461) alia (*Nicolai de sigl. p.* 79).

Isti enim versus quemadmodum sensim *decrescebant*, ita etiam morbum *decrescere* putabant. Quo etiam pertinet remedium a Marcello Empirico (*c.* 8. *p.* 71) aegris praescriptum, qui hordei novem granos sumerent, et decrescente eorum numero sensim illos abjicerent. Nec non ejusdem absurda formula a similitudine est petita, quam ab aegro sic pronuntiandam tradit: *Nec mula parit, nec lapis lanam fert, nec huic morbo caput crescat, aut si creverit tabescat:"* (*Add.* §. 506).

Superstitiosissimos igitur fuisse Romanos videmus in adhibendis iis, quibus per fictam quandam similitudinem vera mala depelli posse crederent; id quod Plinius quoque (28, 4, 9. *p.* 451) hoc exemplo confirmat: „partus vicinos (vir) accelerat, si cinctu suo feminam cinxerit, deinde solverit, adjecta precatione: se *vinxisse* illam, eandem et *soluturum."* Quibus similia a Sexto Placito quoque traduntur (*Fabric. bibl. Gr. XIII,* 413). Nec non referendum huc Ovidii (*fast.* 3, 257), consilium est de Lucina a parturiente adeunda: 516.

Si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter illa suos.

Itidem videbis a similitudine petitum esse remedium quod Serenus Samonicus (*c.* 34, 658. *int. poet. min.* 2. *p.* 317) hisce tradit versibus: 517.

Quod si faeminei properabit sanguinis imber
Est qui frusta molae percusso decutit uno,

Quorum aliquot lanis tectum ad praecordia nectit,
Haec simul incantans sisti debere cruorem
Ut lapis ille viae solitos jam destitit orbes."

Simili ratione adversus omnem ex utero sanguinis eruptionem hoc remedium praescribit Nicolaus Myrepsus (*in Fabric. bibl. Gr. XIII.* 8): „Scribe in charta hunc *psalmum: Miserere mei deus, cet.* deinde in altera charta ex *evangelio* verba (sunt illa de muliere sanguinis profluvio laborante). Priorem liga ad mulieris dextrum brachium, alteram ad dextrum ejus femur" cet. (*Adde eund. Fabric. VIII.* 519). Quin Alexander Trallianus exemplis etiam maris et fluviorum vi dei coarctatorum, et *exsiccatae* uxoris Loth usus est, ut herba a se adjurata *similiter fluxionem* pedum vel manuum *siccaret* et sisteret (§. 473). Atque Theocriti et Virgilii etiam illud

Limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit

imitatus Paracelsus (*in Causei symb. Aeg. sapientia.* 1647. *p.* 189) praecepit „ceream imaginem ad similitudinem aegroti facerent et pronuntiatis quibusdam formulis in ignem projicerent, ut a morbo ille liberaretur." Nec prorsus dissimilia Athanasius (*var. qu.*) profert, daemones scilicet plurimum formidare verba *psalmi* (68, 3): „Sicut *cera liquescit* a facie ignis, sic pereant impii a facie dei." Delirant igitur et veri qui se putant Christiani, atque *una semper est superstitio cunctis. Psalmis* certe saepius et perridicule abusi sunt: In Geoponicis (7, 14) traditur, adversus vini corruptionem

remedium esse, si dolio *θεια γραμματα* inscribantur (*ex Ps.* 34, 8): „*Gustate* et videte quoniam *svavis* dominus." Porro (10, 88) fructus integros in arboribus conservari, si adscribantur verba (*Ps. I,* 3) „Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet."

Quemadmodum Christiani igitur atque Judaei in psalmis spem salutis repositam habebant; ita Graeci in Homeri versibus (§. 61. 520. *Fabric. bibl. Gr. VI. p.* 504). Quos quanti fecerint, hujus poetae vitae scriptor (*Gal. opusc. p.* 404) jam observavit. Unde Lucianus quoque (*contempl.* 7. *T.* 3. *p.* 39) Mercurium duobus Iliadis (5, 127) versibus amovisse, finxit, a Charontis oculis caliginem. Idemque (*dial. meretr.* 4. *T.* 8. *p.* 214) magicum etiam remedium a similitudine actionis petitum Bacchidis meretricis verbis sic describit: „Anus venefica e Syria oriunda .·. remedium excitandi odii in feminam rivalem et aemulam valde commendavit, ut hujus vestigium observatum, quum primum illud reliquisset, ipsa delerem, ita ut sinistro illius meus dexter pes, sinister autem contra dextro vestigio insisteret, diceremque „conscendi te et superior sum (*Ἐπιβεβηκα σοι, και ὑπερανω ειμι*)." 518.

Omnium vero hujus generis absurdissimum carmen a Marcello Empirico (*c.* 21. *p.* 154) traditum hoc est: „Corce corcedo, stagne, pastores te invenerunt, sine manibus collegerunt, sine foco coxerunt, sine dentibus comederunt. Tres virgines in medio mari 519.

mensam marmoream positam habebant, duae torquebant, et una retorquebat: *quomodo hoc nunquam factum est, sic nunquam sciat illa* gaioseia? (nomina forsan propria) *corci dolorem.*"

520. Hactenus de imaginibus et formulis a similitudine arcessitis. A contrariis alias petitas esse, auctor nobis est Anatolius (*de sympathia et antipathia, in Fabric. biblioth. Gr. IV.* 296), qui „instituí" ait „morborum curationes carminibus, amuletis, et unctionibus κατα ἀντιπαθειαν." Cujus rei in exemplum sit remedium, quod jure ridet Lucianus (*philopseud. c.* 6. *T. VII. p.* 256). Pedibus enim *podagra* laborantis adhibendam jubebant cervae pellem, utpote animalis *pedibus celerrimi* et robustissimi. Atque ad eundem morbum sanandum Alexander Trallianus (*XI. f. p.* 656), quia de arte sua forsan desperabat secundum illud Ovidii

Tollere nodosam nescit medicina podagram,

amuletum tradit hoc modo conficiendum: „Laminae aureae alligandae inscribito tempore, quo Luna in Libra est, hunc Homeri (*Il.* 2, 95) versum: Τετρηχει δ'αγορη ὑπο δ'εστοναχιζετο γαια." Quibus verbis sane nihil tam contrarium est, quam iste morbus, quo qui laborant στεναζειν facere γαιαν profecto vix impune conarentur! Ita antiquam quoque superstitionem fuisse legimus, qua ducti sibi persvaderent, non posse gravidam partum edere, si quis *digitis inter se implexis* adsideret (*Plin.* 28, 6, 17. *Ovid. metam.* 9, 299). Contra enim Lucina, parturientibus opem ferens, *apertam* tendens *manum* pingebatur (*Mus. Pio-Clem. IV.* 168).

CAPVT VIII.

De iis, quae adjumento sint interpretibus.

Recensitis iis, quae amuletis contineri solent, facilius quidem ipsorum jam interpretandorum negotium erit. Quod tamen antequam suscipiamus, nullum auxilii genus nobis praetermittendum est, sed omnia, quae sive interna, sive externa, adjumento esse possint requirenda erunt. Quae quo clarius innotescant, ea, quibus ipse haud sine fructu usus sum, nunc exponere constitui: ac si horum ope et subsidio non nullas gemmarum inscriptiones, quas antea obscuras et intactas in museis jacuisse in confesso est, explanaverim; meo me officio tum satisfecisse mihi videbor; omnesque hoc saltim mihi concedant necesse erit, *singulari* hoc opus *patientia* esse perfectum. Quotus enim quisque erit, quum jucundiora ei tractare liceat, qui tam taediosis rebus atque omnibus sermonis sordibus se implicari, et tam turpibus mentis humanae erroribus difficillimisque, quas vocant, nugis se tam diu detineri, aequo possit animo ferre? 521.

Chiffletius quidem, Montfauconius, Passerius, aliique amuletorum interpretes verbis inscriptis haud intellectis (§. 13) in solis imaginibus explicandis adquievere; qui profecto vanus erat labor, ei similis, quo multas in aliis etiam monimentis imagines omni inscriptione destitutas interpretari conati sunt Causeus, Gorius, Sto- 522.


schius, Winckelmannus, Viscontius alii, quos jure notat Beckius (*de interpr. script. et monim. p.* 33. *not.*). Haud semel enim symbolum illud desideratur, ex quo ab aliis imaginibus aliae distingui possint, ac perspici, verane sint, quae praedicentur ab interpretibus an falsa. Accedit quod multae reperiuntur imagines, quibus quod primo adspectu significare videntur neutiquam denotatur. Fac explicandas esse lacertae et ranae imagines in columnis templi insculptas cujus Plinius (36, 5, 14. *p.* 731) meminit: Quis quaeso, quum nulla addita sit inscriptio, unquam divinaverit, denotari eis Graeca artificum nomina Sauronis et Batrachi? Haud quidem me fugit, Viscontium (*mus. Pio-Clem. I. p.* 100) erroris arguisse Plinium omnesque ejus coaevos, quum eaedem imagines aliis quoque locis conspicerentur. Nonne autem fieri potuit, ut alii illorum animalium figuras etiam insculperent, vel caeca imitatione expressas, vel diversa significatione iis tributa? Certe Plinii auctoritas apud me major est, quam mera recentioris cujuspiam conjectura. Cui et hoc accedit, quod per omnia fere tempora ad novissima usque hunc nomina notandi morem observare licet. Ita *Ciceronem*, Plutarchus (*apophtegm. p.* 204 *et in vita Cic. p.* 861) refert, cuidam donario insculpi jussisse *cicer*, quo ipsius cognomen significaretur.

523. Sed permulta omnis generis monimenta adhuc exstant in quibus similis imaginum explicandarum ratio omnino adhiberi debet. In gemma quadam *ramus* insculptus (*Montf. Suppl. III.* 65. *ex Spo-*

nii misc.) argumentum est ARBVSCVLAE, notae Horatii carminibus (*sat.* 1, 10, 77) et Ciceronis (*ad Att.* 4, 15) epistolis feminae. In alia *lyra*. symbolum nominis est Q. POMP. MUSAE (*Wilde gemm.* 122). In plumbo quodam *gallinaceus* nominis GALLI. In numo sorores Phaethontis in *larices* conversae innuunt nomen ACCOLLEII LARISCOLI (*Agostin. dial.* 130. *Begeri thes II.* 529.), in alio *vitulus* nota est Q. VOCONII VITVLI (*Beger.* 602. *Biae. Tab. I,* 20. *II,* 3. *Agostin.* 161. *Cimel. Caesar. I.* 13. *Spanh. II.* 61); ita septem *Triones* denotant cognomen TRIONUM (§. 248); *Silenus* SILANI (*mus. Pio-Clem. I.* 329); *Flos* AQVILII FLORI (*Fulv. p.* 29); *Pes* FVRII CRASSIPEDIS (*Eckhel. V.* 222); *Torques* TORQVATI (*Spanh. II.* 76); *Malleus* CN. MALLEOLI (*Beger. II.* 572 *f.*); item *mallei* genus ASCICVLI (*Spanh. II.* 170); *Saturnus* SENTII SATVRNINI; murex, ex quo *purpur* fit, FVRII PVRPVREONIS (*Eckhel. proleg. p.* 91); *Vallis* VAALAE (*Ruhe philol. num. I.* 50. *Viscont. icon. Rom. II.* 11); *Cornu copiae* Italiae urbis COPIARVM (*Eckhel. I.* 164); *Tigris* TIGRIDIS fluvii (*Mus. Pio-Clem. I.* 287). In sepulcralibus quoque titulis videmus imaginibus *navis, porci, Daphnes in arborem conversae, apri, arbusculae,* significari nomina propria NABIRAE (*Boldett.* 373. *Buonarr. pr. p.* 10. *Fabrett.* 576. *f. Murat.* 1914, 8) PORCELLAE (*Bold.* 576) DAPHNES (*Fabr.* 186) APRI (*Gruter.* 624, 1) ARBVSCVLAE (*Id.* 1141, 5). In alio nomina ELPIDIS et CENSORINAE (*Beger. spicil. p.* 84) notantur *Spei et Nemeseos* imaginibus, in quibus inprimis posterioris nominis explicatio notatu est digna. Attamen non sem-


per in ejusmodi imaginibus verum vidisse viros doctos exemplo nobis sit Reinesius, qui (*p.* 801) hanc edens inscriptionem

C. HOSTILIO. C. F. FRVGIONI
C. HOSTILO C. F. NEPOTI. F.
L. MVTILIO. L. L. NYMPHODOTO.
HOSTILIA. L. F. PROVINCIA.



addit „fortassis *Frygio* artificii adpellatio est, eoque ducunt adpictae *vestes* et reliquus adparatus.“ Scilicet, quam pro *veste* accepit vir doctus, figura inferior *fornax* est, et superiores *botuli* sivi *farcimina* sunt, suspensa, ut fumo exsiccarentur. *Frigo* enim, Graece *φρυγω, arefacio* sonat; unde illud, si quid video, cognomen. Quod autem dixi, omni fere tempore viguisse illum imaginibus scribendi modum, confirmant in antiquissimis Graecarum urbium numis typi, nemini non noti (*Eckhel. proleg. p.* 88); insignia deinde gentilicia a Franco-Gallis *des armes parlantes* appellata, et seriora denique monimenta, ex quibus unum (*Sepulchr. Mon. Vol. II. p.* 257 *introd.*), juxta videbis, cujus inscriptio sic legenda est

T(*homas*) HYNton prior
T(*homas*) SILKsted prior.



Vides *dolium*, Anglis *tun*, minime legentibus negligendum, *equae* autem, quia de sexu dubitari posset, *steed* additum esse. - - Quae quidem omnia observanda duxi quia maxime in gemmis similia aenigmata aliquando possent reperiri. Quidni fieri etiam potuerit, ut imaginum nomina tantum pronuntiari voluerint interdum illarum auctores, intelligi autem res prorsus alias ex ambiguitate verborum eliciendas: quemadmodum ille *σατυρος* ab Alexandro per insomnium visus (*Plutarch.* 678) minime ex Satyri imagine, sed ex divisi nominis pronuntiatione *σα Τυρος* explicabatur.

Imagines saepe dubiae esse interpretationis permultis exemplis 524.
probari potest, quorum quaedam tantum in medium prolaturi sumus. Ac primum adeamus illustrem Caylum, qui, quum Or-

pheum saepe inter animalia pictum (*III.* 13, 1. *IV.* 48, 1. *add. Augustin. gemm.* *II.* 8. *Montf. I. Tab.* 223) vidisset; Harpocratem ejus vice functum esse, incautus ad hanc gemmam (*III,* 10, 2) observavit (*VI. p.* 126):



aperto quidem errore, quamvis Schmidtius (*in opusc.* 122) temere Caylo fidem adhibuerit. Non enim Harpocrates, sed Horus potius, qui idem ac Sol est, quatuor imperat elementis, quorum aqua per cancros marinos, terra per quadrupedes, ignis per salamandras, aer denique per volucres denotantur. Neque ille digitum ad os admovet, quod Harpocratis constans est nota, sed quid vult fieri elementis manu significat. Tribuebant quidem veteres elementa singula singulis diis, terram videlicet Vestae, aquam Neptuno, ignem Vulcano, aerem Junoni (*Sallust. c.* 6. *ap. Salmas. in epist. ad Menag. p.* 88. *add. Plutarch. in plac. philos.* 1, 3. *p.* 878) sed

symbola illorum varia fuisse testantur monimenta adhuc exstantia. Ita in gemma apud Gorlaeum (*II.* 159. *Graev. thesaur. V.* 730) ignis fulmine significatur, aqua delphino, aer caduceo, terra radicibus. Ita Aegyptii Isidi vel rerum naturae globum imponebant, quatuor circulis distinctum (*Montf. suppl. II. Tab. post.* 37), quorum interior rubeus ignem denotabat, secundus cinereus obscurus terram, tertius coeruleus (*Cuper. apotheos. Hom. p.* 51) aquam, et quartus albus aerem (*Montf. p.* 136). Illum igitur *globum*, quem capite Horus gerit, ad elementa quoque spectare verisimile est, quippe quibus *mundum* constare ab antiquissimo tempore philosophi docebant (*Plat. in Tim. X. p.* 13. *Bip.*).

Sed ad Cayli gemmam magis illustrandam alia facit, quam 525.
primus edidit Causeus (*I.* 54) repetierunt Montfauconius (*II.* 115, 4) et Schlaegerus (*in numo Hadriani p.* 146); in cujus medio loco collocatam imaginem pro rerum natura omnia nutriente (§. 545) habeo; sive Isidem eam appellare, (*Macrob. Sat.* 1, 21) sive Dianam Ephesiam malueris, utramque multis mammis praeditam (*Cuper. apoth. Hom.* 253). Hanc cultam ab Ephesiis esse scribit Hieronymus (*ad Pauli ep. ad Ephes. pr.*) „non illam quidem quae arcum teneat, sed multimammiam quam Graeci *πολυμαστον* vocent, ut ex ipsa effigie mentirentur omnium eam viventium esse nutricem.“ Atque Isidem Macrobius (*Saturn. I,* 20 *f.*) tradit pro terra haberi sive rerum natura subjacente Soli, hinc esse quod *continuatis uberibus corpus deae* omne densetur. Nec Montfauconius so-

lum (*I. p.* 156) se vidisse testatur Isidem multis mammis pictam; sed Caylus etiam (4. *tab.* 52. *n.* 5) exemplum ejus in medium protulit. Conferas nunc velim hanc in gemma illa, a Causeo edita, imaginem:



Videbis naturam rerum quatuor circumdatam elementis, igne per salamandram notato, aere per aquilam, aqua per delphinum, et terra per quadrupedem. Ex quibus primam figuram nunc comparare licet cum salamandris in Cayli gemma, in qua tres quidem posteriores huic similes sunt; tres autem priores speciem habent crocodili. Sed salva res erit, si scholiastam Nicandri (*ap.*

Harduin. ad Plin. 10, 67, 86) audiveris, qui Salamandram animal esse refert forma *minoris crocodili* praeditum. Conferas velim ejus imaginem apud Caylum ipsum alio quidem loco (*V.* 11) editam. In igne illud vivere posse vulgaris fuit opinio (*Phile c.* 17. *v.* 10. *Aristot.* 5, 19. *Buxt. lex. Chald.* 1484-1486). Addita autem naturae elementa in gemma nostra sunt, quod ex eis omnia gignerentur (*Cic. acad.* 1, 7. *N. D.* 2, 33. *Heraclid. ap. Gal.* 489. 490). Quin ipsa etiam Isis (*ap. Appulej. met.* 11. *ab init.*) *en adsum*, ait, *rerum natura parens*, *elementorum omnium domina.*

Sed erunt fortasse, qui Cayli interpretationem confirmari putent gemma quadam a Sponio (*misc. p.* 16. *recherch.* 124) et Montfauconio (*II. tab.* 125) edita. In ea enim utique Harpocrates conspicitur inter animalia, quae nequidquam ad elementa referre tentaveris, nisi Montfauconii (*p.* 305) approbaveris conjecturam, aquae et ignis symbola periisse in corruptis superioribus et inferioribus gemmae locis. Quae quamvis pro mea pugnaret sententia; obstare tamen videtur inscriptio EKΠVΛΛΛ8NE, scriptura pariter ac sermonis vitio obscura. Forma Λ enim pro A, quod saepe observatur (§. 198), posita est, et pro secundo sextus deprehenditur casus. Etenim inscriptionis auctorem voluisse conjicio haec inscribere verba: *Ex porta lucida, Εχ πυλης λουνης.* Hesychius enim (*II.* 497) et Phavorinus servarunt nobis vocem *λουνον,* quam *λαμπρον* explicant, sive in illa Latinae Lunae etymon lateat, sive intrusa potius in Graecam linguam a Romanis vox fuerit. Certe 526.

Romanum hominem verba adscripsisse ex eo conjicio, quod praepositionem cum sexto casu construxit. Quodsi rite auguratus sum imago omnino cum verbis illis cohaeret. *Ex porta* enim *lucida* Sol prodiit, sive qui pictus est Horus (*Macrob. Sat.* 1, 21) puerulus (§. 28) ex loto emergens flagellumque manu tenens, „*qui generat*, ut Macrobii verbis (1, 17) utar, *exortu suo lucem.*“ Graecorum enim priscos primam lucem, quae praecedat Solis ortum λυκην appellasse ille addit. Verbis etiam *coeli porta* usos fuisse poetas Graecos pariter ac Latinos, Seneca (*ep.* 106. *p.* 637) jam observavit. Animalia denique, quae in gemma addita sunt, omnia tam terrestria, quam aeria, cupide Solem orientem appetere nemo est qui ignoret.

527. Ex symbolis quidem imaginibus additis maxime discernendae ab aliis aliae sunt. At vero symbola ipsa dubiae persaepe sunt significationis, quum unum idemque pluribus aeque tribuatur diis: atque majorem etiam obscuritatem oriri necesse est, ubi solitarium aliquod positum videmus. Exemplo sit *rota*, quae multiplici ratione explicari potest. Sane in antiquissimis Aegyptiorum obeliscis (*Graev. thesaur. IV.* 1859. 1897) rota comparet hac forma ⊕, qua in aliis monimentis curribus annexa (*Banduri numi I. p.* 2. *Mus. Pio-Clem. V. tab.* 5. 7. 38. 39. 41. 42. *Mus. Flor. II. tab.* 79. 80) obvia est. Atque a Clemente Alexandrino (*str.* 5. *p.* 568) quum compertum habeamus, eos, qui Aegyptiorum morem sequerentur, in deorum templis *vertere rotam*; quid ea si-

gnificare voluerint, primum quaerendum esse videtur. Tychsenius quidem (*Bibl. d. alt. Lit. VII.* 22) Solis *stabilem* cursum rota denotari conjicit: sed prorsus contrariam apud Plutarchum (*in Numa p.* 69. 70) sententiam hanc legimus „ab Aegyptiis *rotis* significari *nihil* in rebus humanis esse *stabile.*" Et haec sane Plutarchi quam Tychsenii opinio melius cohaerere cum tot Fortunae simulacris *Graev. V.* 155. *Montf. I.* 189, 5. *Agostin. dial.* 63. 65. *Gorl.* 102. 156. *Wilde gemm.* 70. 173) videtur, quibus rotam additam esse observamus. Hujus enim deae symboli et Cicero (*Pis.* 10) meminit, et Tibulli de illa hic notandus est versus (1, 5, 70)

Versatur celeri Fors levis orbe rotae.

Ac pulchre Ovidius (*eleg.* 5, 8, 15) ita eam descripsit:

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat.

Illa autem rota ea quoque sphaera est, qua *infideli et versatili missa facta* Fortunam Romam intrasse ibi *mansuram* Plutarchus (*Fort. Rom.* 317. 318) refert. Fugerat hic quidem locus Viscontium (*in mus. Pio-Clem.* 4. *p.* 155. *ad tab.* 18) explicaturum imagines, quibus illa Romae Fortuna omnino repraesentatur. Plutarchum certe illustrant tum numi, in quibus inscriptioni FORTVNAE MANENTI addita imago est mulieris *sedentis,* dextra equum capistro *retinentis,* sinistra cornucopiae praebentis (*Eckhel VII.* 115); tum libri scripti, quos Salmasius (*ad Solin. ed. I. p.* 1238) viderat, in quibus figurae ⊕ adscriptum legitur vocabulum σφαῖρα. Neque ab Aegyptiorum placitis alia illius figurae explicatio abhorret, qua κοσ-

μος ei adscriptum esse novimus (*Astle orig. of writ. tab. 6. ad p. 76. Cangii gloss. Gr. II. in sign. p. 19. f.*) Namque mundi facilis cum anima mundi, cui Platon (*Tim. T.* 10. *p.* 8. 9. *Bip.*) perpetuum jam motum tribuerat, collatio est. Ac si quam fidem Proclo (*in Tim.* 3. *p.* 216) adhibeamus, mundi anima ab Aegyptiis per characterem X circulo circumdatum jam denotata erat; quae Procli pariter atque Philonis descriptio (§. 487) cum variis literae Θ formis convenit. Et hoc quidem pacto Tychsenii quoque sententia stare poterit, siquidem mundi motus quum semper aequabilis esset (§. 233. 234), mundus autem sive anima mundi rota significaretur, aequabilem quoque et stabilem cursum eadem rota denotari a docto illo viro affirmari poterat. In numis (*Agostin. dial.* 5. *p.* 158. *Spanh. I.* 273) pariter atque in gemmis (*Augustini gemm. I,* 205. *Mus. Flor. II. tab.* 94. *Rasp. tab.* 5. *n.* 149) et in lucerna etiam (*Causei mus. Rom.* 5, 8) imaginem videmus gryphis, animalis mystici et Solaris, rotam (mundum) volventis (regentis). Utroque autem modo, sive aequabilis volutatio fuerit, sive inaequabilis, *volubilis* tamen rotae semper erit natura. Unde Tertullianus (*de pallio* 2, 5) de universo „totum *versiforme* est" scribit, pluribusque hanc sententiam persequitur; atque Macrobius (*Somn. Scip.* 1, 17), Platonem secutus, animam mundi semper in motu esse docet et stare nescire." In *versatili* igitur rotae conditione et qualitate quum omnes hactenus prolatae explicationes conveniant, disquirendum videtur, qua de causa Nemesi quoque rota

tribuatur (*Montf. I. tab.* 195. *p.* 306. 307. *Winckelm. catal. p.* 295. *n.* 1811. *sequ. Rasp.* 8259-8262. *Spanh. I.* 273. *Beger. III.* 61). Etenim quod plerumque afferunt *saepe cum Fortuna eam confundi,* mihi non satisfacit. Nemeseos quidem aeque instabilis rota est atque Fortunae, unde etiam illius *τροχος ἀστατος* a Graecis dicitur (*Mem. de l'acad.* 5. *p.* 187. *v.* 7): sed hoc inter utramque interesse videtur, quod hujus rotae volutatio fortuita, illius conversio ita comparata est, ut aequitatis legibus conformis et amissa retribuat et malum in mali auctorem retorqueat (*Claudian. bell. Get.* 631-634. *Ammian. Marcell. in L.* 14 *extr. add. Nonn. Dion. et anthol. ap. Beger. III.* 64). Omnia autem alia de hac imagine sentio:



Ex marmoreo sacrophago, qui extrema Meleagri fata repraesentat (*ap. Don. tab.* 12. *ad praef. p.* 92) ea sumta est. Adstat haec cum alia femina igni, quo Meleagri mater stipitem fatalem comburit, a quo filii pendebat vita. Binas feminas Donius (*p.* 93 *f.*) et Winckelmannus (*Nachr. Hercul. Entd.* §. 102) Parcas esse putaverunt, Bellorius Furias agnovit, et Begerus (*in Meleagr. p.* 15) Fatane sint an Furiae dubitans permansit. Nobis potius distinguenda videtur prima, cujus effigiem expressimus, ab altera, quae capite alato est praedita, facemque manu tenet. Hanc omnino ex Furiis esse statuimus, quibus *nox intempesta ventosas addidit alas* (*Aen.* 12, 848), quasque ipsas invocatas esse ab Althea ex Ovidio (*met.* 8, 483) novimus. Illam autem ex Parcis unam esse vix dubitare licet. Quamvis enim Viscontius (*mus. Pio - Clementin. V.* 200) contendat, raro in imaginibus ad mythos spectantibus *vestitas* reperiri figuras; ista tamen opinio iis, quas in operibus suis ipse protulit, ubique fere refutatur. Vestita igitur illa figura dextra calamum, laeva volumen tenet: atque „Parcas *stilos* acuere, ceras componere *omniaque subnotare*" observat Martianus Capella (*I. p.* 17. 21), Virgiliusque (*Aen.* 1, 21) „una loquitur, *altera scribit*" claris canit verbis (*adde infra* §. 528 *Martialem*). Stilus quidem in minus diligenter apud Begerum (*p.* 12) delineato marmore e manu Parcae excidit: sed in alio (*spicil. ant.* 136) itidem comparet, in nostro omnino eum exstare Winckelmannus (*l. c.*) testatur. Rotam denique fato adtributam fuisse, aliud marmor (*spi-*

cil. 106) confirmat, in quo adscriptum etiam simili imagini, atque illa est, ipsum *Fati* nomen legimus. Jam vero disquirendum videtur quo spectare possit hoc Parcae symbolum. Quamvis enim non dubitem, *versatilem* hujus quoque rotae qualitatem respiciendam esse; minime tamen a Begero (*spic.* 138) eo adducor, ut vitae humanae decursum illa denotari credam. In iis enim imaginibus Parca semper *pede* rotam *premit,* quo pateat jam verti hanc non magis posse, quam fatum ipsum, secundum illud nominis Atropi a τρέπω etymon (*Cornut.* 13. *p. Gal.* 156. *Plutarch. stoic. repugn. in extr. p.* 1056). Quod enim sub pedibus, vinctum esse videtur; unde Neptuno, qui orbem pede premit (*Choul. rel. Rom.* 87. *Gorl. I.* 25) γαιουχον cognomen ab Homero, Orphico, Pindaro, ceteris, additum est; unde Hercules, semper victor, orbem pede premit (*Banduri num. I.* 285); unde Romae imago modo orbi terrarum (*Agostin. p.* 91. *f.*), modo victis (*p.* 54) pedem imponit, secundum Ovidii (*fast.* 4, 858) illud

Victorem terris impositura pedem.

Parca igitur *immutabilis* fati quasi *domina* repraesentatur.

Sed plura utique rotae symbola explicanda restant, quorum certam rationem minime perspectam habemus. Ita ubi Sphinx rotam volvere videtur (*Agost. dial.* 155. *Augustin. gemm. I.* 206. *Montf. II. tab.* 130. *Mus. Flor. II. tab.* 94. *n.* 4. *Mus. Pio-Clem. VII. tab.* 15. *et sequ.*), facilis quidem conjectura est, monstro illo aenigmata et quae sint obscura significari. Eo enim sensu Sphin- 528.

gis nomine Cicero usus est (*Quinctil.* 6, 3. *p.* 374 *Obr.*); et ante templa ab Aegyptiis Sphinges ideo positas (§. 137) esse declarat Clemens (*str.* 5. *p.* 561), „quod de deo quae doceantur aenigmatica essent;" ut taceam illam de Oedipode fabellam. Qua vero de causa *rota* a Sphinge volveretur a quopiam ita ut satisfacere posset explanatum esse Montfauconius (*p.* 315) negat. Ac profecto, nisi ad illam rotae Gryphi additae (§. 527) interpretationem respicere et conjicere licet, hoc etiam symbolo significari *mundum* ab *aenigmatico* regi deo; meliorem equidem interpretationem afferre nequaquam potis sum. Certe apud Clementem (*str.* 5. *p.* 571) *του κοσμου ἁρμονιαν* sphinge denotari affirmatur. - - Quoniam autem, ut supra monui, haud semper aequalis rotae volutatio est; inde nata illa significatio esse videtur, qua pro *incertitudinis* symbolo rota usurpata fuerit. Atque huc incisam refero in gemma, a Liceto (*gemm. annul. p.* 158. *Gorl.* 490) edita, imaginem, quam in pagina, quae sequitur, videbis, cujusque sensum a viris doctis non esse captum mihi quidem videtur. Ea enim contineri veterum illam perfrequentem admonitionem conjicio „utendum esse vita": et „*utere quaeso*," addit Tibullus (1, 5, 76), „DUM LICET" Cui similis Petronii (*c.* 34. *f.*) sententia:

„*Ergo vivamus dum licet esse bene.*"

Unde in marmoribus Epicureae prorsus sententiae leguntur, qualis (*ap. Fabrett. p.* 421) haec est: AMICI QVI LEGITIS MONEO MISCETE LYAEVM ET POTATE PROCVL REDIMITI TEMPORA FLORE ET VENEREOS

COITVS FORMOSIS NE DENEGATE PVELLIS CETERA POST OBITVM TERRA CONSVMIT ET IGNIS.



Pariter in alio (*Ficor. gemm. p.* 22) incisa haec verba sunt: NAEVIVS–ET NAEVIA - - DVM LICVIT SVAVITER FRVCTI SVNT – et in alio (*Winckelmann Hercul. Entdeck. Nachr.* §. 114): VIVE IN DIES ET HORAS NAM PROPRIVM EST NIHIL. Adde notissimum Sardanapali sepulcralem titulum, a Strabone, Stephano Byzantino, Svida,

aliis (*Nicolai de sepulcr.* 71. 72. *Mem. de l'acad. II.* 368, *al.* 345. *V.* 377.) descriptum; adde in gemma ad Pardalam inscriptionem (*Winckelm. catal. p.* 267. *n.* 1676. *Rasp. n.* 5421) et ex poetarum carminibus illud Martialis (1, 16, 11):

Non est, crede mihi, sapientis dicere: vivam.
Sera nimis vita est crastina: vive hodie;

et aliud (10, 44, 5):

Gaudia tu differs: at non et stamina differt
Atropos, atque omnis s c r i b i t u r (§. 527) *hora tibi.*


Quibus perlectis quis est qui miretur gemmae imaginibus eandem sententiam esse expressam? Calvaria certe *mortem* denotat, et rota *incertitudinem* eorum quae eveniant. Papavere quidem *somnum* significari nemini non notum est; et quum frater hic sit mortis (*Hesiod. theog.* 756), forsan etiam *aeternalem*, quemadmodum in lapidis titulo (*Boldett.* 453) mortem appellari legimus: sed alia praeterea ratione hoc symbolum explicari forsan potest, siquidem inter mystica Bacchi symbola papaverem referri, Spanheimius (*ad Callimach. p.* 694) docuit. Pariter papilionis anceps est symbolum: illud quidem animae notissimum; sed Baccho non minus papilionem attribui posse colligere licet ex inscriptione (*Spon. recherch. p.* 92) in qua legitur: *heredibus meis mando etiam cinere et meo volitet* EBRIVS *papilio."* Quia enim titubantibus volat alis, cum *ebrio* comparatur. Sed quoniam tam flores, quos amat istud animal, sepulcris imponebantur, quam vinum eis infundebatur,

omnino incertam illam conjectnram esse ipse fateor. Minus profecto dubius dissentio ab iis, qui pro urna sepulcrali acceperunt, quod vas est vinarium, quo moniturus imaginis auctor viventes erat de bibendo dum liceret. „Vita enim vinum est“ Trimalchio (*ap. Petron. c.* 34) contendit; et ab Aegyptiis mortui simulacrum in conviviis ostensum esse, Herodotus (2, 78) refert, hisce unicuique convivae acclamatis verbis: *In hunc intuens* BIBE *et delectare: post mortem enim talis eris.* Hinc tritae illae inscriptiones πιε ζησαις (§. 374. *Lup.* 193) PIETE ZESETE (*Fabrett.* 539. *Montf. I. p.* 177); ex quibus inscriptionibus unam tantum (*Fabrett.* 277. *Buonarr. tab.* 29 *ad p.* 209), quia in simili amphora legitur, hic subjungo:



Superiori enim in loco VINCENTI PIE ZESES scriptum est. - - Qui vero nihilominus dubitant, an pro vasis vinariis accipi ejusmodi amphorae possint, quippe quae inferius accuminatae stare nescive- rint; hos equidem ad cellam vinariam in Herculano detectam ab- lego, in qua Winckelmannus (*Sendschr.* §. 64) amphoras ejusdem sane formae ipse vidit. Quae quo pacto in terra collocatae fue- rint, perspicere ex numo licet, quem Spanheimius (*I.* 249) edidit.


529. Certissimum praeterea argumentum, quod fidem apud omnes mihi faciat necesse est, numi a Chiis cusi praebent (*Beger. spicil. p.* 12. *thesaur. I.* 420. *Cayl. II. tab.* 49. *Goltz. insul. tab.* 15. 16); ex quibus hunc unum (*Agostin. dial.* 5. *p.* 155) profero:



Etenim quod in postica conspicitur vas itidem vinarium esse, uva in antica confirmat. Neque fugiet quempiam insulam illam vinum proferre optimum (*Licet. gemm. p.* 360. *Eckhel. II.* 564. *Wilde num. p.* 64. *Beger. I.* 120), Arvisium a promontorio appellatum (*Plin.* 14, 7, 9. *Virgil. ecl.* 5, 7. *Clem. Alex. paedag.* 2, 2. *p.* 156). Quapropter in aliis Chiorum numis *Bacchus* ipse exprimitur (*Eckh.*

II. 565). Sphinge denique *sapientiam* atque inde *Homeri* patriam (*Cuper. apoth.* 10. *Eckh. syll. p.* 39) denotari arbitrantur (*Beger. III.* 46): quamvis labyrinthus in eorundem numis interdum additus (*Beger. spicil.* 12) *obscura mythorum aenigmata* in mentem potius nobis revocent, et sphinges in Bacchi etiam gregibus deprehensae (*Montf. I. tab.* 157, 4. *et* 167. *Mus. Pio-Clem. V. p.* 162) aliam causam indicare videantur. Prorsus eadem forma praeditam amphoram Lenae sive Bacchae manu tenent (*Passer. lucern. II.* 39 *et* 43) quo certiores reddamur ejusmodi vasa esse vinaria. Ubi igitur in gemmis Cupido vas simile pro nave usurpat (*Gorl. I.* 83. *II.* 234), equidem significari arbitror *sine vino frigere amorem* (*conf. Terent. Eun.* 4, 5, 6. *Cic. N. D.* 2, 23). In aliis enim gemmis utre pro velo utitur idem deus (*Gorl. II.* 537), quem utrem vinarium esse censeo, quidquid contra Licetus (*de gemm.* 402) de aëre in eo recondito docere sibi visus sit.

Quoniam autem sunt viri, quibus perdifficile est persvadere, 530.
vera esse quae negabant; hanc quoque addo gemmam, quam Buonarruoti (*p.* 193) in lucem protulit:



Sceleti capiti a dextra globus versatilis (§. 527) est appositus: a lae-

va *ebrius* volitat papilio (§. 528): in inferiori autem loco corona convivalis (*Bulenger. ap. Graev. XII.* 184. *sequ.* 188. *Lanzoni ap. Salengr. III.* 669.) et itidem vas vinarium est additum. Quibus visis in mentem nobis veniat necesse est illud Virgilii (*copa. in extr.*)

Mors aurem vellens: vivite, ait, venio.

Quae vero in gemma inscripta sunt verba ΚΤΩ et ΧΡΩ (a *κταομαι* et *χραομαι*) sonant *tene* et *fruere*. *Χραομαι* forsan hic per ellipsin est pro *χρησθαι τῳ καιρῳ*: et sensus esse videtur *dum adhuc possides utere*. Illud etiam Pittaci philosophi *καιρον γνωθι* non cum Viscontio (*in mus. Pio-Clem. VI. p.* 140) *tempus nosce*, sed potius *oportunum tempus nosce* vertendum erat.

531. Sed praeter hactenus prolatas permultae aliae rotae sunt significationes, quas recensere omnes longum est. Inprimis frequens ea observatur, qua partem pro toto, rotam igitur pro curru, accipere debemus, quemadmodum Ovidius (*art.* 2, 230) in illo

Si rota defuerit, tu pede carpe viam

voce usus est. Ita rotam observamus in numo (*Biae. tab.* 36. *n.* 5. *Graevius X. p.* 79. *Agostin. dial.* 3. *p.* 110. *f. Eckh. VI.* 421. 422), quo via Trajani laudatur, haud alia de causa, quam quod in curruum etiam usum ea munita sit. Pariter in marmore (*Graev. X.* 780. *Montf. II. tab.* 98) votis pro reditu rota addita vehiculum sive transitum denotat. Ita etiam in numis (*Graev. V.* 155. *Bandur. I.* 317. *Agostin. dial.* 2. *p.* 65) rota explicanda videtur Fortunae sedenti subjecta cum verbis adscriptis: FORTVNAE REDVCI.

Cui similem inscriptionem, quod mirum est, vel ipsi Christiani in marmoreae Columnae basi insculpserunt: FORTVNAE REDVCI OB DEVICTOS GOTHOS, additis verbis IC XC NIKA (§. 360. *vide Hessel. in Gud. inscr. praef. app. pl.* * 6). Nec non supplicii genus rotam fuisse (*Cic. Tusc.* 5, 9. *unde* τροχίζω) Ixionis fabula declaratur. Machinarum aliaque rotarum in monimentis exempla silentio praetermittimus, siquidem multi jam censebunt nimis longam fuisse hanc nostram digressionem: quam tamen eo conduxisse arbitramur, ut ex hoc rotae exemplo cognosceretur, quam anceps ac dubia ipsorum symbolorum interpretatio sit; qui si de aliis, de serpente, columba, ovo, crocodilo, equo, leone, larva, lepore, lyra, Sole et Luna, manibus, alis, fulmine, ceteris, idem facere instituissemus, charta vix suppetisset.

Nisi igitur verbis vel nominibus imagini adscriptis adjuvamur, 532. hujus saepenumero explicatio dubia vel incerta manet. Id quod totus Chiffletii *de aqua virgine* libellus (*ap. Graev. IV. p.* 1785) docet. Gemma enim, quam explanandam sibi sumserat, quum omni inscriptione destituta esset; imaginibus solis nihil ille profecit, ad comprobandam suam opinionem. Quin peritissimus etiam rerum antiquarum Viscontius, quamvis multas et ex minutissimis rebus anxie quaesitas adtulerit rationes, quae suae imaginum interpretationi fidem facerent, dubios tamen et incertos saepenumero nos dimisit. Est quoque, ubi in paucis versibus voce FORSAN (*peut-être*) quinquies utitur (*Mus. Pio-Clem. VII. ad tab.* 17. *p.* 106). Cer-

tiores contra omnino reddimur addita *imagini inscriptione* (§. 444), quae omnia plerumque dubia tollit. Namque, ut est apud poetam,

alterius sic


Altera poscit opem res, et conjurat amice.

Error certe apertus est virorum doctorum (*Eschenburgii in Archaeol.* 1787. *II.* §. 45. *p.* 123. *Christii Literatur und Kunstwerke p.* 289) affirmantium „nunquam fere gemmae *inscriptionem* ad *imaginem* spectare!" Quae quum ab aliis alii temere describerent, ipsas gemmas literatas ab eis vel non inspectas, vel verba inscripta non intellecta fuisse, verisimile est. Praesertim miror Christium, qui postquam illam pronuntiasset sententiam exempla ei prorsus contraria protulerit, ut (*p.* 282. *n.* 18) incisam in gemma Mercurii imaginem additis literis HERM. et (*p.* 284. *n.* 42) in alia stellam cujus inter radios leguntur literae ΩΡΕΙΩΝ! Sed permulta quoque apud Winckelmannum reperiuntur exempla inscriptionum in gemmis cum imaginibus utique congruentium, ut capiti Apollinis radiato adscriptum nomen SOL; Lunae crescenti nomen LVNA (*catal. p.* 198. *n.* 1179). Achillis imagini (*p.* 376. *n.* 256), heroum etiam contra Thebas militantium imaginibus (*p.* 344. *n.* 172) suum cuique nomen additum. Item, ubi Achillis caput in antica et Thetidis in postica est, adscriptum legimus: *μητρος Πηλειδου* (*Gorl.* 522): Aesculapii imagini additum videmus nomen ejus ipsum (*Mus. Flor. II. Tab.* 15). Quid multa? Ab antiquissimis inde temporibus Graecos interpretationem figuris adscribere solitos fuisse (*Mus. Pio-*

Clem. IV. p. 246) idemque recentiori tempore factum esse (*V. p.* 40. 90. 221. *VI. tab.* 22. *sequ. Add. iconograph. cet.*) novimus.

Mihi quidem persvasum est, viros doctos, nisi praejudicata illa opinio animos cepisset, plures gemmarum inscriptiones intellecturos fuisse. In perpulchra gemma, cujus ectypon Raspeo (*Tab.* 46. *n.* 7925) debemus, desultori duodecim equis insistenti claris adscriptum est literis ITE, quod ille non intellexit, quamvis, modo veras literarum figuras exhibuerit, non nisi equos adhortandi illa vocula sit, similis eae, quae Gallorum aurigis hodieque perfamiliaris est (*allez*). Gemma illa eadem esse videtur, cujus meminit Winckelmannus (*catal. p.* 468. *n.* 51). - - Ex omnibus igitur, quae hactenus in medium protulimus, patere arbitramur, imagines interpretibus verborum adscriptorum magno esse adjumento, id quod ex amuletis, quae infra explicare tentabimus, clarius etiam elucebit. 533.

Ne vero et alia vetustatis monimenta, quibus idem confirmetur, desiderentur; quaedam hoc loco afferre juvat. Primum exemplum petimus ex symbolis, quae Outreinius in libro lingua Belgica conscripto (*Proefstukken der heiligen Sinneboelden. Amstel.* 1700. *T. II. p.* 50) protulit, ex quibus sigillum, quod pagina versa videbis, Montfauconius (*antiquit. explic. III. Tab.* 158) repetiit. Aliud Malvasia (*in marmorib. Felsineis. Bonon.* 1690. *p.* 367) evulgavit, quod licet in paucis ab illis, nescio cujus culpa, differat, idem tamen esse videtur. En igitur Outreinii imagunculam: 534.




Quod juxta posuimus nomen, id in sinistro viri crure legitur. Jam vero quum prorsus ignoraret Outreinius quid significarent

istae inscriptiones, de eis Jacobum consuluit Gronovium. Cujus quidem ex literis patet, neque istum ab omni parte verum vidisse. Etenim quamquam bene legerat quod in sinistro crure exstat nomen haud ignotum (*Pausan.* 8. 9. *f. Plutarch. Phoc. p.* 750. *Plin. in ind. Corp. inscr. Graec. Berol. p.* 434. *n.* 364) *Καφισοδωρος*, perperam tamen in recto detegere (*p.* 34) sibi visus est *Αισχραμιου*, patris nomen. Neque enim literis ΟΥ illud terminatur, neque quinta litera est Ρ, neque septima Μ. Quas literas quomodocunque legeris, nominis tamen haud secundum, sed tertium esse casum ex postremis literis ΟΙ, pro ῳ, quae satis sunt distinctae, patet. Hoc si observassent duumviri illi, augurari jam potuissent, intelligendum esse verbum aliquod omissum, notissimum illud quidem *ἀνεθηκεν*. Reliqua suppeditare poterat diligens figurae contemplatio.

In paucis quidem differe dixi ejusdem hominis imaginem eam, quam Malvasia (*p.* 367) ediderit; nec tamen quin eadem sit dubitari posse. Primus ille inter gladiatores hanc retulit, quem secutum esse Montfauconium miror. Nulla enim in omni figura nota inest, qua gladiatorem agnoscere poteris. Homo potius infirmus videtur et altero pede claudicans. Fulcrum, quo alter pes sustinetur, Graecis *βλαυτιον, παρα των κυλλοποδων* gestatum esse ipse Gronovius ex Stephano ad Athenaeum observavit; quod sane non magis convenit gladiatorum muneri, quam fascia, qua aegros devinctos fuisse (*Cic. Brut.* 60. *Sveton. Domit.* 17) et eorum inpri- 535.

mis caput (*Celsus.* 4, 2) involutum novimus. Sed melius claudicantem agnoveris pedibus a sinistra contemplatis:



536. Jam vero facilis et in promtu erit nominis interpretatio, modo literas probe agnoveris. Quam enim Gronovius perperam P legerat, ejus figura ∧ pro recentiori Λ notissima est; nec solum in gemmis (*Winckelm. Gesch.* 1, 4. *p.* 488) ΦΡΥΓΙ∧∧ΟΣ, in numis (*Meursius ad Hellad.* 50. 51. *Eckhel. proleg. p.* 100) CE∧AΣ, et KAYΓO (*Mem. de l'acad. XXIV. p.* 48. *f.*) in statua aerea (*Winckelm. p.* 12. *Paciaudi monim. Peloponn. II.* 50) ΓΟΓΥΚΡΑΤΕΜ, legitur; sed in lapidibus etiam, Eleana inscriptione, Deliaca, aliis, et in tabula aerea musei Borgiani eadem hujus literae forma est obvia. Legi igitur poterit ΑΙΣΧΛΑΠΙΙΟΙ (*v. tamen.* §. 537 *f.*). Aesculapius enim deus ille erat cui ista imaguncula dedicata vel in ejus templo a voti compote collocata erat.

537. Sed singularis forsan ratio illud nomen scribendi viris doctis, ipsique Montfauconio imposuit. Prima quidem syllaba ΑΙΣ pro ΑΣ

haud mira videri potest perpendenti Romanos, qui ab ipsis Graecis hoc nomen acceperint, nihilominus scribere *AESculapius.* Quare illam scribendi rationem vulgari antiquiorem puto. Nota enim res est, *αις* olim pro *ας* ab Aeolibus scriptum esse, ut pro *τυψας, τυψασα* pronunciarint *τυψαις, τυψαισα.* Quin etiam Priscianus (*ap. Dausqu. II.* 20) docet, ab Aeolibus scriptum fuisse *Αισκληπιος* (*Scalig. de caus. L. L.* 1, 26. *p.* 61). Literam deinde X in secunda syllaba cum K permutari non magis miramur quum legerimus in numis et libris modo ΚΑΛΧΗΔΩΝ et ΚΑΛΧΑΔΩΝ, modo ΧΑΛΚΗΔΩΝ (*Cellar. not. orb. II.* 289. *Beger. I.* 489); in lapidibus ΑΡΠΟΧΡΑΤΕ pro *Αρποκρ.* (*Ursati mon. Pat.* 263); quin ΧΑΙ etiam pro *και* (*Spanheim diss.* 2. *I.* 117). Neque in A, quae sequitur, peritorum aliquis offendet: Dorice enim *Ασκλαπιος* scribitur. Quod denique in fine *πιοι* legitur pro *πιοι* (*πιῳ*) primum me induxerat, ut *Ασκληπιειῳ* legerem; perspectis autem apud Malvasiam literarum figuris ΓΊΊ, has nonnisi Γ cum simplici I conjunctas agnovi ideoque non ΠΙΙ, sed ΠΙ legendas esse censui.

Maxime vero imago ipsa omne dubium tollere mihi videtur. 538.
Est enim hominis infirmi vel unius cruris vitio laborantis. Atqui ob sanitatem restitutam diis, inprimis Aesculapio, titulos vel tabellas votivas dedicata esse (*Marm. Taurin. I.* 218. *Fabric. bibl. Gr. XIII. p.* 349), omnes inscriptionum collectiones testantur. In quibus praesertim Graeca quaedam (*ap. Gruter.* 71) memoratu digna est, quippe qua doceatur, permultos esse sanatos indicato

per oraculum remedio. In more enim positum erat, teste Plinio (29, 1. *p.* 493) „morbis liberatos exscribere in templo Aesculapii, quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret.“ Confirmantur haec pluribus locis a Pausania (2, 27, 3. 2, 36, 1. 7, 27, 4). Atque in aliorum etiam deorum salutiferorum templis talia scripta asservata fuisse non solum Cicero (*N. D.* 3, 37) docet; sed ex Tibulli quoque versibus (*I*, 3, 27) colligi potest. Ita enim ille Isidem alloquitur:

Nunc dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Hinc votum quoque ab Ovidio (*amor.* 2, 13, 24) pro Corinnae salute susceptum:

Ipse feram ante tuos munera vota pedes,
Adjiciam titulum: Servata Naso Corinna.

Denique Egeriae in honorem quod dictum est ab eodem (*fast.* 3, 268):

Et posita est meritae multa tabella deae.

In Aesculapii autem templo idem factum esse eo magis censendum est, quod jam ab Orpheo ille ἰητηρ παντων et ἀπαλεξικακος (*hymn.* 66, 1 *et* 5), in gemmis μεγας θεος (*Ficoroni Tab.* 8. *n.* 11) in lapidibus σωτηρ et „sanctus servator“ (*Marm. Taurin. I.* 219. 222. *sequ. Tomasin. de donar. c.* 34. *p.* 218. *Mus. Pio-Clem.* 2. *p.* 37) appellatus sit.

539. Sed icunculas quoque a priscis in deorum aedibus positas

esse quum ex multis exemplis, tum ex Plinii junioris testimonio (*epist.* 3, 6) patet: ipsique Aesculapio ejusmodi imagines dedicatas fuisse antiquae docent inscriptiones (*Fleetwood.* 35. *Cuper. Harp.* 79. *Fabric. bibl. Gr. XIII.* 349). Quae quidem dona in templis posita (*Plin.* 9, 35, 57) saepe infirmitatis, qua quis liberatus, speciem prae se ferebant (*Beck. Gesch.* 1. 380. *ibique Strabo*). Exemplo sit lapidis titulus (*Marm. Taurin. I.* 224. *Cuper. apoth. Hom.* 300. 301. *Gruter.* 1066, 1), quo aliquis aures argenteas (*Montf. Suppl. II. tab. post.* 32) quas voverat, dedicavit ob sanitatem puto aurium recuperatam. Similiter manus (*Montf. Suppl. I. tab.* 86 *f.*) aliaque membra votiva (*id. T. II. tab.* 100) inter prisci aevi reliquias videre licet. Quarum in numero fortassis amuleta etiam fuerint. Valerius Maximus enim (2, 5, 6) postquam templorum Febris mentionem fecerat, haec addit: „In ea (templa) remedia, quae corporibus aegrotorum *annexa* fuerant, deferebantur." Ac certe inter ea quae Montfauconius (*II. Tab.* 100) pro votivis habet, sunt etiam monimenta vel perforata vel ansata, manifesto indicio, fuisse ea olim appensa.

Ad Aesculapium quoque pertinet inscriptio, qua signum somni aereum huic deo donatur (*Donii inscr. p.* 28) quaque Pausanias (2, 10, 2) etiam illustratur. Aegri enim in illius pariter atque aliorum deorum templis somnia captabant (*Hieron. in Jes.* 65. 4. *H. Meibom. de incub. in fan.* 1659. 4), quibus de remediis admonerentur (*Herodot.* 4, 172. *Diodor.* 5, 63. *Pausan.* 1, 34 *f.* 3, 26, 1. 540.

Strab. L. 6, 11, *et* 17. *Plaut. Curcul.* 2, 2. *Virg. Aen.* 7, 88. *Cic. de divin.* 2, 59). Cujus rei insigne documentum Vespasiani praebet superstitio (*Sveton.* 7. *Tacit. hist.* 4, 81). Atque Apollonium Tyaneum etiam, Philostratus (4, 3. *p.* 166) refert, Pergami constitisse in Aesculapii templo, et consuluisse venientibus, quo pacto qui a deo somnia peterent ea essent impetraturi. Idemque Philostratus (*vit. sophist.* 2. *p.* 566 *f.*) tradit „Antiochum sophistam plerasque noctes in Aesculapii fano dormientem transiisse tum ad insomnia, tum ad colloquia, qualia vigilantium sint, percipienda. Etenim deum cum ipso etiam vigilante dissertasse, praeclarum artis suae certamen edentem, quod ab Antiocho morbos arceret. — Quae si cui, postquam saniora apud Petronium (*c.* 104. *p.* 483) legerit, risum forsan moveant, illis is addat velim fabellam, quam ex Nicolai Myrepsi libro ita enarrat Fabricius (*bibl. Gr.* 13, 7): Coecus quidam ad templum sanctissimae genitricis dei confugiens quadam nocte vocem audivit dicentem: surge et ingredere interius altaris conclave; invenies ibi chartam scriptam, qua accepta fac ut in ea praescriptum est. Ingressus ille, praecepta secutus confestim visum recuperavit. Charta vero usque in hodiernum diem exstat, et re vera sic habet: Cadmiae ustae unc. iij. Myrrhae verae unc. j. Castorii . . cet. et vino odorato sufficienti finge collyria. Usu poscente accipe quantum volueris, et irrigato cum lacte mulieris, quae masculum peperit, cet. dein conjice in marsupium et impone aegrotantibus!“ Quae nescio fraudi, an super-

stitioni, an utrique tribuere fas sit. Respexerit fortassis auctor ad illud Aeschyli:

Ψευδων δε καιρον εσθ᾽ όποι τιμη θεος.

541. Sed ad icunculam illam ut redeat nostra disquisitio quaedam addenda esse videntur de loco, quo inscriptio incisa est. Quod enim non bases tantum inscriptionibus ornabantur, sed statuae ipsae interdum iis deformabantur, hoc non Etruscorum solum (*Fontanin. ant. Hort.* 146. *Montfauc. III. p.* 71. *Dempster. Etr. I. p.* 91. *Tab.* 24. *p.* 302. *app. II. p.* 5. *Gorii mus. Etr. Tab.* 4. 14. 20. 32. 100. 108), ut falso quidam sibi persvaserunt, sed Graecis etiam et Romanis in usu erat. Adpositas enim inscriptiones esse constat variis in locis, ut in vestibus (*Mus. Pio-Clem.* 2. *tab.* 41), in diademate (*Mus. Corton. tab.* 72), in galea (*Mionet. tab.* 49. *n.* 3. *Cayl.* 4. *tab.* 48. *Salengr. thesaur.* 2. *p.* 467), in equi latere (*Pausan.* 5, 27, 1), in lupi fronte et dextro ejus latere (*Plutarch. Pericl. p.* 164), in Mercurii, Bacchi, Periclis, et aliorum, pectore (*Mus. Pio-Clem. I. p.* 84. *II. tab.* 41. *VI. p.* 65 *et* 161. *Iconogr. Gr. I. tab.* 33), in Apollinis (*Cic. in Verr.* 4, 43) et Anauchidae femore (*Pausan.* 5, 27, 8), et in hominis denique crure (*Rasp. tab.* 45. *n.* 7758. *Gruter.* 989. *Lambecc. commentar. II. ed.* 2. *p.* 379. *M. A. V. N. ant. tab.* 79. *Winckelm. Gesch. d. Kunst.* 1, 5. *init.*). Quae enim statuis tantum adglutinabantur inscriptiones (*Appulej. apol. p.*515. *Oudend.*) hujus non sunt loci.

542. Illa quidem diligens imaginum contemplatio quantumvis in-

terpretibus conducat ad verborum etiam additorum sensum facilius capiendum, caveant tamen, ne toti in imaginibus occupati aptam eis sententiam extorquere ex literis velint, licet harum forma lectioni repugnet. Ita Harduinus (*op. p.* 918), quum in picta quadam tabula hanc a Montfauconio (*in mus. Ital. p.* 89) accuratius, quam ab aliis, delineatam inscriptionem



Salvatoris imagini subjectam videret; versum finxit Graecum, licet inscriptio, Slavonicis literis exarata, ne unum quidem Graecum contineret verbum. Quapropter merito in virorum doctorum censuram incurrit (*L'Europe sav. VI. p.* 251. *Lambecc. VII.* 565. *nota.*). Sed ne hi quidem veram lectionem omnino stabilire potuerunt. Quum enim verborum illorum novissimus interpres (*Magaz. encyclopédique* 1811. *IV.* 265) Champollion legat *Obraze*

gspdar nazarzsa, addatque „qu'il faut lire *obraze gospodar natzaretzsa;*" imagine sola ductus invitis non solum literis legit, sed repugnante etiam linguae genio lecta interpretatus est. *Nazarenum* enim conjecit quidem, sed scriptum hoc nomen frustra quaesiveris. Et illud *Gospodar* de solis dicitur hominibus, nunquam de deo: id quod a doctissimo populari meo Jacobo Grimm didici, cujus harum linguarum peritia tanta et nemini non nota est, ut mea laude profecto ille non indigeat. In eo etiam sermonis vitium admisit Champollion, quod *Gospodar* legere jubet, quum primus is nominis casus sit, qui secundus omnino esse debebat. Nos vero, quum non ignoremus, saepe in inscriptionibus literas reperiri *inversas* (§. 24. 204. 212); imitatis, quantum a typographo fieri potuit, characteribus Russicis sic legi posse arbitramur:

ѡБразЪ ГспΔвь на ѵБрѵсѢ

Ac primum memineris formae H a Russis pro N usurpatae (§. 203); deinde observes in secundi versus fine duas literas repraesentari ligatas, quarum posteriorem pariter atque in extremo tres literas inversas esse, quin ultimum quoque characterem orthographiae legibus contrarium Ъ deprehendi, pro eo, quem substitui. Secunda inscriptionis vox, ut saepe factum esse vidimus, breviata est, quae eadem perscripta ГОСПОΔЕНЬ esset. Namque perperam reliqui interpretes omnes substantivum intellexerunt nomen, quum adjectivum potius ad primam vocem pertinens, *dominica* vertendum, et frequentissimum in libris sacris istud scribendi compen-

dium esset. Omnium igitur verborum sensus hic est: *Imago dominica in linteo.*

543. Sed prorsus contrario modo peccant interpretes qui ex verbis imagini adscriptis sensum eruunt ineptum, seu eum, cujus cum imagine nexus nullus perspici potest; siquidem rara sunt monimentorum exempla inscriptorum ab hominibus, qui vel rerum, vel verborum, omnino fuerint ignari. Incidisse in illum errorem Montfauconius mihi videtur, qui inscriptiones quasdam interpretaturus (*V. p.* 191. *et Suppl. V. p.* 140. 142) refert, „in quodam Gallorum veterum sepulcro repertam esse imagunculam mulieris sedentis et infantem pannis involutum gremio tenentis. Atque aliam huic similem adservari in museo Fucaldi. Praeter has tertiam aliunde sibi allatam in eo solum differe a prioribus, quod non unum in gremio infantem sed duos teneat et inferiori loco addita sit haec inscriptio IS PORON." Quarta denique illis similis ea est, quam ejus ex libro (*suppl. V. Tab.* 61) exscriptam in pagina, quae sequitur repraesentabimus.

544. Latina quidem verba illis inscriptionibus minime contineri Montfauconium non fugerat. Sed in Graecam forte incidens linguam literas ISPORON interpretatus est *εἰς πορον*, additis hisce verbis: *„pour le passage aux enfers!"* Alteram inscriptionem ISTILLV Martinus (*relig. des Gaul. p.* 273) *εἰς τελος* explicat, eodem fere sensu. En imagunculam ipsam, qua istud verbum legitur:



Literae, quas ad marginem posuimus, feminae a tergo sunt appositae. Sed quo tandem modo ad imagines spectare possunt istae sententiae? Si ex eo forte, quod in sepulcro quodam imagunculae repertae fuerint, duumviri illi argumentum sumserint, profecto diligentius circumspicere debebant. Non enim in Gallia

tantum, sed etiam in magna Graecia (*Cayl. III.* 60, 1) et alibi omnino similes repertae sunt figurae. Cujus generis eam quoque statuam esse censeo, quam pro Junone viri docti (*Mus. Pio-Clem. I. tab.* 4) sufficientibus quidem argumentis destituti acceperunt (*Millin. galler. myth. tab.* 39. *n.* 142. *p.* 35. *Winckelm. Denkm.* 1, 2, 3. *fig.* 14). Ex harum igitur imaginum et similium, quas paulo inferius proferamus, frequentissimo usu colligimus, ad generaliorem potius et tam diversis hominibus communem opinionem nobis esse respiciendum.

545. Certe omnes, qui attentius hoc universum cogitarent, naturae illam vim observasse necesse est, qua omnia gignit, omnia nutrit, omniaque rursus in se recipit (*Plutarch. de Is. p.* 372. *Pacuvius. ap. Scalig. ad Varron. p.* 33. *Lucret.* 1, 48 *et* 49). Hanc igitur ab omnibus fere populis imaginibus etiam celebratam esse videmus. Unde tot Isidis imagines, quum antiquissimae, tum recentiores, Horum lactantis (*Montf. II.* 105. 110. 113. *Suppl. II.* 38. *Cayl. I.* 4, 4. *III.* 9. *IV.* 4. 125. *VI.* 22. *Dact. Stosch. I.* 2. *II.* 64. *Raspe. Tab.* 7. *n.* 327. *Pignor. mensa Is.* 34. *Cuper. Harp.* 51. *Spanhem. I.* 302. *Beger. III.* 301. *Spon. recherch. p.* 465. *Marm. Oxon. I. n.* 71). Quibus non maternum solum amorem, sed vim etiam illam nutrientem exprimi, tum cognomen, quod Isis habet FRVGIFERAE (*Tomasin. de donar.* 75. *Fabretti.* 471. *Reines.* 169. *Orph. hymn.* 43, 9, 10) docet, tum addita plerumque ipsius imaginibus symbola (*Banduri num. II.* 427. *Murator. I.* 72. *Casalius*

p. 74. *Cuper. Harp.* 58) confirmant. Ex quibus exemplis hanc, recentioris quidem fabricae (*Capell.* 102. *Montf. II.* 158) gemmam hic subjicere placet:



Quamvis enim ΙΑΩ sit adscriptum (*conf.* §. 472.) simillima tamen figura antiquioribus est, et stella, quae eodem Isidis nomine appellatur, addita nos dubitare non sinit, quin Isidem voluerit operis auctor. *Spicae* denique, quibus coronatam etiam apud Aegyptios fuisse Isidem Tertullianus (*de corona c.* 7) tradit, plus certe inferunt quam maternum tantum amorem. Confirmatur sane hoc symbolo antiquissima illa opinio, qua Isidem pro Cerere acceperunt (*Herodot.* 2, 59 *et* 156. *Apollodor.* 2 *ab init. Appulej. met. XI. ab in. Clemens strom. I. p.* 322. *Porphyr. ap. Euseb.* 3, 4, 11. *p.* 115) unde haec etiam, sicut illa mammosa vocatur (*Lucret.* 4, 1164). Ipsam autem nutriendi vim nescio meliori quo symbolo exprimi

82

potuerit quam matris filium lactantis. Quid? quod non filium tantum, sed bovem etiam lactans repraesentata Isis est (*Fabretti p.* 533. *Montf.* 2. *tab.* 126. *Cayl. IV.* 10). Antiquitas certe terram matrem appellabat (§. 414. *Diodor.* 1, 12. *Plutarch. de plac. philosoph.* 1. *p.* 880. *Plin.* 2, 63) et Graecus apud Pausaniam (10, 12, 5) antiquissimus versus Latine sonat: *Quae tribuit fruges tellurem dicite matrem.* Orphicis terra *γαια παμμητηρ* erat (*Fragm. VI,* 37. *p.* 367. *Gesn.*). Unde Statius (*Theb.* 8, 303) eam alloquitur

— — — *O hominum divumque aeterna creatrix*
— — — *impastis quae prima alimenta dedisti.*

Ad illas autem tam frequentes Isidis imagines proxime haec accedit in gemma quadam (*ap. Augustin. I. p.* 48. *Montfauc. I. tab.* 203) incisa



Qua licet Winckelmannus (*Allegor.* 39) Leucotheam repraesentari crediderit, malo tamen eam pro Romana Rumina, habere, quae ex Festo, Plinio, Plutarcho, aliisque satis nota est. Superstitio denique, a qua nihil relictum fuisse intactum novimus, locum dedit vel ipsis Christianis, ex illa Isidis imagine amuleta fabricandi, in quibus praecipiente Marsilio (*de vita coelit. comp.* 3. 18. *Reichelt de amulet. p.* 53) „*virgo pulchra, geminas manu spicas habens, puerumque lactans,*" sit pringenda.

Ex illa autem imaginum serie mihi quidem persvasum est, in 546.
interpretandis apud Montfauconium imagunculis ne cogitandum quidem esse de infernis. Certe neque Caesar, neque Tacitus, quorum ille Gallorum, hic Germanorum, sepeliendi rationem descripsit, quidquam proferunt, quod Monfauconii et Martini interpretationibus favere possit: multo etiam minus de Libitina quadam dea Gallos cogitasse versimile est. Atque inscripta illa ISTILLV, et ISPORON nomina tantum propria esse ut credam eo adducor, quod Caylus (3. *p.* 426) simile nomen lapidi, in Gallia reperto, incisum vulgavit ISTATLI. Nemo enim nostrum barbara Gallorum nomina omnia se cognita habere affirmaverit. Si quis vero omnino appellativa verba desiderarit, haud magno negotio quaedam, illis certe non deteriora, fingere licebit. Populis enim Germanicae stirpis STILLEN semper erat et adhuc est *infantem lactare,* cum Graeci verbi *στέλλειν, sedare,* notione comparandum: et SPAREN iisdem olim significabat *servare, tueri* (*v. glosaria*).

547. Arctissimus autem ille inter imaginem et verba adscripta nexus in antiquissimis jam monimentis reperitur, ita ut eorum sensus integer non intelligatur, nisi ad utraque interdum respexeris (*Biagi mon. Gr. Naniana. p.* 266). Atque idem in gemmis opus esse paucis declarabimus exemplis. Cupidinis, delphino vecti, imagini in gemma adscriptum legimus ΕΥΠΛΟΙ, quod quidem Winckelmannus (*Allegor.* §. 170. *et catalog. p.* 137. *n.* 737) in εὔπλοια mutare vult; sed εὔπλῳ satis intelligitur. Ita navis imagini additum verbum est ΚΑΤΑΠΛΟΥΣ (*Winckelm. cat. p.* 534. *n.* 50). Ad aliam tamen navem adscriptos characteres EVAΣI Winckelmannus (*cat. p.* 533. *n.* 46) non intellexit, qui si penultimum characterem agnovisset, atque perpendisset literam S non solum Σ pingi (*Id. cat. p.* 500. *n.* 167. *Montf. diar.* 556. *Astle tab.* 15) sed hac quoque forma Σ (*Schannat. vindem. p.* 228. *Nov. op. dipl. tab.* 18, 4. *Astle tab.* 14) nullo negotio ΕΥΑΣΙ non tantum legisset; sed vidisset etiam omnino hanc vocem spectare ad navem, a tempestate sospitem. Ita in numis quae adscripta sunt capiti Neronis ΑΠΟΛΛΩΝ ΑΚΤΙΟΣ, capiti Juliani DEO SERAPIDI, et M. Aurelii capiti FAVSTINA AVGVSTA (*Rasche. lex. II.* 2. *p.* 771. 772) facile cum imaginibus componet qui non omnino rerum gestarum ignarus fuerit. De adscriptis rotae verbis ante disseruimus (§. 529).

548. Neque in hoc, quod Ficoronius (*Piombi antichi I. tab.* 10. *n.* 2) edidit plumbo



verbum *φυλασε* nisi conjunctum cum Sarapidis imagine legi debet, quum deus idem ille sit cujus custodia exoretur. Atque eadem quadrant in gemmam (*ap. Capell. n.* 191) et aliud amuletum, quod plumbei numi speciem habet (*Seguin. p.* 2. *Eckhel. VIII.* 318), in quorum utroque Sarapidis capiti adscripta sunt verba in gemma quidem *διαφυλασσε*, in plumbo *φυλαξε*. Pariter quum in gemma apud Sponium (*recherch.* 124. *n.* 19. *miscell.* 16) haec tantum inscripta sint CONSERVATE ME; imagines in ea Harpocratis et Sarapidis reliqua supplent. Similiter in alia (*Capell. n.* 90) imagini Leonis, globum volventis (*conf.* §. 298. 527. 528) nil nisi *φυλαξα* est additum. Quae quidem omnia Baudelotio ignota praeter plumbeum Seguini numum fuisse videntur, siquidem hunc minime, uti debebat, interpretatus est. Quum enim (*utilité des voy. II.* 314) de Saturnalibus ageret, sibique persvasisset, eorum tempore non nisi plumbeis numis Romanos esse usos; ut hoc etiam numo rem probaret, verbum illud inscriptum sic divisit *φυλαξ* E. Jam vero nemo unquam divinaret, litera singula E Saturnalia significari, nisi adesset ille interpres cetera ex ingenio supplens. Vertit enim: „Custos sive protector dies *quinti* Saturnaliorum" vel „Protector *quintus!*" Quae quidem summa licentia documento est, quous-

que praeconceptis opinionibus viri etiam perquam eruditi se abripi siverint. Nec certe ille contortam suam interpretationem protulisset, si similia quae exstant, monimenta inspexisset.

549. De imaginibus omnino cum inscriptionibus conjungendis disputantes nos tamen minime fugit, non solum in statuis (*Montf. diar. Ital.* 191. *palaeogr. Gr.* 153) et in lapidum titulis (*Montfauc. ant. suppl. III. p.* 21. *Salver. Deutsch. R. Adel. p.* 210); sed in gemmis etiam (*Cayl.* 6. *p.* 64. 136. *Mem. de l'acad. I. p.* 273. *Winckelm. Nachr. Herc. Entd.* §. 56. *Gor. inscr. Etr. prol. p.* 46. 51. *Harduin. ad Plin.* 28, 4. *T. II. p.* 489), maxime iis, quas amuletorum loco habuerint (*Winckelm. catal. p.* 414. *Cayl. II.* 39. 40. *VI. p.* 136) imaginibus multo recentiores saepe reperiri inscriptiones. Illud observaverant jam Herodotus (*I.* 52), et Pausanias (1, 2, 4. 1, 18, 3); neque ab ejusmodi fraude alienos fuisse homines Phaedri aetate hi ejus versus (*V. fab.* 1) docent:

Ut quidam artifices nostro faciunt seculo
Qui pretium operibus majus inveniunt novis
Si marmori adscripserunt Praxitelem suo.

Nullus quippe dolus est, quem non versuta venditorum calliditas ad decipiendos emtores adhibuerit. Attamen interdum soli hominum imbecillitati tribuenda sunt quae in monimentis antiquis recentiori manu inscripta leguntur. Quibus adnumeranda Hebraea verba sunt exarata in gemma (*Hist. de l'acad. I. tab.* 8. *p.* 273. *Montf. suppl. I. tab.* 20. 3), qua Minerva et Jupiter, vel secundum alios

Neptunus, repraesentantur, quos Hebraeae inscriptionis auctor pro Eva et Adam accepit. Ac similis absque ulla inscriptione gemma exstat (*ap. Rasp. tab.* 26. *n.* 1768) symbolis tamen diversis, in qua Neptunus certius agnoscitur. Ita in alia adscriptum Isidi nomen Jao (§. 545) a recentiori manu profectum esse (§. 472) haud sine causa suspicatus sum. Reperiuntur enim (*Rasp. tab.* 7. *n.* 327) gemmae simili imagine insignitae, a quibus illa inscriptio omnino abest. Est etiam, ubi artificis impedit error, quo minus verborum cum imagine nexus perspiciatur. Quis enim quaeso in numo (*ap. Bandur. I. p.* 29) inscriptionem VERITAS cum figura *cornu copiae* et *marsupium* tenenti conciliare poterit, nisi in similibus rectius VBERITAS (§. 408) legerit (*Agostin. dial. diss.* 2. *p.* 65. *et ap. ips. Bandur. p.* 37. 285. 331).

Inscripta igitur verba si in gemma a recentiori manu addita 550.
fuerint; fieri potest, ut nullus inter ea et imaginem illis multo antiquiorem appareat nexus. Quo quidem casu vel si omnino desideratur ex imagine adjumentum, interpretis in obscuris verbis explicandis labor utique gravior fiat necesse est. Sed duorum semper memor sit velim. Primum, inspiciendos esse, ubi fieri possit, literarum ductus ipsos (§. 207. 497. 529. *Mem. de l'acad. des inscr.* 35. *p.* 759); deinde, literarum potestatem certam et exploratam si habuerit, accommodandam quoque ad illas solas esse interpretationem, nec de aliis literis in earum, quae vere adsunt, locum substituendis temere cogitandum, ne dicam, somniandum.

551. Recte quidem Porphyrius (*de sacrif. p. m.* 315) edixit „non cujusvis esse significata intelligere, nec quemlibet scripta legere posse, sed eum tantum qui literas praedidicisset. Nihilominus sunt inter philologos non pauci, qui quum tam parvam palaeographiae studio operam impenderint, ut ne literarum quidem varias formas cognitas haberent, inscriptiones tamen antiquas interpretari sibi sumant. Exemplo est Fiorillo Goettingensis, qui in ea, quam (§. 398) dedimus inscriptione perperam I legit pro Γ, Σ pro I, et M pro Σ: quo facto omnis quam dedit inscriptionis explicatio corrueret necesse erat. Jure igitur a nobis saepe desideratae sunt in inscriptionum collectionibus verae literarum figurae. Quibus non inspectis philologorum de emendandis vel restituendis lapidum titulis ludicrae potius sunt exercitationes quam verae, quibus gloriari possint, emendationes.

552. Docti profecto Berolinenses illius in lebete aheneo exaratae inscriptionis (*Corp. inscr. Gr. n.* 32. *p.* 48) veriorem interpretationem eam, quam Carolus Fridericus Hermann (*Heid. Jahrb.* 1827. *n.* 63. *p.* 998) dedit, haud inviti amplexi essent, si meliores illas apud Roseum literarum formas vidissent. Atque hujus rei exemplis unum propterea addere juvat, quia a viris stili lapidaris vel peritissimis suppeditatum est. Evulgaverat enim Fabrettus (*p.* 740. *n.* 502) inscriptionem Graecam, quam Hagenbuchius (*in Gorii inscr. Etr. III. praef. p.* 57) non solum repetiit, sed graviter etiam in illius interpretandi rationem invectus periculum se fecisse scripsit

„num opera sua saxum posset quodam modo *nitescere.*" Quam quidem operam dedit, sed permutatis omnibus fere extremi versus literis. Nihilominus „*feliciter* ab eo restitutam esse inscriptionem" Corsinus (*de not. Gr. p.* 9 *f.*) testatur. Videsne quam levi impendio felicitatem adipisci valeant interpretes. Sed neutri eorum literas ipsas inspicere curae fuisse ex eo patet, quod uterque Fabrettum, qui non nisi typis vulgaribus exscripta exhibuerat verba, secutus est, licet ad manus esset exemplum ligno incisum quod nobiscum Moscardus (*Note overo memorie del museo del conte Moscardo, Ver.* 1672. *p.* 331) ex suo museo communicavit. Est vero hoc:



Atque hoc modo Hagenbuchius *emaculavit*, ut ipsius verbo utar, inscriptionem:

ΕΝΘΑΔΕ. ΚΙ	Hic jacet
ΤΕ. ΑΥΡ. ΕCΩ	Aurelius Ae-
ΠΟC. Κ. ΑΔΔΑ	sopus civis vici
ΝΩΝ. ΤΗC. CΥΡΙ	Addanorum Sy-
ΑC. ΖΗCΑC. ΕΤΗ. Ν	riae qui vixit annos L
ΜΗΝ. ΟΚΤΩ. ΕΝ	Menses octo in
☧ ✱	Christo.

Jam vero, ut clarius perspiciantur doctae istae nugae, comparemus extremi versus

veras literas MIVPOTIAEΩ

cum substitutis ab Hagenbuchio MHNOKTΩN

quo pateat, eum ex decem literis tantum tres retinuisse M, O et E; atque jussisse MIVP legere *μην*, OTIA autem *οκτω*, et EΩ *εν*, monogrammata etiam Christi, ut huic *ἐν* responderent, loco movisse, quorum quidem omnium nihil fecisset, si literarum ductus ipsos inspexisset. Profecto igitur, ut talis lectio infringatur, non nisi debili conjectura opus est, qua retentis veris literis alius quivis sensus eruatur. En illam: M. I. *menses decem* significare series verborum docet. YPOTIA (*ὑπατεια*) E, explico *consulatu sexto.* Ω denique pro *Ὀνοριου* forsan scriptum est. Haud enim semel in lapidum titulis non nisi unus annotatus est consul (*Aringh. I.* 251. *Fabrett. p.* 506). Maxime offendent quidem imperiti in litera P quam, etsi inter Graecas comparet, nihilominus pro Latina accepi: sed recordentur velim eorum quae de literis mixtis

(§. 188) monui, et praesertim obviarum in Graeca quadam inscriptione vocum ΑΡΟ ΚΩΜης, ubi profecto απο intelligendum. Minus etiam curo vocalium commutationem, quippe quae a sola pronuntiatione pendeat. Neque *Εσωποι* mutandum ab Hachenbuchio erat. Est enim patris nomen, et permutatio diphthongorum ΟΙ et ΟΥ satis frequens erat, ut *μοισα* pro *μουσα*, *Σεκοινδος* pro Secundus (*Ficoron. p.* 38) et *ναοι* etiam pro *ναου* (*Salmas inscr. Herod. p.* 123) scriberent.

Ut autem redeat nostra disquisitio eo, unde digressi sumus, 553.
cura primaria eis, qui ex literis probe inspectis sententiam eruere velint, esse debet ut *verba* scite *dividant.* Quod quum in iis, quae nondum intellexerimus, vix fieri queat; sane omnia, quae hoc negotium adjuvare possint, cupide arripiamus necesse est. Sunt autem in illis nomina propria nemini non nota; sunt quoque verba in multis amuletis prorsus eadem. Quae qui cognoverit, et a reliquis semoverit, non solum partem illius pensi se jam absolvisse, sed faciliorem etiam viam ad ceterorum ab illis separatorum sensum expiscandum sibi patere videbit. Est tamen ubi quaestio moveri potest, utrum dividenda omnino verba sint, nec ne, cujus rei exemplum supra (§. 422) attulimus. Aliud in Jaspide incisae (*v. Bertoli ant. Aquil. p.* 324) suppeditant hae literae:

MNHCI
ΘΕΟΥ.

quibus significari potest vel divisis verbis *μνηση θεου*, aut *μνησει*

Θεου, vel non divisis nomen proprium (*Plat. in Crat. Bip.* 3. *p.* 252. *Pausan.* 1, 37, 3) *Μνησιθεου.*

554. In dividendis quidem verbis primo loco attendendum est ad nomina propria supra (§. 452. *sequ.*) memorata Abraxas, Jao, Sabaoth, Adonai, Chnubis, et alia quam saepissime obvia; ut angelorum (§. 158. 194. 195. 298. 299. 301. 302) quae cognitu facilia sunt, quippe quorum plurima cum nomine HΛ (אל) conjuncta hac ipsa syllaba terminentur. Quae quamvis nullo negotio a ceteris verbis separari possint, alia tamen nomina, minus nota, inprimis Aegyptiaca, nonnunquam errorem ut interpreti objiciant fieri potest. Quare cavendum ei est, ne ex inscriptionibus, quae solis nominibus propriis constant, sententiam eruere velit, eoque errore ductus frustra se cruciet. Quot et quanti enim a falsa nominum interpretatione profecti sint errores, docuit jam Reinesius (*in variis lectionib.* 2, 3. *p.* 137. *al.*).

555. Praeter illa nomina propria reperiri etiam in amuletis appellativa dixi cuilibet nota. Quae quidem pro linguarum diversitate diverse etiam sonant, licet idem saepe significent. Amuleta enim quum eo sint excogitata, quod mala avertere, bonaque conservare et custodire viderentur; haud sane mirum est ejusmodi verba, quae possessorum fiduciam augerent, passim in amuletis legi. Eo facilius autem ista verba inter cetera discerni possunt, quod in quibusdam amuletis sola comparent. Atque, ut a facilioribus exempla petamus, quum in amuleto quodam verba CONSERVATE ME

(§. 548) sola legantur; in lamina argentea etiam, quam infra repraesentabimus, vocabulum CEPOYATE, quamvis inter plura, eaque Graecis literis scripta, reperiatur, facile a ceteris secerni ab eoque tam quod praecedit verbum, quam quod subsequitur, probe dividi potest.

Nec solum ad singula, quae nobis nota sint, verba, sed ad 556. complexus etiam verborum, vel formulas quasdam receptas, animum advertamus oportet, quarum exempla mox (§. 560. *sequ.*) suppeditabimus. Quibus omnibus sejunctis et remotis, sola ea, quae nobis adhuc incognita sunt, supererunt. Quae tamen, ut rite indagari possint, subtiliorem etiam curam postulant. Quare haud ingratam fore arbitror, si rationem, quam in iis eruendis inire debeamus, paucis exposuero.

Antiquarum inscriptionum sensum qui capere student, iis per- 557. magnum adjumentum adfert plurium ejusdem generis cognitio et comparatio. Cujus rei documento sint Romani Graecique lapidum tituli, in quibus literas singulas, integra verba significantes, nemo unquam intellexisset, nisi superessent etiam inscriptiones, in quibus eadem verba omnibus perscripta literis leguntur. Quod si de iis monimentis asserere licet, quae nullis mysteriis involuta sunt, quanto hoc magis in amuleta cadere debet, quorum sententias auctores ipsi interdum vel de industria tenebris obscurare voluisse videntur, vel per incuriam certe obscurarunt. Quicunque igitur ad ea interpretanda accesserit, ei permulta erunt in-

spicienda et maxime ea observanda verba, quae similia in pluribus amuletis redeunt. Quod quantumvis otii absumat, indeque ab antecessoribus nostris neglectum fuerit; minime tamen id laboris intermedii praetermittendum est ei, qui ad illum pervenire vult finem.

558. Diligentiam autem justam in interpretandis amuletorum inscriptionibus minime adhuc fuisse adhibitam, non solum ex ipsis interpretum laboribus, sed e judicio etiam de pluribus gemmis ab eis lato, colligi potest, quas gnosticis temere tribuerunt (§. 18. *sequ.* 339. 463. 467). Nec fore quenquam arbitror, qui verborum indices, quas Passerius (*II.* 249) Montfauconius (*II.* 376) et Raspeus (*in f.*) compilarunt, perlegerit, quin illico intelligat, viros illos nihil fere hac in re vidisse, quippe qui ne verba quidem recte diviserint.

559. Equidem haud nego arduum esse hoc verba dividendi negotium, quoties sententia ipsa nobis adhuc ignota est. Sed inter commoda, quae consecuturus est qui in pluribus amuletis identidem redeuntia verba inter se compararit, id ipsum primum est, quod facilius illud verba dividendi negotium expedire poterit: alterum, quod ex vitiose exhibitis literis, vel sensa dissimulantibus vera lectio promtius elicienda erit. Quamvis enim neutiquam eo nos jam perventuros esse certum sit, ut omnia intelligamus; ad id tamen comparatio illa conducat necesse est, ne in uno gemmae exemplari forte corrupto subsistentes longius a recta via abduca-

mur. Certe Scaligerus inscriptionis (§. 461); quam explicandam sibi sumserat, literas perperam non divisisset, neque pro siglis eas accepisset, nec Salmasius, qui illum ridet, eandem inscriptionem totam Aegyptiacam esse temere pronuntiasset, si uterque alias inscriptiones illi similes inspexisset.

Atque commodus hic locus esse videtur, quo utrum fidem li- 560.
teris, in ejusmodi monimentis incisis, adhibere debeamus, nec ne, in criticorum usum quaedam moneamus. Amuleta enim quo ex fonte emanarint, et quibus ab hominibus repetita fuerint, qui probe perpenderit, facile intelliget, sententias eis incisas eo magis corrumpi *potuisse*, quo saepius *transscriptas* eas viderit. In eo enim cum libris scriptis istud monimentorum genus convenit, quod sicut in his, ita in illis, quum plura sint exempla, meliorem ex eis lectionem eligere eamque reliquis praeferre haud dubie licet. Quae quo apertius pateant, et viam ad obscuras interpretandas inscriptiones monstrent; jam nonnulla hujus rei exempla subjungamus, seligentes ex variis inscriptionibus ea tantum verba, quorum singulas, quibus constant, literas, quamvis in non nullis exemplaribus ab aliis discrepantes videamus, ab origine tamen easdem fuisse, quilibet comparatione instituta facile intelliget. Quo facto si non ubique verum verborum sensum divinaverimus, hoc tamen nos effecisse constabit, *ut lectionem certiorem reddiderimus*, aliisque viam struxerimus, qua progressuri meliorem forsan interpretationem verioremque nostrae substituere possent.

Primo igitur exemplo sint haec ex diversis gemmis excerpta verba:

1. CEMECEIΛAM	(*Winckelm. catal. p.* 25)
2. CEMECEIΛΛM	(§. 582)
3. CCMECCIΛAM	(*Chiffl.* 69)
4. CEMECCIAΛM	(*eod. loco*)
5. ..EMECIΛAM	(*in lamina arg. v.* §. 10)
6. CEMECEIAAM	(*Chiffl.* 76)
7. CEMECEIΛAMΨ	(*Gorl.* 372. *Chiffl.* 38)
8. CEMECEIΛAMΨ	(§. 566)
9. CEMECEIΔAMΨ	(*Montf. Tab.* 144)
10. CEMECEIAAI	(*Passer. II.* 251. *n.* 11)
11. CEMECIΛAM	(*Raspe.* 476)
12. CEMEEEIΛAM	(*Raspe.* 553 *lit. invers.*)
13. CEMECEIΛAMΨ	(*Raspe.* 554)
14. CEMECEIΛAM	(*Raspe.* 556)
15. CEMECIΛAM	(*Raspe.* 568)
16. CEMECEIΛAM	(*Raspe.* 569)
17. CEMECIAAM	(*Raspe.* 599)
18. CEMEE.	(*Raspe.* 291)

Quae quidem varia unius ejusdemque inscriptionis exemplaria qui collecta viderit, is certe paratior ad legendam eam accedet, quam neglecta illorum comparatione. Fac enim non nisi tertium exemplar: CCMECCIAAM nobis obvium esse; profecto ne-

quidquam laboraremus, ut recte id possemus legere. Jam vero perspectis reliquis facilius intelligimus legenda esse haec verba ΣΕΜΕΣΕΙΛΑΜ, quemadmodum verior scriptio (*n.* 1, 14 *et* 16) prodit. Quae enim in ceteris ab hac lectione recedunt ea quidem pendent tum ex varia vocalium pronuntiatione (§. 428. 439), tum ex insveta quarundam literarum forma (§. 193) ut τοῦ C pro E (§. 200) Λ pro Δ (198. 580) cet. vel ex negligentia quoque artificum, aut eorum qui literas e gemmis exscripserunt. Sed ista levia sunt nec magni faciet, qui ejusmodi monimentis jam operam dederit, eaque saepius pertractaverit.

Docemur praeterea illa comparatione verba bene dividere. 563.
Quum enim in eo, quod postremo loco posuimus, exemplari vox CEMEE (pro CEMEC) sola legatur, post hanc in reliquis inscriptionibus alterum vocabulum incepisse non obscure patet. Nec literam Ψ, quae in quibusdam exemplaribus addita est, ad illa verba pertinere (§. 568) sed abesse posse, reliqua docent. Ex omnibus igitur exemplis seligenda, ac sic dividenda verba videntur ΣΕΜΕΣ ΕΙΛΑΜ.

Jam vero quid ea sibi velint et cuiuam linguae sint adscri- 564.
benda disquisituri Graecam excludant necesse est, quippe quae literam M in verborum fine omnino respuat, secundum illud Ausonii

„*Vocibus in Grajis nunquam ultima conspicitur M.*"

Quumque nec Latine illa sonent, restat vel Aegyptiaca lingua vel

ex Semiticis aliqua eligenda. Quo quidem arduo in negotio utique necesse est generaliorem quendam illorum verborum sensum eruere, qui cum omnium illarum inscriptionum reliquis verbis convenire possit.

565. Quidam ex theologis errores patrum ecclesiae imprudenter secuti quum omnia fere intellectu difficilia a gnosticis profecta esse putarent; in illis verbis vocabulum Messia deprehendere sibi visi sunt. Quos inter Jablonskius (*in misc. nov. Lips. VII.* 76. *sive opusc. IV.* 91), quem incaute Heynius (*opusc. VI.* 267) secutus est, ad gnosticos illa verba referens haec edisserit: „conjungitur porro cum nomine Abraxas ipsum nomen Messiae . . etsi nomen hoc commentatores (gemmarum) eruditissimi et optimi, quantum recordari possum, illic nondum viderint deque eo lectorem monuerint. Id quod dixi exemplo aliquo non ignobili comprobabo.“ Quo quidem exemplo inscriptionem (*nobis* 3 *et* 4) intelligit a Wendelino (*ap. Chiffl. p.* 113) explicatam. Cujus interpretatione rejecta „se non dubitare, ait, quin ΜΕΣΣΙΑΑΜ utroque loco legendum sit, praesertim quum *παραγγησε*, quod idem in gnosticorum apud Irenaeum formula obvium, praecedat.“ Verum enim vero neque hoc verbum intellexit, atque omnis ejus error inde natus est, quod non nisi unam examinavit gemmam, ac ne in ea quidem quae praecedunt et quae sequuntur verba omnia explicare aggressus est, parum de quaestione sollicitus num in orationis contextu aptum appareret nomen illud Messiae. Quid multa? aperto er-

rore virum doctissimum illa scripsisse infra (§. 601) videbimus. Eodem fere modo venerandus Bellermannus (*III.* 17) similem inscriptionem (*nobis n.* 6) ΣΕΜΕΣΑΙΑ ΑΜ legit literisque זה משיח אמן explicat, ubi, ut Amen legi possit literam N in fine ex ingenio addere coactus est; quod sane non fecisset, si a ceteris inscriptionibus, quas proposui, *omnibus* eam abesse vidisset. Qui quidem errores quum aperti sint, ut similes etiam effugiat interpres, omnino debet, antequam rem aggrediatur, alia quae exstant ejusdem generis monimenta inspicere.

Quoniam verbis, quae sunt ambigua, imagines cum iis con- 566.
junctae saepe lucem afferunt (§. 408. 477. 479); equidem has nunc etiam adjutrices mihi adscivi. Sed praemittendum videtur, quod Plinius (37, 40. *p.* 784) testatur, „consvevisse superstitiosos homines *Solis nomen* in gemmis incidere;" id quod exemplis hodieque exstantibus confirmatur. Capiti Apollinis in gemma quadam (*Winckelm. catal. p.* 198. *n.* 1179) adscriptum legimus SOL. In Sarda musei Borgiani Soli additum est Aegyptiacum ejus nomen ΦΡΗ (*Zoega de obelisc. p.* 159), atque id ipsum in alia gemma, a Pocokeo (*I. tab.* 65) edita observatur. Quibus nunc exemplis hoc etiam (§. 561. *n.* 8) addimus:



In adversa facie Sol comparet, quadrigis vectus: in aversa monstrum illud, cui vox quidem *Ιαω* adscripta, figura autem Solem itidem repraesentari verisimillimum est (§. 121. 460). Quae in ora leguntur verba ΣΕΜΕΣΕΙΛΑΜΨ Passerius (*II. p.* 252. *n.* 17) sic interpretatur: „*Σημα* nota, sigillum. *Σιος* Laconice Divinus. *Nota sigillum divine Jao!*" Haec ille, qui (*p.* 261. *n.* 67) eadem ipsa verba in alia gemma incisa explicat: „*Meses, forte qui supra Mesié, et Mesithes, Mithra!*" Ne vero ejusmodi nugis lectorem moremur, prima vox, ut supra (§. 507) vidimus, omnino ΣΕΜΕΣ legenda est. In qua quid impediat, quo minus Hebraeum Solis nomen שמש agnoscamus, haud equidem video. Qui enim Graecis literis Hebraea Solis nomina redditurus erat Epiphanius (*haer.* 16, 2. *p.* 34) pariter *Ημα και ΣΕΜΕΣ* scripsit. Atque eandem hujus vocis interpretationem aliae etiam gemmae confirmant. Quarum unam Winckelmannus (*catal. p.* 23. *n.* 94) sic describit: „In adversa parte Harpocrates facem dextra tenens loto insidet; inscriptio est ΦΡΗ. In aversa autem legitur ΣΕΜΕΣ ΕΙΛΑΜ. Habes igitur in una eademque gemma Solis nomen quum Aegyptiacum, tum Semiticum; quare bilinguibus ea est adnumeranda. Harpocratem autem eundem ac Solem fuisse non est, quod hoc loco demonstremus.

567. Nec Montfauconium latuit, Graecas literas ΣΕΜΕΣ Hebraeis שמש explicandas esse (*ant. expl. II. p.* 358 *f.*). Quoniam autem reliqua exempla cum suo haud satis accurate contulerat, a Chiff.

letio (*p.* 118) in errorem se abduci passus est, alterumque verbum Graece *ειλαμψε* legit, quamvis in nullo exemplo ultima E exstet, et Ψ a plurimis etiam absit. Neque ista duorum tantum verborum ex variis linguis interpretatio facta mihi arridet, sed persvasum potius habeo, posterius quoque Semiticum esse, atque עלם explicandum; quod nunc quidem, secundum Masoretharum puncta, modo *ulam* modo *olam* Judaei pronuntiant, veteres autem interpretes, quum עילום (2. *Chron.* 33, 7) etiam *aeternum*, perperam quidem verterint, aliter videntur pronuntiasse, sicut Arabes id hodieque IAAM efferunt, pari igitur ratione, qua in multis gemmis (§. 561. *n.* 5. 11. 15. 17) hoc inscriptum esse vidimus. Verborum enim scriptionem cum ipsa eorum pronuntiatione variare, alia exempla docent. Quorum unum, illi quidem perquam simile, hoc est: Hebraeum verbum אולם Coptitae scribunt ΕΛΑΜ (§. 570), Alexandrini Graecis literis reddunt *αιλαμ* (*Jablonskii opusc. I.* 85. *Sturz.* 86), hexapla *αλαμ* (*Montf. p.* 38), prorsus igitur diversa ratione, qua Masorethae, qui tam עלם, quam אולם, *ulam* efferunt. Quodsi Raspeus (*n.* 523) verum vidit, in una etiam gemma ΕΥΛΑΜ legitur. Illa denique mea hujus verbi interpretatio omnino confirmatur tot lapidum titulis aliorumque monimentorum inscriptionibus, in quibus SOL AETERNUS dicitur.

Restare videtur ut additae in quibusdam exemplaribus (*n.* 7. 568.
8. 9. 13) literae Ψ caussam declaremus. Sed certi quidquam statuere nequimus. Illa enim litera tam pro numero septingentorum,

quam pro interpunctionis signo in lapidibus adhibetur. Sed quo modo cunque eam explicaveris, ad nostram certe inscriptionem nihil attinet. Perperam enim praecedentibus literis eam jungi, satis commonstrasse mihi videor. Quin amuleta etiam, recentioris quidem fabricae, reperiuntur (*Misc. Lips. V. Tab. ad p.* 298), quorum in medio collocata litera Ψ sola exstat. Superstitiosum aliquando ejusdem literae usum fuisse, ex quodam Marcelli Empirici (*c.* 10. *p.* 87) loco verisimile fit, quo praecipit: „Scribes in charta virgine et collo suspendes lino rudi ligatum tribus nodis ei qui profluvio sanguinis laborat: *Ψα Ψε Ψη Ψε Ψη Ψα Ψε.*" Septies igitur repetitam (§. 237. *sequ.*) et vocalibus junctam illam literam observaveris, quae ipsa septingentesimum numerum exprimit.

569. Quoniam autem Jablonskius, ut probaret illud ΣΕΜΕΣΕΙΛΑΜ interpretandum esse ΜΕΣΣΙΑΣ, vocem antecedentem in gemma ΦΑΡΑΝΓΗΣ in subsidium vocavit, eamque eandem esse credidit atque vocabulum *ουφαρεγ*, quod apud Irenaeum (*I. c.* 21. *p.* 95) legitur; illius quidem vocis varie in amuletis scriptae comparatio more nostro instituenda erit. Quam tamen antequam aggrediamur, operae pretium esse videtur, paucis disquirere, quid de Jablonskii et Rhenferdi, quem ille secutus est, opinione existimandum sit. Ac primum quidem barbaram apud Irenaeum formulam, in qua illud *ουφαρεγ* legitur, corruptam esse vel librariorum culpa, vel ipsius Irenaei inscitia, eruditorum neminem jam fugit. Quare Graecae apud eundem versioni majorem quam ipsis verbis barba-

ris, fidem adhibeamus necesse est. At vero cum Graecis minime convenit Rhenferdi et Jablonskii explicatio, qui vocem *ουραρεγ*, Hebraeis literis ופרוקא scribendam esse, et redemtorem ea significari contendunt. Magis certe interpretatio placuisset, si illius verbi loco פרע divinando elegissent. Namque non solum literam Γ pro Hebraea ע a Graecis interdum scriptam fuisse (§. 439. 440) compertum habemus; sed etiam פרע verbo *διαιρειν*, quod in Graeca est versione, respondet. Atque haec jam sufficere possunt, ut perspiciatur quam infirmum in ΣΕΜΕΣΕΙΛΑΜ interpretando sit illud a Jablonskio ex antecedente verbo sumtum praesidium.

Recenseamus nunc ex singulis gemmis varios illud vocabulum ΦΑΡΑΓΓΕΣ scribendi modos, additis quibusdam literis, quae proxime id antecedunt. Legitur enim 570.

1. CECENΓENBAPΦAPANΓHN (*infr. in Jasp. Waldecc.*)
2. CECEΓΓENBAAΦAPANΓHC (*Chifflet.* 69)
3. CECENΓENBAPΦAPANΓHC (*Inscr. Etr. I. tab.* 12)
4. CECEΓΓENBAPΦAPANΓHC (*Spon. voyag.* 1679. *I.* 425)
5. BA ΦAIANΓHC (§. 334)
6. CIC INΓEVIIANΦAPANΓHN (*Midleton.* 73. *tab.* 3)
7. CHCHNΓEM . . . . . NΓHC (*lam. arg.* §. 10)
8. BA ΘAIANΓHC (*Rasp. n.* 568)
9. BAPOAIANTHC (*Rasp. n.* 569)
10. CECENLENBVЬΦVЬ NIHC (*Rasp. n.* 601)

Persaepe igitur in amuletis haec vocabula comparent: sed eo ipso,

quod frequentissimo usu invaluerint, pessime ea plerumque scripta esse videmus, ita ut in non nullis magnopere etiam ratio scribendi differat. Quibus omnibus inter se comparatis, mendisque, quae manifesta sunt, correctis, primum intelliges veram lectionem esse ΦΑΡΑΝΓΗΣ et ΦΑΡΑΝΓΗΝ; deinde, conjungi interdum id vocabulum cum antecedenti ΒΑΡ; denique, ΣΕΣΕΝΓΕΜ in tribus gemmis desiderari, quare has literas hic silentio praeterire nobis licet, postea (§. 576) de iis disserturis. Sed noli certam nunc illorum verborum interpretationem a nobis exspectare, qui id tantum agimus, ut exemplis ostendamus veram quidem verborum *lectionem* stabiliri posse, omnes autem eorum *explicandorum* conatus saepe non nisi meris conjecturis adnumerandas esse.

571. Ac primum ad verba illa interpretanda quum accederem altero vocabulo ΒΑΡ (*forsan* בר) eo fere adducebar, ut alterum φαραγγης a Chaldaica lingua repetendum esse censerem. Quoniam autem videbam variare inflexionem, et modo φαραγγης, modo φαραγγην scribi; ad Graecam linguam confugi, qua φαραγξ vorago, hiatus, vel etiam vallis sonat. Neque enim litera Ν pro Γ, neque litera Η pro Α et Ο substitutae me remorari potuerunt perpensis iis quae de harum permutatione adstruxeram, et quae dudum ante me Sturzius (*p.* 151) congesserat. Quo autem pacto φαραγξ cum illo βαρ conjungi posset excogitare quidquam frustra laborabam, donec incidens in Josephi (*de bello Jud.* 7, 25. *p.* 417) locum, jam jam illud perspicere mihi videbar. Sunt enim haec illius verba:

„*Της φαραγγος δε της κατα την ἀρκτον περιεχουσης την πολιν* (*Μαχαιρουντα*) *Βααρας* (al. ΒΑΑΡ, ut Haverkampius monuit) *ὀνομαζεται τις τοπος, φυει τε ῥιζαν ὁμωνυμως λεγομενην αὐτῳ:*" deinde hanc in valle (*φαραγγι*) radicem *Baar* colore, ait, flammae assimilem esse, vespere autem fulgurare. Magnum discrimen subire eos, qui evellere eam conentur. Esse tamen modum, quo sine periculo capi possit. Quibus denique haec addit: „Expetitur autem propter unam virtutem non obstantibus tantis periculis. Nam daemonia, malorum hominum animae, quae viventes invadunt, eosque si nihil auxilii praesto est, perimunt, hac (radice), simulac aegrotibus admovetur, statim abiguntur."

Cui quidem fabellae, a Dahleo (*idolol.* 5. *f. p.* 518. 519) et 572.
Wiero (*de praestig. daem.* 5, 22. *oper. p.* 415) merito explosae, omnino similis illa de Mandragora esse videtur, quam radicem a Rachele olim expetitam esse Judaei perhibent, qui in vexillo quoque patriarchae Ruben hominis figuram pictam fuisse, ferunt „juxta vim symbolicam *Mandragorarum*" (*Aben Esr. ad Num.* 2, 2). Atque Orpheus hujus radicis jam dudum (*argon.* 917) meminerat, pariter ac Lucianus (*Timon.* 2. *T. I. p.* 72); et Romanus quoque Plinius (25, 13, 94) quae cavenda sint eam effossuris docuit. Formam radici fere humanam esse, et a Pythagora inde *ανθρωπομορφον* eam appellatam dicunt. Columella certe (10, 19. *p.* 730)

Quamvis semihominis vesano gramine foeta
Mandragorae pariat flores - -

scribit; et in Dioscoridis libris scriptis (*Lambecc. commentar. ed.* 2. *L.* 2. *p.* 215) ita eam depictam esse videmus



hac subscriptione addita: *κυων ἀνασπων τον μανδραγοραν, ἐπειτ' ἀποθνησκων.* Canis enim inter hanc Mandragorae imaginem et aliam Dioscoridis pictus est moribundus. Quae quidem cum relata a Josepho ratione radicis absque periculo evellendae apprime conveniunt. Scribit enim alligandum illi *Βααρ* (*φαραγγος*) esse canem, qui dum eum, a quo alligatus esset, sequi velit, radicem facile evellat, quo facto canis quidem illico moriatur, herbae tamen possessore servato. Fabella huic similis de difficultate effodiendae herbae Moly exstat etiam apud Homerum (*Odyss. X,* 305. *add. Ovid. metam.* 14, 292. *Plin.* 25, 4 *et* 30, 2. *Fabric. bibl. Gr.* 2. *p.* 659).

573. Jam vero nihil obstare mihi videbatur, quo minus Josephi *Βααρ*, in *valle* crescentem, ab amuleti auctoribus intellectam esse

putarem, uisi quis forte rationem scribendi *Βαρ φαρανγης* pro *Βαρ της φαραγγος* objicere vellet. Sed haec levia esse in illorum temporum monimentis facile agnoscet, qui in ipso Alexandrino codice (*Judith.* 10, 13) *φαραγγαν* pro *φαραγγα* scriptum esse observaverit. Mihi tum verisimile videbatur, primum casum *φαραγγη* pro *φαραγξ* scriptum fuisse, secundum *φαραγγης*, cet. Quid? quod quartum etiam in duobus amuletis legimus, nempe *φαρανγην*. Quare inflexum esse hoc nomen secundum primam declinationem vocis *γη* videbatur, ad quam respexisse etiam credebam eos, qui utriusque vocabuli significationem secum forsan reputassent. Prima quidem vocis significatio sensim in oblivionem venisse, nomen vero una cum reliquis, quae ejusdem sunt generis, servatum esse videbatur, quod quasi mirificum inter alia nomina inserendum curassent praestigiatores. Pari modo ille *coeli dominus* a barbaris בעלשמין appellatus, in nomen proprium transiit,* quod Graeci *Βεελσαμην* scribebant, Romanique deinde suo more *Balsamum* flectebant, quin in femininum etiam genus transferebant *Belisamam* scribentes (§. 106).

Sed tantum abest, ut pro certa atque unica vera illam interpretationem haberi velim, ut aliam prorsus diversam nunc subjiciam. Inter Graeca infimae aetatis vocabula *βαρυς fortis* significat, unde in Latinam etiam linguam transiit secundum illud poetae (*ap. Cangium*): 574.

Est bares fortis, baroque monstrat idem.

Atque hoc sensu etiam accipiendus est „*baro* ille longus et valde audaculus“ apud Petronium (*c.* 63), id quod reliqua hujus fabulae verba docent. Notum quoque ex Byzantinis scriptoribus (*Glossae Nicetae praemissae v.* Βαραγγος. *Cangii gloss. in Annam Comn. Cinnamo add. p.* 256. 257. *Explan. dign. Catacuzeno praem. et in ind. h. v.*) est nomen Βαραγγοι, quod sonat *satellites* sive corporis imperatoris custodes. Βαρυς βαραγγος vertendum igitur *fortis satelles* sive *custos*, et haud absurde conjeceris φαραγγης ex illis enatum esse. Literam enim B frequenter in Φ abire notissima res est (§. 639). Sed ipsum illud Graecobarbarum φαραγγοι, *quod a Waringis deducunt*, forsan a voce φαλαγξ originem traxerit, permutata litera Λ cum Ρ (§. 379), quamvis cum viris doctis (*Speelmanno p.* 65. *v. Baro. Wachtero in gloss. p.* 1869), qui aliud etymon proferunt, de eo contendere nolim. Ac certe *fortis custodis* in amuletis invocatio aptior videtur, quam illius apud Josephum herbae.

575. Quo magis autem perspicias non nisi incertas conjecturas a me esse prolatas, tertiam eis addam, ductam a comparato illo nomine cum vocabulo Graeco φερεγγυος, quo *validus* et *idoneus ad praestandum aliquid* apud Herodotum ejusque aequalem Aeschylum intelligendus est. Non enim solum Graeci saepe A pro E scripserunt, sed in Graeco-Aegyptiaca praesertim dialecto hanc commutationem usu receptam fuisse Sturzius (*dial. Mac. p.* 117) docuit, qui ex Rosettana inscriptione (*v.* 21) addere poterat παντας

pro *πεντας*. Obstare nobis quidem vocis terminatio videtur, quum *φερεγγυος*, non *φερεγγης*, scribendum fuisset; verum iste facilis error non solum ex corrupta orthographia, qua H pro Y quam saepissime ab Aegyptiis usurpabatnr (*Sturz.* 121.* *Eckhel. IV.* 3. *Didym. Taurin. lit. Copt.* 49) oriri poterat, sed ex eo quoque quod ad etymon vocis respicerent, quae quum sit composita verbo *φερειν* et nomine *εγγυη*, solius nominis terminationem praevaluisse et flexam fuisse verissimile est.

In verbis quae nunc disquisitioni subjicio, aeque dubius haesi. 576.
Sunt autem haec:

1. ΣΕΣΕΝΙΕΜ (*Passer. II.* 252. *n.* 13)
2. CECENIEM (*Fabretti p.* 636)
3. CECEΓΓΕΝ (*Spon. voy.* 1679. *I. p.* 425)
4. CECENΓΕΜ (*Winckelm. catal. p.* 496. *n.* 143)
5. CCCEΓΓΕΝ (*Chifflet.* 69)
6. CHCHNΓΕΜ (*in lam. arg. v.* §. 10)
7. CICINΓΕVII (*Midleton. p.* 73. *Tab.* 3)
8. CECENTEN (*in Jasp. Waldecc.*)
9. CECENLEN (*Raspe n.* 601)
10. CECENTEP (*Raspe n.* 8917)
11. CECENΓΕΝ (*Montf. Tab.* 166. *fig. ult.*)
12. CECENΓΕΝ (*Gor. inscr. Etr. I. tab.* 12)

Quibus omnibus inter se collatis patet, ceteris meliorem esse lectionem ΣΕΣΕΝΓΕΜ sive ΣΕΣΕΝΓΕΝ. Sed ignari qua lingua

haec scripta sint, non nisi divinando sensum assequi possumus. Sint licet illa seriori tempore nominis proprii instar usurpata; sint postea ab ipsis etiam praestigiatoribus haud intellecta: nihilo tamen minus nostra interesse putamus, ut eorum originem investigemus. Quam si quis negaverit a nobis esse perspectam, diligentiam tamen a nostro ea explicandi studio non abfuisse illum agniturum speramus.

577. Ad Graecam linguam illa non pertinere terminatio nos docet: quae in quibusdam inscriptionibus EM est (§. 564). Nec magis in Coptica voces istae reperiuntur. Semiticis autem dialectis propria varians haec modo in N, modo in M terminatio est: pluralis enim numerus, qui Hebraea dialecto in M exit, aliis litera N terminatur. Quin interdum etiam Graeci suis literis Hebraea scribentes, quum ab illa litera in fine verborum collocanda abhorrerent, N pro M substituerunt (*Montf. in hex. II*, 396). Perperam igitur librarii errori tribuit Breitingerus (*proleg. c.* 2. §. 4) quod reperiret semel atque iterum ab Alexandrinis scriptum esse *Αβϱαν* pro *Αβϱαμ*.

578. Jam vero quum omnia propemodum ad Solem olim relata esse (§. 464) animadvertissem; in illis etiam verbis hujus cognomen latere suspicatus sum. Quoniam enim Solem intuentibus hujus praesertim lux in oculos caderet; philosophi luminis auctorem ipsum Solem esse sibi persvaserunt (*Plat. de re publ.* 6. *tom.* 7. *Bip. p.* 118. *Martian. Cap.* 2. *p.* 43). Unde in sacris etiam Sol *κοσμου φως* appellabatur (*Macrob. Saturn.* 1, 23. *f.*). Plurimi autem ab anti-

quissimis inde temporibus putaverant *Solem videre*, ejusque oculos nihil fugere posse. Aegyptii certe *πολυοφθαλμον* eum appellarunt (*Diodor.* 1, 11. *Plutarch. de Is. p.* 355), quia omnia Sol accurate videret (*Horap.* 1, 32). Atque Hebraeorum poetas idem sensisse ex eo colligo, quod quum aliis locis לפני יהוה (*Gen.* 27, 7) vel לפני אלהים (*Ps.* 56, 14) scripserint, alio legimus לפני שמש. (*Ps.* 72, 17). Chaldaeus quoque interpres (*Exod.* 10, 15) Soli oculum tribuit ית עין שמשא memorans. Philosophi Solem modo mundi, modo coeli *oculum* nuncuparunt (*Fabric. bibl. Gr. XIII. p.* 557. 566. 573) quemadmodum et poetae (*Orph. hymn.* 7, 14. *Martian. Cap.* 2. *p.* 43), quorum quidam Jovis oculum (*Hesiod. op.* 265. *Cornut.* 11. *p.* 153. *Gal.*) Solis nomine appellarunt (*Orph. fragm.* 6, 26. *p.* 366. *Macrob. Saturn.* 1, 21) qui omnia videret (*Hom. Il.* 3, 277. 14, 345. *Odyss.* 12, 323. *Aeschyl. in Prometh.* 91. *Orph. hymn.* 7, 1. *lapid.* 18, 72. *Maneth. apothelesm.* 2, 342. *Porphyr. ap. Euseb.* 9, 1, 2. *p.* 404. *Procl. hymn. in Fabrett. bibl. Gr. VII.* 511. *Artemidor. Daldian. de divin. e somn. p.* 161. *Rigalt.*). Et sicut Ovidius (*met.* 4, 172) de Sole „*vidit hic deus omnia primus,*" ita Menander „*per Solem,*" finxit, „*deos videre reliquos.*" Nec poeticam tantum fuisse sententiam „*a nemine Solem falli posse*" (*Ovid. art.* 2, 573, *ex Pind. Pyth.* 3); sed idem plebi etiam persuasum fuisse, lapidis titulus (*ap. Murat.* 1215, 6) docet Severae cujusdam, in quo extrema verba: SOL TIBI COMMENDO. TV INDICES EIVS MORTEM, ad illam Solis vim spectare arbitror, qua necis auctorem

possit prodere. At vero criticorum more, qui quae non intelligunt corrigere sunt parati, Paciaudius (*in anagl. Gr. int. p.* 13. *n. b.*) verba TV INDICES claris exarata literis mutare conatur substituendo VT VINDICES. Certe utro modo legeris, violenta semper mors intelligenda erit; quare hoc loco, ut ubique fere, tuendas esse literas scriptas censeo. Quid tandem sibi velint *Solis* in amuletis *oculi* facile intelligent qui perpenderint a tutela providentiam non posse separari. Atque in hieroglyphicis Aegyptiorum notis *oculo providentia* denotatur, et apud Hebraeos etiam verbis (*proverb.* 20, 8) *„rex oculis suis dispergit omne malum"* eadem res significatur. Unde hi etiam et Syri (*Kirch. Oedip.* 2. 1. *p.* 407) ex Ezechielis (10, 12) loco Seraphos multis oculis praeditos finxerunt, et magis ridicule Arabes in Azaelis angeli facie inesse tradunt (*ap. Kirch. p.* 411) CCCLX oculos, in quorum singulis tres esse oculos.

579. Solem igitur *mundi lumen* esse, Solisque *oculos* nihil latere posse quum communis hominum opinio tulerit, hujusque sideris in amuletis etiam quam saepissime mentionem vel aperte vel perplexe sive oblique fieri quum adverterim; illud in gemmis nostris ΕΝΓΕΜ sive ΕΝΓΕΝ huc etiam referendum et Hebraeis literis עינים sive עינין explicandum esse conjeci. Quam quidem conjecturam licet valde incertam esse ipse agnoverim; ratio tamen Graecis literis vocem illam scribendi defendi potest, quum Masorethae ipsi dualem ENAJIM pronuntiarint, atque penultima E, pro Hebraeo Jod substituta, ab Eusebio aeque atque ab Augustino in nomine

Beelsamen (§. 106) pari modo pronuntiata fuerit. Quae autem restat prior inscriptionis pars ΣΕΣ, sive זיז, sive ציץ eam legeris, unum idemque erit, quum utrumque verti *splendor* possit. A splendore quoque illam summi Judaeorum pontificis laminam ציץ appellatam esse sunt qui contendant. Ceterum *splendoris oculorum* cognomen Soli convenire ex supra dictis colligi posse videtur. Sed aliter etiam Graecae illae literae Hebraeis שֵׁשׁ reddi possunt, quibus *sex* denotatur. Quam quidem significationem si quis alteri splendoris praeferre maluerit; vix tamen illam explanabit nisi ad eam veterum opinionem recurrerit, qua sexenarium numerum perfectum esse statuebant (*Vitruv.* 3, 1. *Laurent. Lyd. II.* 10. *die Ven. p.* 69. *Martian. Cap.* 7. *p.* 240); ex quibus Lydus hoc etiam docebat, hexade *sanitatem* effici in corporibus. Quo vero modo cum nomine, quod praecedit, altera haec interpretatio conciliari possit, equidem non capio.

Quodsi ulla in amuletis verba solemnia fuere, ea profecto sunt, de quibus nunc quaestionem instituamus. Quoniam autem diversissime sunt scripta, agedum haec quoque singula lectorum oculis subjiciamus. Sic enim variat scriptio: 580.

1. ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ (*Chiffl.* 35. *Raspe* 371)
2. (ΑΒ)ΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ (*Lamina arg.*)
3. ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ (*Wilde gemm. Tab.* 30. *n.* 115)
4. ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΕΑ (*Baron. et Chiffl.* 29)
5. ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΕΑ (*ap. Creuzerum*)

6. ABAANΔΘANAABA (*Fabretti.* 536)
7. AN^ANAΘANAAΣA (*Caylus. VI. Tab.* 22)
8. ABAANAΘANAABA (*Passer. II.* 252. 12)
9. ABAANAΘANA EA (*Id.* 250. 3)
10. ABAANAΘANAAKA (*Jaspis Waldecc.*)
11. APAANAΘAMAAKA (*Bellerm. II.* 37)
12. ABAA ΘANAABA (§. 584)
13. ABL ATANALBA (*Lambecc. I.* 194)
14. ABAANAΘANAABA (*Scalig. Opusc. p.* 569. 572)
15. ABAANAΘANAABA (§. 584)
16. ABAANAOANAABA (*Cap.* 48)
17. ARAANAΘAMAABA (ubi legatur, jam non recordor.)
18. (AB)AA(NA)ΘANA(A)BA (§. 584)
19. ABAANAΘANAABA (*Raspe.* 552)
20. ABAANAΘANAABA (§. 581)
21. ABAANAΘANAABA (*Raspe.* 621)
22. ABAANAΘANAABA (*Museum Cass. male Capell.* 20)
23. ABAANAΘANAABA (*Raspe* 216)
24. ANAABA (*Raspe Tab. VIII.*)
25. ΘANAAƎA (*Raspe* 1535o)
26. ABAANAΘANAABA (*Raspe* 553)
27. ABAANAΘANAAEA (*Pocok. I. Tab.* 65. *f.*)
28. AANAΘANAA (§. 582)

581. E quibus omnibus, quae congessimus, haud sine ratione colli-

gitur rectam et veram lectionem esse ΑΒΑΑΝΑΘΑΝΑΑΒΑ. Haec enim exstat in maxima illorum amuletorum parte (*n.* 1, 2, 3, 8, 14, 19 *usque* 23, *et* 26). In reliquis variat error vel ipsorum auctorum, vel eorum, qui verba exscripserunt. Atque illa quidem verba tum dextrorsum, tum etiam sinistrorsum legi posse, primus monuerat Raspeus (*n.* 355): in interpretandis autem eis facem nobis praetulit Bellermannus, qui (*II.* 34) sententiam Semitico sermoni vindicavit, suspicatus ea significari אב לנו אתה, *Pater nobis tu* (es). Quae licet ingeniose ab eo prolata sint; pure tamen hanc ejus interpretationem comprobare nequeo. Primum enim magis commoda esset lectio, magisque Graecis literis respondens, si pro Hebraeo לנו Chaldaicum לן substitueretur. Id quod Gesenius (*Allgem. Lit. Zeit. Halle* 1818. *B.* 2. *n.* 192. *p.* 703) jam vidit, qui proinde ex Syriaca lingua illa interpretatur, eodem tamen sensu servato. Deinde ipse Bellermannus quum et dextrorsum et sinistrorsum eundem versum verti posse agnoverit, minime אתה, neque Gesenius אתא, legere debebant, quoniam quae ultimum verbum terminat litera Θ medio inter omnes loco posita est, ideoque bis hanc quidem legere licet, tum a dextra, tum a sinistra, eam vero quae illam sequitur non item (§. 586). Accedit superstitiosa opinio de singulari quadam septenarii harum literarum numeri vi et efficacia, quae cum hujus formulae usu conjuncta fuisse videtur. Optime quidem inscriptionis literas ordinavit et disposuit gemmae hujus, quam Raspeus (*Tab. VIII. n.* 355) edidit, auctor:



Litera enim Θ medium tenet locum. Quod ad interpretationem attinet, mirum etiam videtur pro usitatissimo אבינו conjici posse scriptum fuisse אב לנו אתה, vel אב לן אתא. Neque cur huic omnino interpretationi inhaerendum sit video, praesertim quum non deficiat alia extremam vocem interpretandi ratio. Si quis enim cabbalistas audierit, את deum significat, quippe qui principio (א) sit prior, et omni fine (ת) posterior (*Bochart. geogr. sacr. II.* 826). Sunt tamen rationes, per quas ad praeferendam aliam, quae nunc sequitur, interpretationem adducar. Illud enim לן desiderare verbum videtur, quod pronomini respondeat. Atque hoc ipsum in promtu est, modo את non *Tu* vertamus, sed *Veni.* Certe ad amuletorum rationem atque usum *advocatio* numinis cujusdam adjutoris his verbis: *Pater ad nos veni* accomodatior erit, quam simplex affirmatio *Pater nobis tu,* quae nihili est in isto monimentorum genere. *Μαραναϑα* etiam, quod in Pauli apostoli epistola legitur (1. *Cor.* 16, 22), ab Isidoro (*Op. III.* 520) aliisque

(*Suidas h. v. Leusden onom.* 175) vertitur „Dominus *venit.*" In nostra autem inscriptione forma את breviata aperte indicat modum imperativum. Sensus vero similis est formulae „*Deus nobiscum*" in ecclesia Latina saepenumero repetendae. Et fidem denique meae interpretationi facit Chaldaeorum usus loquendi, siquidem pro Latino *Feliciter*, Graeco *Αγαϑη Τυχῃ*, et Hebraeo בגד (*Gen.* 30, 11) Onkelos אתא גד scribit, Hierosolymitanus אתא גדא טבא et Jonathan אתא מזלא טבא.

Quod gnosticis verba illa in gemmis incisa tribuunt viri docti, hoc quidem faciunt nulli idoneo argumento innixi. Equidem gnosticis longe anteriorem hanc formulam esse ex eo mihi persvadeo, quod aliae gemmae, quis fuerit ille pater (אב) satis declarant. Sol videlicet erat et Priapus (§. 606) omnia generans (*Cuperi Harp. p.* 89, *ibique Vossius. Gesn. ad Orph. p.* 192. 193). Unde Solem Julianus imperator (*orat.* 4. *oper. p.* 131) *ἁπαντων* ΠΑΤΗΡΑ appellat, Fulgentius (*myth.* 3, 8. *p.* 123. *Munck.*) *omnium rerum* PATREM. Qui quum unus idemque ac Priapus fuerit (*Codin. antiqu. Const. p.* 13. *Svidas, al.*); hujus quoque signo (*ap. Caus.* 7, 1) subscriptum in basi legimus: ΣΩΤΗΡ ΚΟΣΜοΥ. Edidit Molinetus (*tab.* 50. *n.* 7 *et* 8) gemmam, a Montfauconio (*Tab.* 162) postea repetitam, cujus in adversa facie figura hominis quatuor alis et totidem brachiis praediti conspicitur; aversa autem in facie haec 582.

ΑΑΝΑΘΑΝΑΑ
CEMECEIΛΑΜ

leguntur, repetitum nempe אח לן in primo versu inscriptionis, quam accurate descriptam hic subjicio:



Pro אב autem substitutum esse videmus ΣΕΜΕΣ ΕΙΛΑΜ, *Sol aeternus* (§. 561 *sequ.*) quare verto *Accede ad nos Sol aeterne.* Alia autem gemma apud Wildeum (*tab.* 30. *n.* 115) sic inscripta est:

ΣΑΒΑΩ

ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ

ΑΒΡΑΣΑΞ

In hac igitur ille אב appellatur *Σαβαω*, quo nomine omnium creator sive demiurgus significatur (§. 246. 479). Interpretationem enim, quam Bellermannus (*II.* 34) attulit, approbare nequeo. Jure tamen perstrinxit ille Passerium, qui *Abla Nathanael* ex illa formula eruens prius vocabulum Graecum ἄβλιτος, alterum Hebraeum, *donum dei*, esse (*II.* 250) docuerat. Ac ne constans quidem sibi fuit nugacissimus iste interpres, qui in alia gemma (*II.* 260. *n.* 5) eadem verba aliter dividens ΑΘΑΝΑ pro Graeca voce haberet et *immortalitatem* verteret.

Illorum autem verborum vim augeri sibi persvaserunt stulti homines literis per singulos versus simili modo dispositis, ut in *Abracadabra* id factum esse (§. 461. 462) constat. Exemplo sit gemma (*ap. Raspeum n.* 611) cui haec incisa sunt: 583.

ABΛANAΘANAΛBA
ABΛANAΘANAΛB
ABΛANAΘANAΛ
ABΛANAΘANA
ABΛANAΘAN
ABΛANAΘA
ABΛANAΘ
ABΛANA
ABΛAN
ABΛA
ABΛ
AB

Ubi tamen ultimus versus, qui sola litera A constare debebat, abest, haud scio utrum consulto, an ex errore? Ceterum a primi versus fine deorsum etiam eadem verba legi posse observes velim.

Quam quidem formulam antequam missam faciamus observanda non nulla sunt de corruptis quibusdam ejus speciminibus. 584.
Accidit enim huic precationi, quod frequenter repetitis verbis accidere solet (§. 392. 406. 461. 476) ut quo saepius, et negligentius pronuntiarentur, eo magis etiam corrumperentur atque mu-

tilarentur. Ita in globo crystallino (§. 156) sic formula inscripta est:

ABΛΑΘΑΝΑΛΒΑ

in quibus literis ab initio ante Θ omissas esse NA quilibet animadvertet. Sed easdem duas literas ab alio etiam amuleto, Latinis literis scripto, abesse infra docebo. Praeterea manca interdum videtur haec formula, quamvis revera integra sit. Ita omissas esse in gemma apud Capellum (*n.* 20) quasdam literas Bellermannus (*II.* 36) conjecerat. Sed ea ipsa Cassellis inspecta, ectypon a Capello editum corruptum esse animadverti. Literae enim, ut signa quaedam illas antecedentia praetermittam, hae sunt:

ΑΚΛΑΝΑΘΑΝΑΛΚΑ.

Omnino igitur praestat formam literarum ipsam inspicere (§. 495. 497). Alius gemmae inscriptio apud eundem Capellum (*n.* 112) quasi integra, sic delineata est:

ΛΑ
ΘΑΝΑ
ΒΑ

Quas literas Passerius (*II.* 275. *n.* 150) magis etiam corrupit, ΑΛΘΑΝΑΚΑ effingendo. Ego vero gemmam ipsam Cassellis visam praefractam esse detexi, cujus partem amissam lineis leviter notatis sic jam restituo:



Ceterum acute more suo Bellermannus (*I.* 36) observavit, ejusmodi verba continuo repetita esse in amuletis, quo magis ad ea adtenderent homines: addere potuisset, quo magis horum admirationem moverent animosque pellicerent. Non enim in illa solum formula, sed in aliis etiam amuletorum inscriptionibus, similes repetitiones deprehenduntur (§. 616). Nec Graecis et Romanis ignotam fuisse verborum repetitionem, tam plebis cantiunculae (*Vopisc. Aurel.* 6), quam magica carmina docent, ut illa apud Theocritum et Virgilium. Atque repetitam incantationem tangere quoque videtur Lucanus (6, 527) hisce versibus: 585.

Omne nefas superi prima jam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire secundum.

Sed inprimis observatu dignum est, in antiquissimis etiam Aegyptiorum monimentis saepe hieroglyphica signa ita disposita esse, ut quae dextrorsum spectarent, *eadem* continuo *repetita* sinistrorsum vergerent (*Kircheri Oedip. III.* 466. 467. 517. *Causeus. II.* 40. 43).

Quoniam autem majus etiam auctoris artificium in illa formula lateret, si posterior ejus pars non solum retrorsum lecta priorem repeteret, sed eo etiam, quo literae tendunt, lecta (*αναλβα*) commodo sensu non careret, conjecturam afferam, qua, si Masoretharum puncta neglexeris, legere licebit אנה לבעָה (*evenire fac petenti, illud nimirum, quod a petente desideratur*). Sed tacuissem sane difficilem hanc conjecturam, cui meliorem, si qua est, substituas velim, nisi in gemma infra (§. 779) proferenda utique illud *αναλβα* solum 586.

legeretur. Qua etiam ipsa inscriptione confirmatur quod contra Bellermanni et Gesenii lectionem monui, in illa formula nequaquam *αϑα* esse legendum, sed potius *αϑ*, rejecta extrema A ad verbum quod sequitur. Ceterum haud negaverim, a multis amuletorum auctoribus posteriorem formulae partem eodem quo priorem sensu acceptam fuisse.

587. Jam vero ne multus sim, abstinendum mihi est a colligendis singulis, quae in gemmis reperiantur, locutionibus, iisque inter se conferendis; cujusmodi comparationis instituendae crebrior infra (§. 625. 650. 680. 720. 725. 727. 849) locus erit. Sed quae modo attuli exempla sufficient, quibus dilucide monstretur, monimenta, quae intellectu difficilia sint, feliciter explicari vix posse, nisi similibus undequaque requisitis et inter se collatis. Huic igitur operis parti finem imponens nulla interposita mora gemmas proferam ipsas, in quibus sensum illum abditum et obscurum vel assecutus sum, vel assecutus esse mihi videor; adjectis insuper ad ea, quae dubia remanserunt, conjecturis, quibus aut frui, aut meliores substituere, cuilibet per me licet: immo aequo patiar animo, esse, qui omne, quod dedi, consilium spernant,

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.
